UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Auli Gellii Noctes Atticae

Gellius, Aulus

Lugd. Batavorum, MDCLXXXVIII

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1123

Visual Library



D 2
217

m. p.
Clausen.
Elf. 1850.

Vid. Fabricii. Bibliotheca Latina. Vol. I. p. 513.

W. J. F. Soermann.
1740.

A
GE
NOCTE
N
EMEN
JOANN
GE

LUGD
Apud IOANN
M D

AVLI GELLII NOCTES ATTICAE

CUM

NOTIS

ET

EMENDATIONIBUS

JOANNIS FREDERICI GRONOVII.



LUGD. BATAVORUM,

Apud IOANNEM DE VIVIÉ,

M DC LXXXVIII.

Perillustribus, Splendidissimis & Amplissimis Viris

Academiæ Lugduno-Batavæ

CURATORIBUS

D. DANIELI VAN WYNGAERDEN, BARONI DE WYNGAERDEN, BENTHUYSEN, RUYBROECK, DOMINO DE WERCKENDAM, MOERMOND, RENESSE, ZUYDLAND, NOORDWELLE, &c.

D. HIERONYMO VAN BEVERNINGH JC. THEILINGÆ TOPARCHÆ.

D. CONRADO VAN BEUNINGEN JC.

Eorumque Collegis,

Reipublicæ Lugdunensis

CONSULIBUS

D. JACOBO VAN DER MAES.

D. JOANNI VAN VESANEVELT JC.

D. JOANNI VAN BANCHEM.

D. CORNELIO PAETS JC.

Ac Prudentißimo Viro

D. PETRO BURGERSDICIO J.C. & Illustr. DD. Curat. à Secretis.

IACOBUS GRONOVIUS S.P.D.

Quas chartas non absurda domestici & studii & ingenii industria politas producere me respectus utilitatis publicę compellit, iis ut ipse præfarer, eamque præfationem ad vos mitterem, mandat mihi & inculcat tum recor-

cordatio ejus, quem hæ lucubrationes mecum patrem nominamus, ac voluntatis ejus conjectura, tum præsens ratio. Si enim passim velut inspirantibus musis recte ab viris doctis legimus laudes grateſque reddi iis, qui bene volentes fecerunt; quæ poterit esse invidia, si quicquid Gronoviani nominis supersumus, in corde, in lingua geramus illam ultra xx annos almam fautricem nostram Minervam Lugduno-Batavam, hoc est, Benignissimos ejus conservandæ & exornandæ Curatores? Erat quidem ea patris moderatio, ut satis amplam lautamque laboris mercedem sibi reddi & bene secum agi putaverit, dum in illa primi loci sui mediocritate, in reducto isto amæni ad Isalam seceſſus museo robur experiri ac sedulitatis fidem mereri permitteretur. Negari tamen nequit, quin & multum referat, utrum Romæ an in municipio honorem geras, & optimus quisque celebritatis luce gaudeat. Sic certe pro magnitudine theatri, cui per splendidam istam mutationem commissus fuit, accrevit ejus sollertia seque ferventius intendit, ut eniteſceret loquendo & scribendo. Quanto enim fervore ille istam speciosæ juventutis subolem quotidianis diatribis deterrere conatus fuit ab Tantalea calamitate? quot non

inficianda ſpecimina ſucceſſuum ejus in hoc inſtituto allegare poſſem? Quam ille inſudavit ut ab eo diſcerent etiam qui longe abſunt, vel his ſcediis illud docentibus? Quod dum glorioſius fortaſſis recenſeo, agnoſcite beneficium veſtrum, veſtri in bonas literas & hujus loci ſplendorem muneris unius donum. Veſtri enim collegii & deceſſorum veſtrorum id judicium fuit, ut ille potiſſimus videretur, qui huc inducendus eſſet; ac quem velut legitimum veſtræ Minervæ ἱερόδωλον, liberalitate publica in honorem Græcarum Latinarumque artium proſequi poſſent ita ut erogationis ratio conſtaret, licet peregrinum deligendum cenſuerunt, & honorato iſto otio coronandum. Ob hoc igitur ſolum permittite, ut quod ſæpe & ille & ego tacentes fecimus & ſancte usque faciam, quodque unum illi reſiduum conditio humana fecit, ipſius nomine Vobis gratias agam, ut ſic ne mortuus quidem ab agnoſcendo favore veſtro ceſſet. Sed hîc intelligo non licere mihi ſimplice gratiarum vice defungi. Non enim vivus modo per Vos tulit bonæ conſcientiæ fructum; ſed dum ſic ſub mandatu veſtro mundum univerſum & has regiones metatur, genium hujus urbis humanitatiſque ac miſericordiæ dotem venerans & ado-

rans,

rans, quum sic gubernante Dei providentia inter Wismariam, Hamburgum, Daventriamque & aliam urbem eorum, quos propinquitate sanguinis attingebat, divisa essent ossa; hujus dico urbis terram elegit, cujus pietati exuvias suas crederet. Ut propius stimulum, qui me urit, significem; hanc electionem tunc exercuit, quum suspicioſum tempus admoneret eum naturæ ac conditionis suæ. In hujus discriminis sententia firmus mansit, dum hæc ipsa exarandi consilium cepit, ac me ut qualiacunque ad hanc rem adjumenta circumspicerem, in peregrinationem misit; immo hæc tunc scripsit, quum prævidebat non procul abesse, quando & hæc, & quidquid habebat humani, erat exuturus, quem mentis paternæ habitum fidemque fatetur hæc ipsa manus ejus, exceptionem DEI VOLENTIS præfari diligens. Quæ quum sic acta fuerint; quum hic ad restituendum Gellium labor memoriam meam ita retroagat ad cogitationem paternæ vitæ & actionis, patimini, Illustres Viri, ut Vobis præsidentibus, Deo Benefactori, qui per consilia Vestra operatus hæc omnia direxit, non modo propter vitæ non pœnitendæ finitum in hoc labore cursum, sed propter ipsam quoque hanc præsentem

cineris paterni quietem dicam AMEN; & quum ſuo nequeat, filii ore utatur ad reddendas in æternum & Deo & Vobis laudes grateſque. Hic locus quum tantum non exigere videatur, ut mirificam benignitatis veſtræ propagationem in me juſto examine contempler, putans tamen melius eſſe, ut cummaximè ſanctitate præcedentium acquieſcam, enitar poſthac ſedulo, quod huc uſque eniſus ſum, ut mentis meæ veritas in Vobis & loci mei ſtudiis colendis appareat. Deus ter Opt. Max. faciat æternos pacem paciſque miniſtros. In Lugduno veſtra. Idibus Julii CIↃIↃCLXXXVII.

PRAE-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Maxima rei literariæ commoda evenisse ex inspectione codicum ante inventos typos scriptorum, atque adeo hos solos esse, qui, quum alia quædam parvi adiumenti loco haberi debeant, consummentliberalium studiorum apicem, quum multis aliis deprehensum est documentis, tum præcipue manifestat hic Gellius. Qui licet compluribus vicibus in edendo sit repetitus, tamen qualis fuerit, hic novus labor probabit; qui quidem non aliam æque ob causam necessarius fuit, quam quod vel plane non consulti fuerint codices antiqui, vel quorum ea copia fuit, ab iis non nisi negligenter ac male, aut ipsi ab peritia Latinæ linguæ non satis validos se exhibuerunt, aut ab ipsis codicibus misere decepti. Sed præcipue Gellius in exemplo est, ut non tam contendamus inspicere codices scriptos, qui omnium fere auctorum complures passim occurrunt, satis vitiosi; verum id agatur, ut maxime attendatur optimis. Nam quum unaquæque Gellii editio, sive Italicas sive Gallicas intuear, crepet singularem ac studiosam curam, qua ad libros veteres itum est; qualis tamen fuit Gellius, antequam publice innotesceret pretium codicis, cujus custodiam cælo placuit scriniis Regiis apud Gallos com-

commendare? Non ipsius voluminis ordo salvus, quin caput pedibus subiiceretur instar portenti; non Latinitatis, cujus fuit diligentissimus hic auctor, ratio certa: ipsa Græca perquam vel lubrica vel ignorata vel acciſa. Hæc omnia ut poſt tantam fluctuationem ſtabilirentur vel in melius redigerentur, unius iſtius membranæ indicio & auxilio primum contigit. Nec vero id contigit temere. Nam quum ab tot inſignibus viris ea ſcrinia fuerint frequentata, nemo quidquam ea in re advertit aut advertere voluit præter unum illum heroicum prorſus virum Claudium Salmaſium. Ille eſt, qui & laborem primum ei impendit, & ut erat ſagaciſſimæ perſpicaciæ, grandem vulgatarum editionum mendam primus traduxit ac publicavit reſtitutionem & membranæ ejus pretium. Hinc incenſi alii diligenter eandem conſuluerunt; qualis poſt Salmaſium fuit Bourdelotius integra ejus collatione inſtituta: immo & poſt illum Lambecius, qui licet præ ſe ferat factum eſſe, ut aliud quid in bibliotheca quærenti Auli Gellii codex manu ſcriptus in manus ſibi inciderit, non opinor tamen ita temerarium iſtum caſum obventurum fuiſſe, niſi ab Salmaſio fuiſſet irritatus, & velut νδρόπαγον oculorum ejus fuiſſent prolegomena Plinianarum caſtigationum. Neque enim poteſt quidquam ab hac Salmaſii gloria per qualemcunque decerpi,

pi, nec patitur tale quid ἀφθονία musarum. Sed neque fastidium Gasparis Scioppii deterrere parentem meum potuit, quin consuetudine Gellii vehementer oblectaretur; & perfusoria Lambecii opera acrius eum instigavit, ut ad collationem codicis Regii pervenire conaretur. Quæ tacita vota satis felici eventu cesserunt, quum nanciscereturipsum Salmasii exemplar, cui hic varias illas lectiones commiserat; eo usque adigente illum venustate hujus scriptoris, ut anno LI gratificatus fuerit Ludovico Elsevirio recensionem & undique secus nitidam, & ad exemplar Regium digestam, & ita emendatam, ut priorum nulli decedere cogatur. Propterea hanc in paucis annis divenditam secutæ sunt tum aliæ, tum ea ipsa, quam collega ejus, veluti veritus grandem famæ suæ jacturam, nisi selectis novisque commentariis (sic vocantur in præfatione, ut vocarunt alii, quum sit stupida non sane optimarum, immo nec ignotarum annotationum conspurcatio) oneraretur quoque Gellius, ut reliqui Latini scriptores ita in his locis jactati. Quem in medio conatu mortuum excepit alius hilo non melior; qui quum non veritus fuerit in eadem præfatione testari, nonnullis in locis ab ista editione ipsum discessisse veterum (sic jactat) & meliorum codicum ductu cujus rei in notis ubique ratio reddita sit, nequeo hinc abire, quin iste discessus & ratio quæ red-

redditur, quam sit illustris ac prægnans, exponatur planæ luci, ubi quidem ego observavi. Nempe IX, 12 *in verbis* Catonis *occurrit* fabulosus, *ut edidit pater, quum ante ipsum exstiterit* famulosus. *Id primus ex collectoribus nescire se fatetur, an vitio typothetæ contigerit. Sic scilicet melius fuit illi scribere, quam rogare collegam, quem vivus quotidie videbat. Pergit bis testari se scribere* famosus. *Potuerat ita saltem honestus esse, ut fateretur non id suum esse, sed jam in Gryphiana anni* 1539 *& Parisiensi anni* 1584 *occupasse margines: immo & ab H. Stephano in Parisina anni* 1536, *qua ille usus fuit & postea Bourdelotius, & ab Salmasio ex Nonio sic annotatum est. Sed ut vocabuli* famosus *bonitatem agnosco: ita quum MSSti omnes habeant vocem quadrisyllabicam, non ita temere mutari debere in trisyllabicam merito statuit cum aliis pater. Immo quod isti collectores ita hic hærent, non alia causa fuit, quam quod quum ei negotio impares prorsus essent, voluerint tamen procudere Gellium. Antequam enim tale opus suscipiatur, debebant fuisse frequentiores in legendis doctorum hominum scriptis, nec illis quotidianis tantum & ad centones suendos ab isto vilissimo genere usurpari solitis, sed etiam remotiora & ista paucorum hominum evolvisse. Ut autem suspiciosus dicitur pro suspecto; cur sic fabulosus non potest dici non tam pro*

eo qui fabulas concinnat, quam qui in fabulas & illas non benignas venit; quæ sententia sane huc congruit? an famosus sic dicatur, jam non disputo. Posthac autem ne quis habeat pro vitio typothetæ, sciat esse Christophori Coleri in Parergis 20. cap. 72. Rursus quum excepisset hanc ignobilem operam successor, XIII, 30, quum veteres codices omnes habeant de vino efficere nigrum virus *vel* viris, *notat iste omnino legendum cum vet. ed. Veneta* A. CIↃIↃIX *& Aldina* A. CIↃIↃXV, *item Ascensiana, quod & Mosellanus vidit*, vires, *& male in vet. edit. Rom. quod & H. Stephanus & Vir Doctissimus in ultima quam procuravit editione retinuere* virus. *Manifesta satis condemnatio, & judicium dignum, cui cathedra Professoria crederetur. Causa sententiæ est, quod identidem* θρεπτικὸν οἶνον *nigrum vocent deipnosophistæ apud Athenæum: non secus ac si omnis* θρέψις *eat in vires, & non in saginam quoque ac adipem. Quid autem? an iste tam abrupte judicium exercens sic pronunciasset, si aut legisset aut meminisset apud Tertullianum* in ipso ultimo voluptatis æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima sentimus exire *&c? Quanto autem mendacio, sed dubio, eum uti non puduit, quum ad lib.* XVI *cap.* 4 *notat in H. Stephani editione legitur*, Feriæve devicales, *nisi mendum sit pro* de-

nicales,

„ nicales, *quod tamen vocabuli monstrum aliæ*
„ *editiones post Stephanicam retinuere. Certe*
paterna editio post Stephanicam omnibus ad
manum est, nec ullam literam illic aberrâsse
patet. Futilitas ejus hominis patentior est in
capite sequente, ubi dicit vett. codd. quorum
lectionem hic revocandam duxerit sapiens sci-
licet ille hac in re vir, sic habere quum dex-
tra siniſtraque inter januam tectaque *&c.*
Et in hoc ipso primum fingit, quum in MSS.
ipse viderim τὸ inter *nullibi esse. Quum ad-*
„ *didisset de Stephanica, pergit. unde & Vir*
„ *Doctus in postrema sua editione fecerat*
„ cum dextra siniſtraque januarum tecta
„ *&c. Haud multo melius scilicet quam Ste-*
phanica, quam vix sensum admittere antea
dixerat. Hoc nimirum & faciendum nuper
fuit, & nunc plorat res literaria, quod ad il-
lum accessus ultra non detur ad quærendum
quid altero melius. Sed & in his quoties men-
titur? Non enim ex Stephanica sic fecit vir
doctus ille (quæ sane non fuit habita unquam
tantæ auctoritatis, ut inde ansa corrigendi ab
eo saltem arriperetur) sed ex MSS. Tum non
vir doctus fecerat, sed alii doctissimi viri
præjerant virum doctum, qui credidit illos
bene correxisse & ex arbitratu veterum libro-
rum. Nec culpa viri docti fuit, si fatui &
indocti isti coacervatores non bene legerint
bonos libros. Est autem Salmasii de modo

Usura-

usurarum cap. XV. *Nec melior est, quum loquitur mox de* consistione: *nam in veteribus codd. & quidem MSS. ipse ita legi. Sed tam in his rebus miser ille cœcutiit, quam in Latinitate, quum* XVI, 8 *non concoquat illud adeo Gellianum & optimi vere temporis Latinum,* sui magis admonendi quam aliorum docendi gratia, *vocans insolitum loquendi morem, & melius fore* alios: *æque ut* XVII, 21 *ait melius forte ab lectore lectum iri* quod contra suum edictum pugnaverat, *quam* dictum, *quod aliter plane docent optimi Liviani MSS. Nam quid ego de correptis hinc inde laceris membris, quorum plerumque auctor supprimitur, dicam? Itaque merito deridens pater & ipsum primum operis ejus inceptorem, quam alterum successorem, id tantum agebat, ut codicis Regii collationem adipisceretur accuratissimam; eo usque laborem, quem Gellio tacitus promiserat, rejiciens. Cujus voti compos fieri non potuit, nisi postquam me illuc vela dare jussit, præcipue monitum, ut tam Parisius, quam si quid alibi Gellianum deprehenderem, sedulo inspicerem. Nam & ipse interea amicos ad partes vocans, ab Clarissimo Joanne Scheffero impetraverat, ut patet, exemplaris antiqui usum, qualem ante aliquot annos ab Ill. Bern. Rottendorffio etiam obtinuerat. Ego autem id religiose observavi in omnibus locis, quæ vivente ipso secutus fui; & sic observasse*

me gaudeo, ut hanc saltem lætitiam pater piissimus ex me haberet. Unde & Oxonii in collegii Lincolnienſis exemplari perluſtrando diligens ipſe fui; & ſimulatque abſolvi potuit, operam ipſi transmiſſam verbis lætis ac benignis proſequutus, nunc rebus oſtendit non eam fuiſſe parvi ab eo æſtimatam. Quum vero Pariſiis jam eſſem, in hæc verba mihi ſignificavit deſiderium ſuum. Tres habeo collationes Gellii Regii doctorum hominum manibus factas. hi omnes ſatis me docent præfationem in eo exemplari eſſe, quod olim poſtremi libri ultimum caput ponebatur: & huic præfationi ſubiici lemmata capitum per omnes XX libros. Sed quid ſequatur ea lemmata, & unde incipiat contextus auctoris, quaſi de compacto ſilent. Suſpicor autem prima duo capita libri primi in eo volumine deeſſe; quando nihil a quoquam ibi varietatis notatum video, quum tamen habeant dignos vindice nodos. Codex a lib. I ad VI uſque pertinet; ſed tam, ut dixi, a principio, quam in fine aliquid deſiderari cenſeo. quod accurate cognoſcas velim, & a quo capite, quibus capitis ejus verbis & literis incipiat, quove capite libri VI^ti quibuſve verbis & literis ejus capitis finiatur, mihi perſcribas. Ad quæ omnia quum attendiſſem, & Gellium iſto pacto collatum miſiſſem, ita conditionem ejus libri concepit ſignavitque in fronte exemplaris,

ris, quo uti solebat. Regius liber primum habet Julii Cæsaris bellum Gallicum. Deinde Incipit Liber AGellii noctium Atticarum. Hinc quæ in editis erat pars ultimi capitis libri postremi. Mox lemmata capitum libri primi usque ad IΘ de Sibyllinis. Græcis enim literis numerus ad singula lemmata notatur. Post illud IΘ apparet DEEST, & spatium columnæ (nam in eas divisæ paginæ) dimidiatæ vacuum. In summo sequentis columnæ prima sunt: ΔΕΙΚΝΥΕΕΠΩΣ (quod est in secundo editorum capite) usque ad ΜΕΤΑΠΕΛΑΨΗΤΑΙ ΚΑΤΗΓΟΡΟΥΜΕΝΙΝ. Quibus hæret continenter: Hic autem Chilo præstabilis homo. Desiderantur igitur totum caput primum: & secundum usque ad τὰ Δείκνυε πῶς εἰωθας in verbis Arriani: quæque horum sequuntur post μεταπέμψηται καληγορέμενον: & capitis tertii principium, quod Guil. Cantero debemus. De Canteriano tamen habet Hic autem, quod in vulgatis antea deerat. Quintum librum excipit septimus: post hunc lemmata sexti, deque ipso capita tria integra, quartum usque ad τὰ adversus ictus solis. in quibus finitur pag. 203 collationis, quam mihi misit filius. Hinc ergo progredienti inter varia fastidia in adhibendo quibuscunque varietatibus judicio, vitæ simul & hujus operæ filum ei ruptum est, postquam hæc, quæ vides, in mundum redegisset.

gisset. Si recognoscere hæc ipsa scripta, si examine altero collationem percensere licuisset, non potest esse dubium, quin & hæc ipsa pinguiora elaboratioraque fuisses habiturus, & uberiores etiam in Gellio emendationes. Restat enim bona pars, sed nobis non licuit nunc ea vestigia premere; qui hoc curasse pro tempore satis censuimus, si hæc ab vermibus & situ liberarentur, & hactenus per paternum laborem Gellio prodesse nos: id etiam satis operose nobis injungentes, ut nec typorum lapsus pulchritudinem editionis hujus minuerent; quod res ipsa fatebitur. Spatium a patre relictum vacuum & Veiovis nummo destinatum, eo gemino replevimus. In quo ut nihil fieret, nisi quod pater ipse vidisset, Parisiensem familiarum Romanarum Vrsini editionem (sed quæ non exacte retulit auctorem) usurpandam sculptori dedi, qua ille admodum licenter usus est, præsertim in vertice Cæsiani. Sed nos scimus ab Italis & Gallis mundo præberi ectypos potius multos, quam veros & rem suam exacte referentes, vel his nummis id probantibus, qui tam Cæsiano quam Liciniano præbent diadema satis clarum, & Vrsini editio id quoque expressit aliquo modo, sed Parisina plane omisit. Sed multa alia in his ipsis animadvertenda restant, de quibus alibi.

Cæterum quum hæc sit vera historia Gellii;

lii; quum viri probi & eruditi tantum statuerint pretium codici illi Regio, & vel Salmasio vel communi studiorum causæ vel Gellio tantopere gratulati fuerint inventionem ejus; facile patior ab hoc publico plausu abesse caput illud abbaticorum & equestrium κοβάλων, *virum plane sui prænominis ac nominis, ideoque his solis appellandum Raphaelem Fabrettum, meum lepidissimum* κινάδιον. *Quippe quum ejus literarum humaniorum culturam obiter dixissem me agnoscere vel ex usu* τοῦ meridionalis, *in Iasithei Apologemate (dignissimo Fabrettina Italia scripto) paginas fere quatuor impendit ad ambitiose ostentandum partim* τὸ συῶδες, *partim* τὸ λελυσσηκὸς τῆς ψυχῆς. *Legas modo oportet, ac penitus patebit. Sed & ut ratio culturæ humaniorum literarum in ipso palam constaret, quo modo esset deducta; scribit in optimis codicibus tam impressis ut Gryphii, Stephani, „ Aldi, Caballi, Ravani, Veneti, quam etiam „ MSS. ut in Vaticano num. 3453 & sex Me- „ diceis pluteo 54* meridionalem ventum *se „ legere. Glorientur oportet illi tam sano sani Fabretti testimonio, ac reviviscant fruentes laude hac ad mathematicam regulam edita. Hæc scilicet sunt optima, hæc ad veritatem & culturam illam Fabrettinam sufficientia, & quidem electissima. Nam ideo noluit sex ipsos codices Vaticanos & septimum Medio-*

lanensem aut numero huic addere aut legere, Petro Servio & Lambecio notos, quia non sunt judice Fabretto ex optimis, aut forsan præferunt meridialem. *Atqui exemplar Mediolanense signavit Lambecius ferri omnium optimum & antiquissimum. Sed non est, quod cedat quadratus ac τρεὸς Fabrettus. Quid enim cederet? Immo sic ille pergit, ut credide-*
„*rit primum dissensisse Salmasium, & ex eo*
„*novissimam Leidensem Petri Lefferi (sic enim mathematicus vir auferendam lineolam censuit; idque eodem jure facit, quo Pricæus citatur commentator Arnobii lib.* III *adv. gent. in Columna Trajana p.* 79)
„*impressionem cum notis variorum. Utique enim hoc unum exemplar deerat ad stipandam in Fabretto impressionem istius culturæ, (cui accedens in Columna Trajana Petronius Hadrianidis* 193 *ac Montanus ad Cæsarem pag.* 194 *&* 214 *&* 227 *negari nequit, quin culturam istam absolvant) quod ideo magnopere debet illi commendari & gratum esse, utpote unde didicerit Salmasium dissensisse. Nam cur legeret ipsa Salmasiana scripta, quem Notæ variorum satis instruunt? Sed quid horridius aut insanius est illo quod se-quitur? non jam ineptiens sed pro nefario*
„*conscelerato que dicens, Salmasius lectionem*
„*istam ex incerto quodam optimo, quem vo-*
„*cat, libro Vtopianæ, ut puto, bibliothecæ*
„*no-*

novavit. Talem sive Neapolis sive Roma,, potuisti exspuere calumniam? ab tanto calumniatore nunc ista erudita olim terra teritur? Et vobis, Superiores, quorum permissu editum se in cauda adulatur istud apologema, tam ferrea sedet ira, ut tale quid apud vos liceat, & istos tantos manes impudentissima hac falsitate arcessi patiamini? Certe in hac parte non id meritus fuit Salmasius. Non Fabrettus vester is est, quem imprudentem (bene enim de eo sentio) sic errori traderetis auferendum. Sed neque quum vos utique optima velitis judicio Fabretti possidere, invidete ita, ut nolitis aliqua magis optima extra Alpes vestras custodiri. Licuerit de me effundere quæ voluit; ego ista non sine risu cognovi & libenter relego, quoniam sunt Fabrettina vera, & prorsus paria illis, quæ olim faciebant

. . equites Asiani
Quæque & Cappadoces faciunt equitesque Bithyni.

Neque potui alia exspectare; quippe quum jam in eadem Columna Trajana pag. 323 de me inceperat mentiri, quasi qui collegerim notas Tan. Fabri, quum eas Faber manu sua scriptas miserit patri tunc, quum ego nondum scriberem nisi aliqualiter Fabrettine. *Quod ad rem, Lapponensis equidem ego, piacu-*

læ

cula hujus calumniæ exigenda aliis relinquens, progrediar potius ex Salmasii Utopianæ (itane loquetur iste judicialis morio de Regia Parisina?) bibliothecæ codice tractare & existimare Gellium, quam ex illis sive Romanis sive quibuscunque Italiæ optimis Fabrettinè codicibus; tam de hoc meridionalis *quam aliis omnibus mihi ad liquidum satisfacturus, ubi libuerit; neque enim huic avernali & tam tetrico Salmasianæ veritatis, mei ventris, crumenæ ac laboris in adolescentia, rerum verborumque sycophantæ, sed nimis indocto, arbitrium diei meæ disponendæ dabo.*

Restabant alia; & præsertim quod in hoc ævo tantis follibus jactant divini isti viri, an genius scriptoris per has notas minus cognoscatur, quam per illas auctorum comparationes sine ulla prorsus historiâ & firmitate commissas. Sed liceat tandem bona fide ferias inchoare: illa suum tempus ferent. Vale, & paginam istam 203 *respondere scito libri* VI *capiti quarto.*

IN

IN
AULI GELLII
NOCTES ATTICAS
LIBRO COMMENTARIO LUCULENTO

per

JOHANNEM FREDERICUM GRONOVIUM
clarissimum ac celeberrimum virum
Illustratas
à
JACOBO GRONOVIO JOH. FR. F.
magni parentis hærede dignissimo
editas ac divulgatas.

Quas tu scripsisti Noctes, doctissime Gelli,
Attica quîs tellus nomen habere dedit,
Mentis & ingenii radiis dum illustrat acuti,
Judiciique sui lumine, Gronovius,
Illum opere in medio mersit fatalibus umbris,
Inplicuitque suis ferrea Nox tenebris.
Non tulit, & nigro Genitorem educit ab orco
Filius, illustri nil Genitore minor.
Noctibus ille tuis, Gelli, lucemque diemque
Reddidit, antiquum restituitque jubar:
Utque Pater Gnato vitam dedit ante, Parenti
Sic vitam Gnatus, cumque Parente sibi.
Accipe, Posteritas, sacros utriusque labores.
Illud, doctrinæ est; hoc, pietatis opus.

P. FRANCIUS.

Ad manes Incomparabilis Viri,

JOH: FREDERICI GRONOVII,

Cum lucubrationes ejus doctissimas in A. GELLIUM ederet non minor Patre Filius

JACOBUS, Elegidion.

Ingens umbra viri, quem doctus suspicit orbis,
Et vocat Alciden turba novena suum.
Inachiæ columen gentis, Latiique ruentis,
Ereptus vivis flebilis umbra jaces!
Sic erat in fatis. Tenebras dum noctibus AULI
Discutis, æternum nox subeunda fuit!
Non juvat insano nimis indulgere dolori,
Planctibus immodicis sat lacrymisque datum.
Cæruleis tamen hæc vittis, atrisque cupressi
[Sic mandat pietas] cincta stat ara comis.
Vinum, lacque novum, flores, sacrumque cruorem
Inferiis dederas dona sacranda tuis.
Hæc tibi jam libat gnatus, quo dignior alter
Dotibus ingenii, nec pietate fuit.
Herculis invicti virtus succesit Atlanti,
Et, quem tu tuleras, sustinet ille polum.
Testis es, & meritis amborum LEIDA triumphas,
Grataque GRONOVIOS tollis ad astra tuos.
Ossa colis sancti patris, patremque renatum
Suspicis in gnato, munere læta Dei.
Hoc tua Nestoreis Academia gaudeat annis!
At ne quis noceat, baccare cinge caput.
Summa petit livor. *Sic te quoque maxime JANE*
Dente Theonino Zoilus impetiit.
Vana sed invidiâ major molimina rides:
Nam tua non possunt non placuisse bonis.
Hoc labor extremus sibi spondet, ut ultima desit
Addere quam vetuit Parca sinistra, manus.
Hanc tamen à summo fas est sperare JACOBO
Dispare fatorum sorte, sed arte pari.

In-

Interea hanc patria pietatem respice mente,
Quodque unum supereſt, accipe triſte vale.

S. MUNCKERUS.

Viro Clariſſimo
JACOBO GRONOVIO.

QUUM delaſſatam recreent nunc otia mentem,
Incipiatque mihi mollior ire dies;
Ecce libet rurſus ſacris ſervire Camænis,
Caſtraque Pegaſidum ſemper amata ſequi.
Dumque memor veſtri tempus traduco favoris,
Accendis flammas, magne Vir, ipſe meas;
Qui Latias Grajaſque Deas, tua numina, honoras
Impiger, & multâ relligione colis:
Hæreſque ingenii dives decoriſque paterni
Inſcribis cœlo teque tuumque Patrem;
Qui nunc laudatur volitatque per ora virorum,
Quos vigor ingenii fervidus intus agit:
Qui, licet abreptus fragili ſit corpore nobis,
Vivit, & eſt famæ conditor ipſe ſuæ;
Cujus tu vim confirmas celereſque volatus,
Dum pius in Batavos, dum pius inque Patrem es.
Progreditur non infauſtâ ſic GELLIUS aurâ,
Et quodcunque tuâ conſtruis ipſe manu.
Quam bene, quod cœlum tibi vires ſufficit illas,
Queis confirmatus barbara caſtra premis;
Eruis atque alto quicquid veneranda vetuſtas
Poſſidet oppreſſum temporis invidiâ.
Ah, quoties, cum tu ſævo confringere morbo,
Ipſe cado in luctus, ipſe dolore gemo!
Ah, quoties, cum te tibi reddidit hora benigna,
Redditus ipſe mihi gaudia lætus ago!
Salve Muſarum veriſſima gloria; Salve.
Salve, Phœbei gloria luxque chori.
Sique tibi cordi eſt noſtri pius ignis amoris,
Accipe, quod vili dat tibi charta manu.

Non

Non noſtrum meliora dare eſt. pia tura cremamus,
Pauca licet. noſtrum non meliora dare eſt.
Ergo ſalus quoque noſtra placet? fauſta illa. valemus.
Cura mihi Muſa eſt, meque amor iſte rapit.
Quem monitis augere, Virum doctiſſime, fidis
(Nec potes id certè diſſimulare) ſoles.
Hoc mihi Leida dedit, te feliciſſima Leida.
Ah ſine fortunæ me meminiſſe meæ!
Illic, Pœonias dum luſtro pervigil artes,
Non mihi parvus honos te coluiſſe fuit;
Et vidiſſe tuæ miracula maxima mentis,
Quâ tibi doctorum ſcrinia cuncta patent;
Et tibi devinctas artes vero ore fateri;
Quod nec poſteritas ipſa negare velit.
Quid memorem emiſſos ſtudiorum in commoda libros?
Oppleta eſt ſcriptis Belgica terra tuis.
Belgica nec tantum plena eſt: non ulla valebit
Ignorans tellus nominis eſſe tui.
Te duce Romanos datur obſervare magiſtros,
Auſpiciiſque tuis Græcia tota patet.
Amotâ jam nube patet, docilique juventæ
Non decepturo tramite pandit iter.
Acceptum fer Leida tuum clariſſima honorem
GRONOVIO nato GRONOVIOQUE patri.
Hic colit aërias ſedes, atque otia ducit,
Otia non illi tempore nota ſuo.
Ille patrem magnum ſequitur jam paſſibus æquis,
Perque ſuas dotes nobile nomen habet.
O ſecli decus! ô patriæ virtutis imago!
O dudum magnis annumerate viris!
Perge tuas ô virtutes diffundere latè.
Invidiam ſcriptis perge domare tuis.
Nec celes magni, quæ reſtant, ſcripta Parentis.
Non ſunt tam divæ ſcripta premenda manûs.
In ſcriptis ſupereſt nobis: & creſceret ipſis,
Si poſſet tanti creſcere fama viri.

D. van HOOGSTRATEN.

A. GELLII
IN
NOCTES ATTICAS
PRAEFATIO.

Iucundiora alia reperiri queunt. ipse autem ad hoc scripsi, ut liberis quoque meis paratæ istiusmodi remissiones essent: quando animus eorum interstitione aliqua negotiorum data, laxari indulgerique potuisset. usi autem sumus ordine rerum fortuito, quem antea in excerpendo feceramus: nam proinde ut librum quemque in manus ceperam seu Græcum seu Latinum, vel quid memoratu dignum audieram, ita, quæ libitum erat, cujus generis cumque erant, indistincte atque promiscè annotabam: eaque mihi ad subsidium memoriæ, quasi quoddam litterarum penus, recondebam; ut, quando usus veniisset, aut rei aut verbi, cujus me fortè repens oblivio tenuisset, & libri, ex quibus ea sumseram, non adessent; facile inde nobis inventu atque depromptu foret. facta igitur est in his quoque commentariis eadem rerum disparilitas, quæ fuit in illis annotationibus pristinis: quas breviter & indigestè & inconditè eruditionibus, tractationibus, lectionibusque variis, feceramus. Sed quoniam longinquis, per hiemem, noctibus, in agro, sicu-

ti dixi, terræ Atticæ commentationes haſce ludere ac facere exorſi ſumus; iccirco eas inſcripſimus, *Noctium Atticarum*, nihil imitati feſtivitates inſcriptionum, quas plerique alii utriuſque linguæ ſcriptores in id genus libris fecerunt. nam quia variam & miſcellam & quaſi confuſaneam doctrinam conquiſierant; eò titulos quoque ad eam ſententiam exquiſitiſſimos indiderunt. namque alii *Muſarum* inſcripſerunt; alii *Silvarum*; ille Πέπλον, hic Κέρως Ἀμαλθείας; alius Κῆπος, partim Λειμῶνας, quidam *Lectionis ſuæ*; alius *Antiquarum lectionum*; atque alius Ἀνθηρῶν; & item alius Εὑρημάτων. Sunt etiam, qui Λύχνους inſcripſerunt: ſunt item, qui Στρωμαῖς: ſunt adeò, qui Παιδείας & Ἑλικῶνα & Προβλήματα & Ἐγχειρίδια & Παραξίφιδας. Eſt qui *memoriales* titulum fecerit. eſt qui Πραγματικὰ & Πάρεργα & Διδασκαλικὰ. eſt item qui *hiſtoriæ naturalis*. eſt qui Παιδοδαπῆς ἱστορίας. eſt præterea qui *Pratum*; eſt itidem qui Πάγκαρπον; eſt qui Τόπων ſcripſit: ſunt item multi qui *Conjectanea*; neque item non ſunt, qui indices libris ſuis fecerunt aut *epiſtolarum moralium* aut *epiſtolicarum quæſtionum* aut *confuſarum*; & quædam alia inſcripta nimis lepida, multaſque prorſum concinnitates redolentia. Nos verò, ut captus noſter eſt, incuriosè & immediate ac propè etiam ſubruſticè ex ipſo loco ac tempore hibernarum vigiliarum, *Atticas*

ticas Noctes, inscripsimus; tanquam cæteris omnibus in ipsius quoque inscriptionis laude cedentes, quantum cessimus in cura & elegantia scriptionis. Sed ne consilium quidem in excerpendis notandisque rebus idem mihi, quod plerisque istis, fuit. namque illi omnes, & eorum maximè Græci, multa & varia lectitantes, in quas res cumque inciderent alba, ut dicitur, linea sine cura discriminis, solam copiam sectati converrebant: quibus in legendis antè animus senio aut tædio languebit; quam unum alterumve repèreris, quod sit aut voluptati legere, aut cultui legisse, aut usui meminisse. Ego verò, quum illud Heracliti Ephesii viri summè nobilis verbum cordi hàberem, quod profectò ita est: πολυμαθίη νόον ἐ διδάσκει. *** ipse quidem volvendis transeundisque multis admodum voluminibus, per omnia semper negotiorum intervalla, in quibus furari otium potui, exercitus defessusque sum: sed modica ex iis, eaque sola accepi, quæ aut ingenia promta expeditaque ad honestæ eruditionis cupidinem utiliumque artium contemplationem celeri facilique compendio ducerent, aut homines aliis jam vitæ negotiis occupatos à turpi certè agrestique rerum atque verborum imperitiâ vindicarent. Quæ erunt autem in his commentariis pauca quædam scrupulosa & anxia, vel ex grammatica, vel ex dialectica, vel etiam ex geometria, quæque

erunt item paucula remotiora super augurio jure & pontificio; non oportet ea defugere quasi aut cognitu non utilia, aut perceptu difficilia. non enim fecimus altos nimis & obscuros in his rebus quæstionum sinus: sed primitias quasdam & quasi libamenta ingenuarum artium dedimus: quæ virum civiliter eruditum neque audisse umquam neque attigisse, si non inutile, at quidem certè indecorum est. ab his igitur, si cui fortè nonnumquam tempus voluptasque erit lucubratiunculas istas cognoscere, petitum impetratumque volumus; ut in legendo, quæ pridem scierint, non aspernentur quasi nota invulgataque. nam & quid tam remotum in litteris est, quin id tamen complusculi sciant? & satis hoc blandum est, non esse hæc neque in scholis decantata neque in commentariis protrita. quæ porro nova sibi ignotaque offenderint; æquum esse puto ut sine vano obtrectatu considerent, an minutæ istæ admonitiones pauxillulæ nequaquam tamen sint vel ad alendum studium inhonestæ, vel ad oblectandum frigidæ fovendumque animum: sed ejus seminis generisque sint, ex quo facilè adolescant aut ingenia hominum vegetiora, aut memoria adminiculatior, aut oratio sollertior, aut sermo incorruptior, aut delectantior in otio, aut in ludo liberalior. quæ autem parum plana videbuntur, aut minus plena instructaque; petimus, inquam, ut ea

non

non docendi magis, quam admonendi gratia scripta existiment: & quasi demonstratione vestigiorum contenti persequantur ea post, si libebit, vel libris repertis vel magistris. quæ verò putaverint reprehendenda; his, si audebunt, succenseant, unde ea nos accepimus. sed enim, quæ aliter apud alium scripta legerit, ne jam statim temerè obstrepant: sed tractationes rerum & auctoritates hominum pensitent quos illi quosve nos sequuti sumus. Erit autem id longè optimum, ut, qui in lectitando, scribendo, commentando, numquam voluptates, numquam labores ceperunt, nullas hoc genus vigilias vigilarunt, neque ullis inter ejusdem Musæ æmulos certationibus disceptationibusque percunctando, scribendo, elimati sunt, sed intemperiarum negotiorumque pleni sunt, abeant à Noctibus his procul, atque alia sibi oblectamenta quærant. vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui. Atque etiam, quò sit quorumdam malè doctorum hominum scævitas & invidentia irritatior, mutuabor ex Aristophanis choro anapæsta pauca; & quam ille, homo festivissimus, fabulæ suæ spectandæ legem dedit, eamdem ego commentariis his legendis dabo; ut ea ne attingat néve adeat profestum & profanum vulgus, à ludo Musico diversum. Versus legis datæ hi sunt:

Εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν,
Ὅστις ἄπειρος τῶνδε λόγων, ἢ γνώμῃ μὴ καθαρεύοι
Ἢ γυναίων ὄργια μυζῶν, μήτ' ἴδε πὼ, μήτ' ἐχόρευσε.

Volumina commentariorum ad hunc diem viginti jam facta ſunt. quantum autem vitæ mihi deinceps deûm voluntate erit, quantumque à tuenda re familiari procurandóque cultu liberorum meorum dabitur otium: ea omnia ſubſiciva & ſubſecundaria tempora ad colligendas hujuſcemodi memoriarum diſceptatiunculas conferam. Progredietur igitur numerus librorum, diis bene juvantibus, cum ipſius vitæ, quantuli quique fuerint, progreſſibus, neque longiora mihi dari ſpatia vivendi volo, quàm dum ero ad hanc quoque facultatem ſcribendi commentandique idoneus. Capita rerum, quæ cuique commentario inſunt, expoſuimus hîc univerſa: ut jam ſtatim declaretur, quid quove in libro quæri invenirique poſſit.

IN-

INDEX CAPITUM.

Commentario primo hæc insunt.

Caput I.

Quali proportione quibusque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit de comprehendenda corporis proceritate, qua fuit Hercules, quum vitam inter homines viveret Pag. 1

2 Ab Herode Attico C. V. tempestivè deprompta in quemdam jactabundum & glorioſum adolescentem, specie tantùm philosophiæ sectatorem, verba Epicteti Stoici, quibus festiviter à vero Stoico sejunxit vulgus loquacium nebulonum, qui se Stoicos nuncuparent. 2

3 Quòd Chilo Lacedæmonius consilium anceps pro salute amici cepit; quodque est circumspectè & anxiè considerandum, an pro utilitatibus amicorum delinquendum aliquando sit: notataque inibi & relata quæ & Theophrastus & M. Cicero super ea re scripserunt. 5

4 Quàm tenuiter curioseque exploraverit Antonius Julianus in oratione M. Tullii verbi ab eo mutati argutiam 9

5 Quòd Demosthenes rhetor cultu corporis atque vestitu probris obnoxio infamique mundicia fuit; quodque item Hortensius orator ob ejusmodi mundicias gestumque in agendo histrionicum Dionysiæ saltatriculæ cognomento compellatus est. 11

6 Verba ex oratione Metelli Numidici, quam dixit ad populum in censura, quum eum ad uxores ducendas adhortaretur; eaque oratio quam ob causam reprehensa, & quem contra in modum defensa sit. 12

7 In hisce verbis Ciceronis ex oratione quinta in Verrem, Hanc sibi rem sperant præsidio futurum, neque mendam esse neque vitium; errareque istos qui bonos violant

lant libros, & futuram scribunt: atque inibi de quodam alio Ciceronis verbo dictum, quod probè scriptum perperam mutatur: & adsperſa pauca de modulis numeriſque orationis, quos Cicero avide ſectatus eſt. 13

8 Hiſtoria in libris Sotionis philoſophi reperta ſuper Laide meretrice & Demoſthene rhetore. 16

9 Qui modus fuerit, quis ordo diſciplinæ Pythagoricæ; quantumque temporis imperatum obſervatumque ſit dicendi ſimul ac tacendi. 17

10 Quibus verbis compellaverit Favorinus philoſophus adoleſcentem caſcè nimis & vetuſtè loquentem. 18

11 Quòd Thucydides hiſtoriæ ſcriptor inclutus Lacedæmonios in acie non tuba ſed tibiis eſſe uſos dicit; verbaque ejus ſuper ea re poſita: quòdque Herodotus Halyatten regem fidicinas in procinctu habuiſſe tradit: atque inibi quædam notata de Gracchi fiſtula concionatoria. 19

12 Virgo Veſtæ quid ætatis, ex quali familia, & quo ritu quibuſque cærimoniis & religionibus, ac quo nomine à pontifice maximo capiatur, & quo ſtatim jure eſſe incipiat ſimulatque capta eſt: quodque, ut Labeo dicit: nec illa inteſtato cuiquam, nec ei inteſtatæ quiſquam jure hæres eſt. 22

13 Quæſitum in philoſophia, quidnam foret in recepto mandato rectius, idne omnino facere quod mandatum eſt; an nonnumquam etiam contra, ſi id ſperes ei qui mandavit utilius fore: ſuperque ea quæſtione expoſitæ diverſæ ſententiæ. 24

14 Quid dixerit feceritque C. Fabricius, magna vir gloria magniſque rebus geſtis, ſed familiæ pecuniæque inops; quum ei Samnites tamquam indigenti grave aurum donarent. 26

15 Quàm importunum vitium ſit, plenumque odii ſutilis inaniſque loquacitas, & quàm multis in locis à principibus utriuſque linguæ viris deteſtatione juſta culpata ſit. ibid.

16 Quòd

16 *Quòd verba isthæc Quadrigarii ex annali tertio*, ibi mille hominum occiditur, *non licentia neque de poëtarum figura, sed ratione certa & proba grammaticæ disciplinæ dicta sunt.* 29

17 *Quanta cum animi æquitate toleraverit Socrates uxoris ingenium intractabile: atque inibi, quid M. Varro in quadam satira de officio mariti scripserit.* 30

18 *Quòd M. Varro in quartodecimo Humanarum L. Ælium magistrum suum περὶ ἐτυμολογίας differentem falsa reprehenderit, quodque idem Varro in eodem libro furis ἔτυμον dicit falsum.* 31

19 *Historia super libris Sibyllinis ac de Tarquinio Superbo rege.* 32

20 *Quid geometræ dicant schemata, quibusque omnia ista Latinis vocabulis appellentur.* 33

21 *Quòd Julius Higinius affirmatissimè contenderit legisse se librum P. Virgilii domesticum in quo scriptum esset*, & ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror, *non, quod vulgus legeret*, sensu torquebit amaro. 34

22 *An, qui causas defendit, rectè Latineque dicat* supereſſe se ei quod defendit; *&*, supereſſe, *propriè quid sit.* 35

23 *Quis fuerit Papirius prætextatus, quæve istius causæ cognomenti sit: historiaque ista omnis super eodem Papirio cognitu jucunda.* 37

24 *Tria epigrammata trium veterum poëtarum*, Nævii, Plauti, Pacuvii; *quæ facta ab ipsis sepulcris ipsorum incisa sunt.* 39

25 *Quibus verbis M. Varro* inducias *definierit: quæsitumque inibi curiosius quænam ratio sit vocabuli* inducia-rum. 40

26 *Quem in modum mihi Taurus philosophus respondерit percunctanti an sapiens irasceretur.* 41

Commentario secundo hæc insunt.

1 *Quo genere solitus sit philosophus Socrates exercere patientiam corporis: deque ejusdem viri patientia.* 43
2 *Quæ ratio observatioque officiorum esse debeat inter patres filiosque in discumbendo sedendoque, atque in id genus rebus domi foriſque, si filii magistratus sunt & patres privati: superque ea re Tauri philosophi dissertatio, & exemplum ex historia Romana petitum.* ibid.
3 *Qua ratione verbis quibusdam vocabulisque veteres immiserint,* h, *litteræ spiritum.* 45
4 *Quam ob causam Gabius Bassus genus quoddam judicii divinationem appellari scripsit, & quam alii causam esse ejusdem vocabuli dixerint.* 46
5 *Quàm lepidè designateque dixerit Favorinus philosophus quid interſit inter Platonis & Lysiæ orationem.* 47
6 *Quibus verbis ignaviter & abjectè Virgilius usus esse dicatur, & quid his qui id improbè dicunt respondeatur.* ibid.
7 *De officio erga patres liberorum: deque ea re ex philosophiæ libris, in quibus scriptum quæsitumque est, an semper omnibusque patris jussis obsequendum sit.* 50
8 *Quòd parum æqua reprehensio Epicuri à Plutarcho peracta sit in syllogismi disciplina.* 52
9 *Quod Plutarchus evidenti calumnia verbum ab Epicuro dictum insectatus sit.* 53
10 *Quid sint* faviſſæ Capitolinæ, *& quid super eo verbo M. Varro Servio Sulpicio quærenti rescripserit.* ibid.
11 *De Siccio Dentato, egregio bellatore, multa memoratu digna.* 54
12 *Considerata perpensaque lex quædam Solonis, speciem habens primorem iniquæ injustæque legis, sed ad usum emolumentumque salubritatis penitus reperta.* ibid.
13 Liberos *in multitudinis numero etiam unum filium filiamve veteres dixisse.* 56

14 *Quod*

14 *Quod M. Cato in libro, qui inscriptus est contra Tiberium exsulem, stitisses* vadimonium, *per* i *litteram dicit, non stetisses: ejusque verbi ratio reddita.* ibid.
15 *Quod antiquitus ætati senectæ potissimum habiti sunt ampli honores: & cur postea ad maritos & patres idem isti honores delati sint, atque ibi quædam de capite legis Juliæ septimo.* 57
16 *Quod Cæsellius Vindex à Sulpicio Apollinari reprehensus est in sensus Virgiliani enarratione.* 58
17 *Cujusmodi naturam esse quarundam præpositionum M. Cicero animadverterit: disceptatumque ibi super eo ipso quod Cicero observaverat.* 59
18 *Quod Phædon Socraticus servus fuit; quodque item alii philosophi complusculi servitutem servierunt.* 60
19 Rescire *verbum quid sit, & quam habeat veram atque propriam significationem.* 61
20 *Quæ vulgo dicuntur* vivaria, *id vocabulum veteres non dixisse, & quid pro eo P. Scipio in oratione ad populum, quid postea M. Varro in libris de re rustica dixerit usurpatum.* 62
21 *Super eo sidere, quod Græci ἅμαξαν, nos septemtriones vocamus: ac de utriusque vocabuli ratione & origine.* 63
22 De *vento japyge, deque aliorum ventorum vocabulis regionibusque accepta è Favorini sermonibus.* 65
23 *Consultatio dijudicatioque locorum facta ex comœdia Menandri & Cæcilii, quæ Plocium inscripta est.* 68
24 De *vetere parsimonia, deque antiquis legibus sumptuariis.* 71
25 *Quid Græci ἀναλογίαν, quid contra ἀνωμαλίαν vocent.* 73
26 *Sermones M. Frontonis & Favorini philosophi de generibus colorum vocabulisque eorum Græcis & Latinis: atque inibi color spadix cujusmodi sit.* 74
27 *Quid T. Castricius existimaverit super Sallustii verbis* & De-

& Demosthenis, quibus alter Philippum descripsit, alter Sertorium. 77
28 Non esse compertum, cui deo rem divinam fieri oporteat, quum terra movet 78
29 Apologus Æsopi Phrygis memoratu non inutilis. 79
30 Quid observatum sit in undarum motibus, quæ in mari alio atque alio modo fiunt austris flantibus aquilonibusque. 81

Commentario tertio hæc insunt.

1 Quæsitum ac tractatum, quam ob causam Sallustius avaritiam dixerit non animum modò virilem, sed corpus quoque ipsum effeminare. 82
2 Quemnam esse natalem diem M. Varro dicat eorum qui ante noctis horam sextam postve eam nati sunt: atque inibi de temporibus terminisque dierum, qui civiles nominantur & usquequaque gentium variè observantur: & præterea quid Q. Mucius scripserit super ea muliere, quam maritus non jure usurpavisset, quia rationem civilis anni non habuerit. 84
3 De noscendis explorandisque Plauti comœdiis, quoniam promiscè veræ atque falsæ nomine ejus inscriptæ feruntur: atque inibi, quòd Plautus in pistrino, & Nævius in carcere, fabulas scriptitarint. 86
4 Quòd P. Africano & aliis tunc viris nobilibus ante ætatem senectam, barbam & genas radere moris fuit. 88
5 Deliciarum vitium & mollities oculorum & corporis ab Arcesilao philosopho cuidam opprobrata acerbè simul & festiviter. 89
6 De vi atque natura palmæ arboris, quòd lignum ex ea ponderibus impositis renitatur. ibid.
7 Historia ex annalibus sumta de Q. Cædicio tribuno militum; verbaque ex Originibus M. Catonis apposita, quibus Cædicii virtutem cum Spartano Leonida æquiperat. 90

8 *Litteræ eximiæ consulum C. Fabricii & Æmilii ad regem Pyrrhum à Q. Claudio scriptore historiarum in memoriam datæ.* 92

9 *Quis & cujusmodi fuerit qui in proverbio fertur* equus Sejanus: *& qualis color equorum sit qui* spadices *vocantur; deque istius vocabuli ratione.* 93

10 *Quod est quædam septenarii numeri vis & facultas in multis naturæ rebus animadversa, de qua M. Varro in hebdomadibus disserit copiosè.* 94

11 *Quibus & quam frivolis argumentis Accius in Didascalicis utatur, quibus docere nititur Hesiodum esse quam Homerum natu antiquiorem.* 97

12 *Largum atque avidum bibendi, à Publio Nigidio doctissimo viro, novo & propemodum absurdo vocabulo* biboſum *dictum.* 98

13 *Quod Demosthenes, etiam tum adolescens, quum Platonis philosophi discipulus foret, audito forte Callistrato rhetore in concione populi, destitit à Platone, & sectatus est Callistratum.* ibid.

14 Dimidium librum legi, *aut*, dimidiam fabulam audivi, *aliaque ejuscemodi qui dicat, vitiosè dicere: ejusque vitii causas reddere M. Varronem nec quemquam veterum iisce verbis ita usum esse.* 99

15 *Exstare in litteris, perque hominum memorias traditum, quod repentè multis mortem attulit gaudium ingens insperatum; intercluſa anima & vim magni novique metus non sustinente.* 101

16 *Temporis varietas in puerperiis mulierum quænam sit & à medicis & philosophis tradita. atque inibi poëtarum quoque veterum super eadem re opiniones, multaque alia auditu atque memoratu digna: verbaque ipsa Hippocratis medici ex libro illius sumta, qui inscriptus est* περὶ τροφῆς. 102

17 *Id quoque esse à gravissimis viris memoriæ mandatum, quod tres libros Plato Philolai Pythagorici & Aristoteles pau-*

pauculos Speusippi philosophi mercati sunt pretiis fidem non capientibus. 105

18 *Quid sint* pedarii senatores, *& quam ob causam ita appellati: quamque habeant originem verba hæc ex edicto tralaticio consulum*, SENATORES. QUIBUS. QUE. IN. SENATU. SENTENTIAM. DICERE. LICET. 106

19 *Qua ratione Gabius Bassus scripserit* parcum *hominem appellatum: & quam ejus vocabuli causam putarit; & contra, quem in modum quibusque verbis Favorinus hanc traditionem ejus eluserit.* 107

Commentario quarto hæc insunt.

1 *Sermo quidam Favorini philosophi cum grammatico jactantiore factus in Socraticum modum: atque inibi in sermone dictum, quibus verbis* penus *à Q. Scævola definita sit, quodque eadem definitio culpata reprehensaque est.* 108

2 *Quid differant* morbus *&* vitium; *& quam vim habeant vocabula ista in edicto ædilium: & an eunuchus & steriles mulieres redhiberi possint, diversæque super ea re sententiæ.* 111

3 *Quod nullæ fuerint rei uxoriæ actiones in urbe Roma ante Carvilianum divortium: atque inibi quid sit propriè* pellex, *quæque ejus vocabuli ratio sit.* 113

4 *Quid Servius Sulpicius, in libro, qui est de dotibus, scripserit de jure atque more veterum sponsaliorum.* 114

5 *Historia narrata de perfidia haruspicum Etruscorum, quodque ob eam rem versus hic à pueris Romæ urbe totâ cantatus est*: Malum consilium consultori pessimum est. ibid.

6 *Verba veteris senatusconsulti, in quo decretum est hostiis majoribus expiandum, quod in sacrario hastæ Martiæ movissent: atque inibi enarratum quid sint* hostiæ succidaneæ, *quid item* tempora præcidanea; *quódque Capito Atejus* ferias *quasdam* præcidaneas *appellavit.* 115

7 De

7 De epistola Valerii Probi grammatici ad Marcellum scripta, super accentu nominum quorumdam Pœnicorum 117

8 Quid C. Fabricius de Cornelio Rufino homine avaro dixerit; quem, quum odisset, inimicusque esset, designandum tamen consulem curavit. ibid.

9 Quid significet propriè religiosus, & in quæ diverticula significatio vocabuli istius flexa sit, & verba Nigidii Figuli ex commentariis ejus super ea re sumta. 118

10 Quid observatum de ordine rogandarum sententiarum in senatu, jurgiorumque in senatu C. Cæsaris consulis & M. Catonis diem dicendo eximentis. 120

11 Quæ qualiaque sint quæ Aristoxenus quasi magis comperta de Pythagora memoriæ commendavit: & quæ item Plutarchus eumdem in modum de eodem Pythagora scripsit. 121

12 Notæ & animadversiones censoriæ in veteribus monutis repertæ memoria dignæ. 123

13 Quod incentiones quædam tibiarum certo modo factæ ischiacis mederi possint. ibid.

14 Narratur historia de Hostilio Mancino ædili & Mamilia meretrice: verbaque decreti tribunorum ad quos à Mamilia provocatum est. 124

15 Defensa à culpa sententia ex historia Sallustii, quam inimici ejus cum insectatione malignè reprehenderint. ibid.

16 De vocabulis quibusdam à Varrone & Nigidio, contra quotidiani sermonis consuetudinem, declinatis: atque inibi, id genus quædam cum exemplis veterum relata. 126

17 De natura quarumdam particularum, quæ præpositæ verbis intendi atque produci barbarè atque inscitè videntur, exemplis rationibusque plusculis disceptatum. 127

18 De Africano superiore sumta quædam ex annalibus memoratu dignissima. 129

10 Quod

19 *Quod Marcus Varro in Logistorico scripserit de moderando victu puerorum impubium.* 130
20 *Notati à censoribus, qui audientibus iis dixerant joca quædam intempestiviter: ac de ejus nota deliberatum, qui steterat fortè apud eos oscitabundus.* 131

Commentario quinto hæc insunt.

1 *Quod Musonius philosophus reprehendit improbavitque laudari philosophum differentem à vociferantibus & in laudando gestientibus.* 132
2 *Super equo Alexandri regis, qui* Bucephalus *appellatus est.* 133
3 *Quæ causa, quodque initium fuisse dicatur Protagoræ ad philosophiæ litteras adeundi.* 134
4 *De verbo* duo & vicesimo, *quod vulgo incognitum, à viris doctis multifariam in libris scriptum est.* 135
5 *Cujuscemodi ioco cavillatus sit Antiochum regem Pœnus Hannibal.* ibid.
6 *De coronis militaribus, quæ sit earum* triumphalis, *quæ* obsidionalis, *quæ* civica, *quæ* muralis, *quæ* castrensis, *quæ* navalis, *quæ* ovalis, *quæ* oleaginea. 136
7 Personæ *vocabulum quam lepidè interpretatus sit, quamque esse vocis ejus originem dixerit Gabius Bassus.* 138
8 *Defensus error à Virgilii versibus, quos arguerat Julius Higinius grammaticus, & ibidem quid sit* lituus; *deque etymologia vocis.* 139
9 *Historia de Crœsi filio sumta ex Herodoti libris.* 140
10 *De argumentis quæ Græcè* ἀντιστρέφοντα *appellantur, à nobis reciproca dici possunt.* 141
11 *Biantis de re uxoria syllogismum non videri posse* ἀντιστρέφοντα. 142
12 *De nominibus deorum populi Romani* Dijovis & Vejovis 143
13 *De officiorum gradu atque ordine moribus populi Romani observato.* 145

14 *Quod Appion doctus homo, qui Pliſtonices appellatus eſt, vidiſſe ſe Romæ ſcripſit recognitionem inter ſe mutuam ex vetere notitia hominis & leonis.* 146

15 *Corpuſne ſit vox, an ἀσώματον, varias eſſe philoſophorum ſententias.* 149

16 *De vi oculorum atque videndi rationibus.* 150

17 *Quam ob cauſam dies primi poſt kalendas, nonas, idus, atri habeantur: & cur diem quoque quartum ante kalendas, vel nonas, vel idus, quaſi religioſum plerique vitant.* ibid.

18 *In quid & quantum differat hiſtoria ab annalibus: ſuperque ea re verba poſita ex libro rerum geſtarum Sempronii Aſellionis primo.* 151

19 *Quid ſit* adoptatio, *quid item ſit* arrogatio, *quantumque hæc inter ſe differant; verbaque ejus quæ qualiaque ſint, qui in liberis arrogandis ſuper ea re populum rogat.* 152

20 *Quod vocabulum Latinum* Solœciſmo *fuerit Capitoni Sinnio; quid autem id ipſum appellaverint veteres Latini; quibuſque verbis Solœciſmum definierit idem Capito Sinnius.* 154

21 Pluria *qui dicat &* compluria *&* compluries, *non barbarè dicere, ſed Latinè.* 155

Commentario ſexto hæc inſunt.

1 *Quem in modum reſponderit Chryſippus adverſus eos qui providentiam conſiſtere negaverunt.* 157

2 *Quo itidem modo & vim neceſſitatemque fati conſtituerit, & eſſe tamen in nobis conſilii judiciique noſtri arbitrium confirmaverit.* 158

3 *Hiſtoria ſumpta ex libris Tuberonis de ſerpente inuſitatæ longitudinis.* 160

4 *Quid idem Tubero novæ hiſtoriæ de Attilio Regulo à Karthaginienſibus capto litteris mandaverit: quid etiam Tuditanus ſuper eodem Regulo ſcripſerit.* 161

5 *Quod Alphenus juriſconſultus in verbis veteribus interpretandis erraverit.* 162

6 *Temerè inepteque reprehensum esse à Julio Higino Virgilium, quod* præpetes *Dædali pennas dixit: atque ibi quid sint aves* præpetes, *& quid illæ sint aves quas Nigidius* inferas *appellavit.* 163

7 *De Acca Laurentia & Caja Tarratia; deque origine sacerdotii* fratrum arvalium 164

8 *Notata quædam de rege Alexandro & de P. Scipione memoratu digna.* 165

9 *Locus exemtus ex annalibus L. Pisonis historiæ & orationis lepidissimæ.* 166

10 *Historia super Euclide Socratico, cujus exemplo Taurus philosophus adhortari adolescentes suos solitus est ad philosophiam graviter sectandam.* 167

11 *Verba ex oratione Q. Metelli Numidici, quæ libuit meminisse ad officium gravitatis dignitatisque vitæ ducentia.* 168

12 *Quòd neque* testamentum, *sicuti Servius Sulpicius existimavit, neque* sacellum, *sicuti C. Trebatius, duplicia verba sunt, sed à testatione productum alterum, alterum à sacro diminutum.* 169

13 *De quæstiunculis apud Taurum philosophum in convivio agitatis, quæ symposiacæ vocantur.* ibid.

14 *Pœniendis peccatis tres esse rationes à philosophis attributas, & quamobrem Plato tantùm duarum ex his meminerit.* 171

15 *De verbo* quiesco, *an è littera corripi an produci debeat.* 172

16 *Notatum verbum* deprecor *à poëta Catullo inusitatè quidem, sed aptè positum & propriè: deque ratione ejus verbi exemplisque veterum scriptorum.* 173

17 *Quis omnium primus libros publicè præbuerit legendos, quantusque numerus fuerit Athenis ante clades Persicas librorum in bibliothecis publicorum.* 174

Commentario septimo hæc insunt.

1 *Admiranda quædam de P. Africano superiore ex annalibus sumta.* 175

2 De Caſellii Vindicis pudendo errore, quem offendimus in libris ejus, quos inſcripſit antiquarum lectionum. 177
3 Quid Tullius Tiro Ciceronis libertus reprehenderit in M. Catonis oratione, quam pro Rhodienſibus in ſenatu dixit; & quid ad ea quæ reprehenderat reſponderimus. 178
4 Cujuſmodi ſervos, & quam ob cauſam Cælius Sabinus juris civilis auctor pileatos venundari ſolitos ſcripſerit, & quæ mancipia ſub corona more majorum venierint: atque idipſum ſub corona, quid ſit. 186
5 Hiſtoria de Polo hiſtrione memoratu digna. 187
6 Quid de quorumdam ſenſuum naturali deſectione Ariſtoteles ſcripſerit. ibid.
7 An affatim quaſi admodum prima acuta pronunciandum ſit, & quædam itidem non incuriosè tractata ſuper aliarum vocum accentibus. 188
8 Res ultra fidem tradita ſuper amatore delfino & puero amato. 189
9 Pepoſci & memordi, pepigi, ſpepondi & occecurri plerosque veterum dixiſſe, non, uti poſtea receptum eſt dicere, per o aut per u litteram in prima ſyllaba poſitam, ſed per e: atque id Græca rationis exemplo dixiſſe. præterea notatum, quod viri non indocti neque ignobiles a verbis deſcendo non deſcendi, ſed deſcendidi dixerunt. 190
10 Uſuſcapio ut copulatè & recto vocabuli caſu dicitur, ita pignoriſcapio conjunctè & eadem vocabuli forma dictum eſt. 192
11 Neque levitatem neque nequitiam ea ſignificatione eſſe, qua in vulgi ſermocinio dicantur. ibid.
12 De tunicis chiridotis, quod earum uſum P. Africanus Sulpicio Gallo objecit. 194
13 Quem claſſicum dicat M. Cato, quem infra claſſem. 195
14 De tribus dicendi generibus, ac de tribus philoſophis qui ab Athenienſibus ad ſenatum Romanum legati ſunt. ibid.
15 Quam ſevere moribus majorum in fures vindicatum ſit, & quid ſcripſerit Mucius Scævola ſuper eo quod ſervandum

dum datum commendatumve esset. 196

16 *Locus exscriptus è satira M. Varronis, quæ* περὶ ἐδεσμάτων *inscripta est, de peregrinis ciborum generibus: & appositi versus Euripidi, quibus delicatorum hominum luxuriantem gulam confutavit* 297

17 *Sermo habitus cum grammatico insolentiarum & imperitiarum pleno de significatione vocabuli, quod est,* obnoxius: *deque ejus vocis origine.* 198

18 *De observata custoditaque apud Romanos jurisjurandi sanctimonia: atque inibi de decem captivis, quos Hannibal Romam de jurio ab iis accepto legavit.* 200

19 *Historia ex annalibus sumta de Tiberio Sempronio Graccho, patre Gracchorum, tribuno plebei: atque inibi tribunicia plebis decreta cum ipsis verbis relata.* 201

20 *Quod Virgilius ob aquam à Nolanis sibi non permissam sustulit è versu suo,* Nola, *& posuit,* Ora: *atque ibi quædam alia de consonantia litterarum jucunda.* 203

21 Quoad vivet, *&,* quoad morietur, *cur id ipsum temporis significent, quum ex duobus sint facta contrariis.* 204

22 *Quòd censores equum adimere soliti sint equitibus corpulentis & præpinguibus: quæsitumque utrum ea res cum ignominia an incolumi dignitate equitum facta sit.* ibid.

Commentario octavo hæc insunt.

1 Hesterna noctu *rectene an cum vitio dicatur: & quænam super istis verbis grammatica traditio sit: item quod* x viri *in* xii *tabulis* nox *pro* noctu *dixerunt.* 205

2 *Quæ mihi decem verba ediderit Favorinus, quæ usurpentur quidem à Græcis, sed sint adulterina & barbara, quæ item à me totidem acceperit, quæ ex medio communique usu Latinè loquentium minime Latina sint, neque in veterum libris reperiantur.* ibid.

3 *Quẽ in modum & quàm severe increpuerit audientibus nobis Peregrinus philosophus adolescentem Romanum, ex equestri familia, flantem segnem apud se & assidue oscitantem.* 206

4 Quòd

4 *Quòd Herodotus scriptor historiæ memoratissimus parum vere dixerit, unam solamque pinum arborum omnium casam numquam denuo ex iisdem radicibus pullulare, & quod item de aqua pluviali & nive rem non satis exploratam pro comperta posuerit.* ibid.

5 *Quid illud sit quòd Virgilius* cœlum stare pulvere, *& quod Lucilius* pectus sentibus stare *dixit.* 206

6 *Quum post offensiunculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minime utile esse: superque ea re & sermo Tauri expositus & verba ex Theophrasti libro sumta, & quid M. quoque Cicero de amore amicitiæ senserit, cum ipsius verbis additum.* ibid.

7 *Ex Aristotelis libro, qui περὶ τῆς μνήμης inscriptus est, cognita acceptaque de natura & habitu memoriæ: atque inibi alia quædam de exuberantia aut interitu ejus lecta auditaque.* ibid.

8 *Quid mihi usu venerit interpretari & quasi effingere volenti locos quosdam Platonicos Latina oratione.* ibid.

9 *Quòd Theophrastus philosophus, omnium suæ ætatis facundissimus, verba pauca ad populum Athenienſem facturus, deturbatus verecundia obticuerit, quodque idem hoc Demosthenis apud Philippum regem verba facienti evenerit.* ibid.

10 *Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam præstigioso, tempora verborum & meditamenta puerilia ignorante, remotarum autem quæstionum nebulas & formidines capiendis imperitorum animis ostentante.* ibid.

11 *Quàm festive responderit Xanthippæ uxori Socrates petenti, ut per Dionysia largiore sumtu cœnitarent.* ibid.

12 *Quid significet in veterum libris scriptum,* plerique omnes: *& quod ea verba accepta à Græcis videntur.* ibid.

13 Qupsones, *quod homines Afri dicunt, non esse verbum Pœnicum sed Græcum.* ibid.

14 *Lepidissima altercatio Favorini philosophi adversus quemdam intempestivum de ambiguitate verborum disserentem;*

atque inibi verba quædam ex Nævio poëta & Cn. Gellio non usitate collocata, atque ibidem à P. Nigidio origines vocabulorum explorata. ibid.

15 Quibus modis ignominiatus tractatusque sit à C. Cæsare Laberius poëta: atque inibi appositi versus super eadem re ejusdem Laberii. ibid.

Commentario nono hæc insunt.

1 Quamobrem Q. Claudius Quadrigarius in duodeviceſimo annali scripserit rectiores certioresque ictus fieri, si sursum quid mittas, quàm si deorsum. 208

2 Quibus verbis notarit Herodes Atticus falso quempiam cultu amictuque nomen habitumque philosophi ementientem. 209

3 Epistola Philippi regis ad Aristotelem philosophum super Alexandro recens nato. 210

4 De barbararum gentium prodigiosis miraculis, deque diris & exitiosis fascinationibus: atque inibi de feminis repente versis in mares. 211

5 Diversa nobilium philosophorum sententia de genere ac natura voluptatis: verbaque Hieroclis philosophi, quibus decreta Epicuri insectatus est. 214

6 Verbum quod est ab ago frequentativum, prima syllaba quonam sit modulo pronunciandum. 215

7 De conversione foliorum in arbore olea, brumali & solstitiali die; deque fidibus iis temporibus ictu alieno sonantibus. ibid.

8 Necessum esse, qui multa habeat, multis indigere: deque ea re Favorini philosophi cum brevitate eleganti sententia. 216

9 Quis modus sit verba vertendi in Græcas sententias, deque iis Homeri versibus quos Virgilius vertisse aut bene apteque aut improspere existimatus est. ibid.

10 Quòd Annæus Cornutus versus Virgilii, quibus Veneris & Vulcani concubitum pudice operteque dixit, reprehensione spurca & odiosa inquinavit. 219

11 De Valerio Corvino: & unde Corvinus. 220

12 De verbis quæ in utramque partem significatione reciprocâ & adversa dicuntur. 221
13 Verba ex historia Claudij Quadrigarii, quibus Manlij Torquati nobilis adolescentis & hostis Galli provocatoris pugnam depinxit. 223
14 Quod idem Quadrigarius, hujus facies, patrio casu probe & Latine dixit; & quædam alia apposita de similium vocabulorum declinationibus. 225
15 De genere controversiæ quod Græce ἄπορον appellatur. 227
16 Quòd Plinium Secundum, hominem non indoctum fugerit latueritque vitium argumenti, quod ἀντίστρεφον Græci dicunt. 228

Commentario decimo hæc insunt.

1 Tertium-ne consul an tertio dici oporteat; & quonam modo Cn. Pompejus, quum in theatro, quod erat dedicaturus, honores suos inscriberet, quæstionem anceps istius verbi de consilio Ciceronis vitaverit. 229
2 Quid Aristoteles de numero puerperij memoriæ mandaverit. 230
3 Locorum quorumdam illustrium collatio contentioque facta ex orationibus C. Gracchi & M. Ciceronis & M. Catonis. 231
4 Quod P. Nigidius argutissimè docuit nomina non positiva esse, sed naturalia. 234
5 Avarus simplexne vocabulum sit, an compositum & duplex, sicuti P. Nigidio videtur. 235
6 Multam dictam esse ab ædilibus plebei Appii Cæci filiæ, mulieri nobili, quod loquuta esset petulantius. 236
7 Fluminum, quæ ultra imperium Romanum fluunt, prima magnitudine esse Nilum, secunda Histrum, proxima Rhodanum, sicuti M. Varronem memini scribere. ibid.
8 Inter ignominias militares, quibus milites coërcebantur, fuisse sanguinis dimissionem; & quænam esse videatur causa hujuscemodi castigationis. 237
9 Quibus modis quoque habitu acies Romana instrui solita sit,

quæque earum instructionum sint vocabula. ibid.

10 *Quæ ejus rei causa sit, quod & Græci veteres & Romani annulum in eo digito gestaverunt qui est in manu sinistra minimo proximus.* 238

11 *Verbum* maturè, *quid significet: quæque vocis ejus ratio sit: & quod eo verbo vulgus hominum improprie utitur: atque inibi, quod* præcox *declinatum* præcocis *facit, non* præcoquis. ibid

12 *De portentis fabularum, quæ Plinius Secundus indignissime in Democritum philosophum confert: ibidem de simulachro volucri columbæ.* 239

13 Cum partim hominum, *qua ratione veteres dixerint.* 241

14 Injuria mihi factum itur, *quali verborum ordine Cato dixerit.* 242

15 *De flaminis Dialis, deque flaminicæ cærimoniis; verbaque ex edicto prætoris apposita, quibus dicit non coacturum se ad jurandum neque virgines Vestæ neque Dialem.* ibid.

16 *Quos errores Julius Higinius in sexto Virgilii animadverterit in historia Romana erratos.* 244

17 *Quam ob causam & quali modo Democritus philosophus luminibus oculorum sese privaverit; & super ea re versus Laberii purè admodum & venustè facti.* 246

18 *Historia de Artemisia, deque eo certamine quod apud Mausoli sepulchrum à scriptoribus inclutis decertatum est.* 247

19 *Non purgari neque lavari peccatum, dum prætenditur peccatorum, quæ alii quoque peccaverunt, similitudo: atque inibi verba ex oratione super ea re Demosthenis.* 248

20 *Quid sit* rogatio, *quid* lex, *quid* plebiscitum, *quid* privilegium, *& quantum ista omnia differant.* 249

21 *Quam ob causam M. Cicero his omnino verbis* novissimè *&* novissimus *uti observantissimè vitarit.* 250

22 *Locus exemtus ex Platonis libro, qui inscribitur Gorgias,* de

de falsæ philosophiæ probris, quibus philosophos temerè incessuit, qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant. 251

23 *Verba ex oratione M. Catonis de mulierum veterum victu & moribus: atque inibi, quod fuerit jus marito in adulterio uxorem deprehensam necare.* 254

24 Die pristini, die crastini, & die quarti, & die quinti *qui eligantius loquuti sunt dixisse, non ut ea vulgo dicuntur nunc.* 255

25 *Telorum & jaculorum gladiorumque, atque inibi navium quoque vocabula, quæ scripta in veterum libris reperiuntur.* 256

26 *Inscitè ab Asinio Pollione reprehensum Sallustium, quòd transfretationem* transgressum *dixerit*; & transgressos *qui transfretassent.* 257

27 *Historia de populo Romano deque populo Pœnico, quòd pari propemodum vigore fuerint æmuli.* 259

28 *De ætatium finibus* pueritiæ, juventæ, senectæ *ex Tuberonis historia sumptum.* ibid.

29 *Quòd particula*, atque, *non complexiva tantum sit, sed vim habeat plusculam variamque.* 260

Commentario undecimo hæc insunt.

1 *De origine vocabuli terræ Italiæ, deque ea multa, quæ* suprema *appellatur, deque ejus nominis ratione: ac de lege Ateria, & quibus verbis antiquitus multa minima dici solita sit.* 261

2 *Quòd* eligantia *apud antiquiores non de amœniore ingenio, sed de nitidiore cultu atque victu dicebatur, eaque in vitio ponebatur.* 262

3 *Qualis quantaque sit* pro *particulæ varietas; deque exemplis ejus varietatis.* 263

4 *Quem in modum Q. Ennius versus Euripidi æmulatus sit.* 264

5 *De Pyrrhoniis philosophis quædam, deque Academicis strictim notata, deque inter eos differentia.* 265

6 *Quòd mulieres Romæ per Herculem non juraverunt, neque viri per Castorem.* 266

7 *Verbis antiquissimis relictisque jam & desitis minimè utendum.* 267

8 *Quid senserit dixeritque M. Cato de Albino, qui homo Romanus Græca oratione res Romanas, venia sibi ante ejus imperitiæ petita, composuit.* 268

9 *Historia de legatis Mileti & Demosthene rhetore in libris Critolai reperta.* 269

10 *Quòd C. Gracchus in oratione sua historiam suprascriptam Demadi rhetori, non Demostheni, attribuit: verbaque ipsius C. Gracchi relata.* ibid.

11 *Verba P. Nigidii, quibus differre dicit* mentiri & mendacium dicere. 270

12 *Quod Chrysippus philosophus omne verbum ambiguum dubiumque esse dicit, Diodorus contra nullum verbum ambiguum esse putat.* 271

13 *Quid T. Castricius de verbis deque sententia quadam C. Gracchi existimaverit; quodque esse eam sine ullo sensus emolumento docuerit.* ibid.

14 *Sobria & pulcherrima Romuli Regis responsio circa vini usum.* 273

15 De ludibundo & errabundo, *atque id genus verborum productionibus, & quod Laberius sic* amorabundam *dixit, ut dicitur* ludibunda & errabunda: *atque inibi quod Sisenna per hujuscemodi verbum nova figura usus est.* 274

16 *Quod Græcorum quorumdam verborum difficillima est in Latinam linguam mutatio: velut quod Græcè dicitur,* πολυπερασμοσυνή. 275

17 *Quid significet in veteribus prætorum edictis,* qui flumina retanda publicè redemta habent. 277

18 *Qua pœna Draco Athenienſis in legibus, quas populo Athenienſi scripsit, fures affecerit, & qua postea Solon, & qua item* X *viri nostri, qui* XII *tabulas scripserunt: atque inibi adscriptum quod apud Ægyptios furta licita & permissa sunt,*

sunt, apud Lacedæmonios autem cum studio quoque affectata & pro exercitio utili celebrata, ac præterea M. Catonis de pœniendis furtis digna memoriâ sententia. ibid.

Commentario duodecimo hæc insunt.

1 *Dissertatio Favorini philosophi, qua suasit nobili fœminæ, uti liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret.* 280

2 *Quod Annæus Seneca judicans de Q. Ennio deque M. Tullio, levi futilique judicio fuit.* 284

3 Lictoris *vocabulum qua ratione conceptum ortumque sit; & super eo diversæ sententiæ Valgii Rufi & Tullii Ciceronis.* 286

4 *Versus accepti ex Q. Ennii septimo annalium, quibus depingitur finiturque ingenium comitasque hominis erga amicum superiorem.* ibid.

5 *Sermo Tauri philosophi de modo atque ratione tolerandi doloris secundùm Stoïcorum decreta.* 288

6 *De ænigmate.* 292

7 *Quam ob caussam Cn. Dolabella proconsul ream mulierem veneficii, confitentemque, ad Areopagitas rejecerit.* ibid.

8 *Reditiones in gratiam nobilium virorum memoratu dignæ.* 293

9 *Quæ dicantur vocabula ancipitia: & quod* honoris *quoque vocabulum ancipiti sententia fuerit.* 294

10 *Quod* æditumus *verbum Latinum sit.* 295

11 *Errare istos qui spe & fiducia latendi peccent; quum latebra peccati perpetua nulla sit: & super ea re Peregrini philosophi sermo ex Sophocli poëtæ sententia.* ibid.

12 *Faceta responsio M. Ciceronis amolientis à se crimen manifesti mendacij.* 296

13 Intra kalendas *quum dicitur, quid significet, utrum* ante kalendas, *an* kalendis, *an utrumque: atque inibi quid sit in oratione M. Tullij,* intra Oceanum, *&* intra montem Taurum, *& in quadam epistola,* intra modum. 297

14 Saltem *particula quam vim habeat & quam originem.* 301

15 *Quod*

15 *Quod Sisenna in libris historiarum adverbiis hujuscemodi sæpenumero usus est*, celatim, vellicatim, saltuatim. 302

Commentario tertiodecimo hæc insunt.

1 *Inquisitio verborum istorum M. Tullij curiosior, quæ fuit in primo Antonianarum libro:* Multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum: *tractatumque an idem duo ista significent*, fatum *atque* natura, *an diversum.* ibid.
2 *Super poëtarum Pacuvii & Accii colloquio familiari in oppido Tarentino.* 304
3 *An vocabula hæc* necessitudo & necessitas *differenti significatione sint.* ibid.
4 *Olympiadis Alexandri matris comis ac prudens ad filium Alexandrum rescriptio.* 305
5 *De Aristotele, Theophrasto, & Menedemo philosophis: deque eleganti verecundia Aristotelis successorem diatribæ suæ eligentis.* 306
6 *Quid veteres Latini dixerunt quas Græci* πεῤῥησίας *appellant, & item quod vocabulum* barbarismi *non usurpaverint neque Romani antiquiores, neque Attici.* 307
7 *Diversum de natura leonum dixisse Homerum in carminibus, & Herodotum in historiis.* ibid.
8 *Quòd Afranius poëta prudenter & lepidè Sapientiam filiam esse Usus & Memoriæ dixit.* 309
9 *Quid Tullius Tiro in commentariis scripserit de suculis & hyadibus, quæ sunt stellarum vocabula.* 310
10 *Quod* sororis *etymon esse dixerit Labeo Antistius, & quod* fratris *Nigidius.* 311
11 *Quem M. Varro aptum justumque esse numerum convivarum existimarit: ac de mensis secundis & bellariis.* 312
12 *Tribunos plebis prensionem habere, vocationem non habere* 313
13 *Quòd in libris Humanarum M. Varronis scriptum est,* ædiles

les & quæstores populi Romani in jus à privato ad prætorem vocari posse. 315
14 *Quid sit pomœrium.* 316
15 *Verba ex libro Messalæ auguris, quibus docet qui sunt* minores magistratus; *& consulem prætoremque collegas esse: & quædam alia de auspiciis: item verba ejusdem Messalæ differentis, aliud esse* ad populum loqui, *aliud* cum populo agere: *& qui magistratus à quibus avocent comitiatum.* 317
16 Humanitatem *non id significare quod vulgus putat; sed eo vocabulo, qui sinceriter loquuti sunt magis proprie esse usos.* 318
17 *Quid apud M. Catonem significent verba hæc,* inter os atque offam. 319
18 *Platonem tribuere Euripidi Sophocli versum; & inveniri versus verbis isdem, aut paucis syllabis immutatis, apud diversos poëtas temporibus variis natos.* 320
19 *De genere atque nominibus familiæ Porciæ.* ibid.
20 *Quòd à scriptoribus elegantissimis major ratio habita sit sonitus vocum atque verborum jucundioris (quæ Græcis εὐφωνία dicitur) quàm regulæ disciplinaque quæ à grammaticis reperta est.* 322
21 *Verba T. Castricii rhetoris ad discipulos adolescentes de vestitu atque calceatu non decoro.* 326
22 *Comprecationes quæ ritu Romano fiunt diis, expositæ in libris sacerdotum; inter quas Marti* Nerienem *tribuunt, & quid* Neriene *seu* Nerio *nomen importet.* 327
23 *M. Catonis consularis & censorii pulcherrima exprobratio contra philosophantes nomine & non re.* 329
24 *Quæsitum tractatumque quid sint* manubiæ: *atque inibi dicta quædam de ratione utendi verbis pluribus idem significantibus.* 330
25 *Verba P. Nigidii quibus dicit in nomine* Valerii *in casu vocandi primam syllabam acuendam esse: & item alia*

ex

ex ejusdem verbis ad rectam scripturam pertinentia. 334
26 *De versibus, quos Virgilius sectatus videtur, Homeri ac Parthenii.* 335
27 *De sententia Panætii philosophi, quam scripsit in libro de officiis secundo; qua hortatur, ut homines ad cavendas injurias in omni loco intenti paratique sint.* 336
28 *Quod Quadrigarius* cum multis mortalibus *dixit, an quid & quantum differret si dixisset,* cum multis hominibus. 337
29 *Non hactenus esse* faciem, *qua vulgo dicitur.* 338
30 *Quid sit in satira M. Varronis,* caninum prandium 339

Commentario quartodecimo hæc insunt.

1 *Dissertatio Favorini philosophi adversus eos, qui Chaldæi appellantur, & ex cœtu motibusque siderum & stellarum fata se hominum dicturos pollicentur.* 341
2 *Quem in modum disseruerit Favorinus consultus à me super officio judicis.* 348
3 *An æmuli offensique inter sese fuerint Xenophon & Plato.* 352
4 *Quòd aptè Chrysippus & graphicè imaginem Justitiæ modulis coloribusque verborum depinxit.* 353
5 *Lis atque contentio grammaticorum Romæ illustrium enarrata super casu vocativo vocabuli, quod est,* egregius. 354
6 *Cuimodi sint, quæ speciem doctrinarum habeant: sed neque delectent neque utilia sint; atque inibi de vocabulis singularium urbium regionumque immutatis.* 356
7 *Quod M. Varro Cn. Pompejo consuli primum designato commentarium dedit, quem appellavit Isagogicum, de officio senatus habendi.* 357
8 *Quæsitum esse dissensumque, an præfectus Latinarum causa creatus jus senatus convocandi consulendique habeat.* 359

Com-

Commentario quintodecimo hæc insunt.

1 *Quòd in Q. Claudii annalibus scriptum est, lignum alumine oblitum non ardere.* 360
2 *Quod Plato in libris, quos de legibus composuit, largiores lætioresque in conviviis invitatiunculas vini non inutiles esse existimaverit.* 361
3 *Quid M. Cicero particula ista senserit scripseritque quæ præposita est verbis* aufugio *&* aufero. *& an in verbo* autumo *eadem ista hæc propositio esse videri debeat.* 363
4 *Historia de Ventidio Basso ignobili homine; quem primum de Parthis triumphasse memoriæ traditum est.* 364
5 *Verbum* profligo *à plerisque dici impropriè insciteque.* 365
6 *In libro M. Ciceronis de gloria secundo manifestum esse erratum, in ea parte in qua scriptum est super Hectore & Ajace.* 366
7 *Observatum esse in senibus, quod annum ferè ætatis tertium & sexagesimum agant aut laboribus aut interitu aut clade aliqua insignitum: atque inibi super eadem observatione exemplum appositum epistolæ divi Augusti ad Cajum filium.* 367
8 *Locus ex oratione Favorini veteris oratoris de cœnarum atque luxuriæ opprobratione; qua usus est, quum legem Liciniam de sumtu minuendo suasit.* 368
9 *Quod Cæcilius poëta* frontem *genere virili non poeticè, sed cum probatione & cum analogia appellavit.* ibid.
10 *De voluntario & admirando interitu virginum Milesiarum.* 370
11 *Verba S. C. de exigendis urbe Roma philosophis: item verba edicti censorum, quo improbati & coërciti sunt, qui disciplinam rhetoricam instituere & exercere Romæ cœperant.* ibid.
12 *Locus ex oratione Gracchi de parsimonia ac de pudicitia sua memoratissimus.* 371

13 *De verbis inopinatis, quæ utroqueversum dicuntur, & à grammaticis* communia *vocantur.* 372
14 *Quod Metellus Numidicus figuram orationis novam ex orationibus Græcis mutuatus est.* 373
15 Passis velis & passis manibus *dixisse veteres, non à verbo suo, quod est,* patior, *sed ab alieno, quod est,* pandor. 374
16 *De novo genere interitus Crotoniensis Milonis.* 375
17 *Quam ob causam nobiles pueri Athenienſium tibiis canere desierint, quum patrium istum morem canendi haberent.* ibid.
18 *Quod pugna belli civilis victoriaque C. Cæsaris, quam vicit in Pharsalicis campis, nunciata prædictaque est per cujuspiam remigis vaticinium eodem ipso die in Italia Patavij.* 376
19 *Verba M. Varronis memoriâ digna, ex satira quæ inscribitur* περὶ ἑδεσμάτων. ibid.
20 *Notata quædam de Euripidi poëtæ genere, vita, moribus, deque ejusdem fine vitæ.* 377
21 *Quod à poëtis Jovis filii prudentissimi humanissimique, Neptuni autem ferocissimi & inhumanissimi traduntur.* 378
22 *Historia de Sertorio duce, deque astu ejus commenticiisque simulamentis, quibus ad barbaros milites continendos conciliandosque sibi utebatur.* 379
23 *De ætatibus historicorum nobilium, Hellanici, Herodoti, Thucydidis.* 380
24 *Quid Vulcatius Sedigitus, in libro quem de poëtis scripsit, de comicis Latinis judicarit.* ibid.
25 *De verbis quibusdam novis, quæ in Cn. Matii mimiambis offenderamus.* 381
26 *Quibus verbis Aristoteles philosophus definierit syllogismum; ejusque definitionis interpretamentum verbis Latinis factum.* ibid.
27 *Quid sint* comitia calata, *quid* curiata, *quid* centuria-

ta,

ta, *quid* censoria, *quid* tributa, *quid* concilium: *atque inibi quædam ejusmodi.* 382

28 *Quod erravit Cornelius Nepos, quum scripsit Ciceronem tres & viginti annos natum causam pro Sex. Roscio dixisse.* 383

29 *Quali figura orationis & quàm nova L. Piso annalium scriptor usus sit.* 384

30 *Vehiculum, quod* petorritum *appellatur, cujatis linguæ vocabulum sit, Græcæ an Gallicæ.* ibid.

31 *Quæ verba legaverint Rhodii ad hostium ducem Demetrium, quum ab eo obsiderentur, super illa incluta Jalysi imagine.* 385

Commentario sextodecimo hæc insunt.

1 *Verba Musonii philosophi Græca, digna atque utilia audiri observarique, ejusdemque utilitatis sententia à M. Catone multis ante annis Numantiæ ad equites dicta.* 386

2 *Cuimodi sit lex apud dialecticos percunctandi differendique, & quæ sit ejus legis reprehensio.* ibid.

3 *Quanam ratione effici dixerit Erasistratus medicus, si cibus forte deerit, ut tolerari aliquantisper inedia possit, & tolerari fames: verbaque ipsa Erasistrati super ea re scripta.* 388

4 *Quo ritu quibusque verbis fecialis populi Romani bellum indicere solitus sit his quibus populus Romanus bellum fieri jusserat. Et item in quæ verba conceptum fuerit jusjurandum de furtis militaribus sanciendis, & uti milites scripti intra prædictum diem in loco certo frequentarent, causis quibusdam exceptis, propter quas id jusjurandum remitti æquum esset.* 389

5 Vestibulum, *quid significet; deque ejus vocabuli rationibus.* 391

6 *Hostiæ, quæ dicuntur* bidentes, *quid sunt, & quam ob causam ita appellatæ sunt: superque ea re P. Nigidii &*

Julii Higini sententiæ. 393
7 Quod Laberius verba pleraque licentius petulantiusque finxit: & quod multis item verbis utitur, de quibus, an sint Latina, quæri solet. 394
8 Quid significet & quid à nostris apellatum sit, quod ἀξίωμα dialectici dicunt, & quædam alia quæ prima in disciplina dialectica traduntur. 395
9 Quid significet verbum in libris veterum creberrime positum, susque deque 398
10 Quid sint proletarii, quid capitecensi, quid item sit in XII tabulis assiduus, & quæ ejus vocabuli ratio sit. ibid.
11 Historia ex Herodoti libris sumta de Psyllorum interitu, qui in Syrtibus Africanis colebant. 401
12 De his vocabulis quæ Cloatius Verus aut satis commodè aut nimis absurdè & illepidè ad origines linguæ Græcæ redigit. ibid.
13 Quid sit municipium, & quid à colonia differat, & quid sint municipes; quæque sit ejus vocabuli ratio ac proprietas: atque inibi quod divus Hadrianus in senatu de jure atque vocabulo municipum verba fecit. 402
14 Quod M. Cato differre dixit festinare & properare, & quam incommodè Verrius Flaccus vim verbi, quod est festinant, interpretatus sit. 404
15. Quid Theophrastus mirum de perdicibus scriptum reliquerit, & quid Theopompus de leporibus. 405
16 Agrippas à partus ægri & improsperi vitio appellatos; deque his deabus, quæ vocantur Prosa & Postverta. ibid.
17 Quæ ratio vocabuli sit agri Vaticani. ibid.
18 Lepida quædam memoratu & cognitu de parte geometriæ, quæ ὁδικὴ appellatur, & item alia κανονικὴ, & tertia itidem quæ dicitur μετρικὴ. 406
19 Sumta historia ex Herodoti libro super fidicine Arione. 407

Com-

Commentario septimodecimo hæc insunt.

1 *Quod Gallus Asinius & Largius Licinius sententiam L. Ciceronis reprehendunt ex oratione, quam dixit pro M. Cælio; & quid adversus homines stolidissimos pro eadem sententia vere dignéque dici possit.* 409

2 *Verba quædam ex Q. Claudii annalium primo cursim in legendo notata.* 410

3 *Verba M. Varronis ex libro quinto & vicesimo Humanarum, quibus contra opinionem vulgariam interpretatus est Homeri versum.* 414

4 *Quid Menander poëta Philemoni poëtæ dixerit, à quo sæpe indigne in certaminibus comœdiarum superatus est: & quod sæpissime Euripides in tragœdia ab ignobilibus poëtis victus est.* 415

5 *Nequaquam esse verum quod minutis quibusdam rhetoricæ artificibus videatur, M. Ciceronem, in libro quem de amicitia scripsit, vitioso argumento usum, ἀμφισβητούμενον ἀντὶ ὁμολογουμένου posuisse: totumque id consideratius tractatum exploratumque.* ibid.

6 *Falsum esse, quod Verrius Flaccus in secundo librorum, quos de obscuris M. Catonis composuit, de servo receptitio scriptum reliquit.* 418

7 *Verba hæc ex Atinia lege,* QUOD. SUBREPTUM. ERIT. EJUS. REI. AETERNA. AUCTORITAS. ESTO. *P. Nigidio & Q. Scævolæ visa esse non minus de præterito furto, quam de futuro cavisse.* 419

8 *In sermonibus apud mensam Tauri philosophi quæri agitarique hujusmodi solita, cur oleum sæpè & facilè, vina rarius congelascant, acetum haud fere umquam, & quod aquæ fluviorum fontiumque durentur, mare gelu non duretur.* 420

9 *De notis litterarum quæ in C. Cæsaris epistolis reperiuntur, deque aliis clandestinis litteris ex vetere historia petitis: & quid* scytale *sit* Laconica. 422

10 *Quid de versibus Virgilii Favorinus existimarit, quibus*

in deſcribenda flagrantia montis AEtnæ Pindarum poëtam ſequutus eſt: collataque ab eo ſuper eadem re utriuſque carmina & dijudicata. 424

11 *Quod Plutarchus in libris Sympoſiacis opinionem Platonis de habitu atque natura ſtomachi fiſtulæque ejus quæ τραχεῖα dicitur, adverſum Eraſiſtratum medicum tutatus eſt auctoritate adhibita antiqui medici Hippocratis.* 427

12 *De materiis infamibus, quas Græci ἀδόξους appellant, à Favorino exercendi gratia diſputatis.* 428

13 Quin, *particula quot qualeſque varietates ſignificationis habeat, & quàm ſæpe in veterum ſcriptis obſcura ſit.* 429

14 *Sententiæ ex Publii mimis ſelectæ lepidiores.* 430

15 *Quod Carneades Academicus elleboro ſtomachum purgavit ſcripturus adverſus Zenonis Stoici decreta: deque natura medelaque ellebori candidi & nigri.* 431

16 *Anates Ponticas vim habere venenis detergendis potentem: atque inibi de Mithridati regis in id genus medicamentis ſollertia.* 432

17 *Mithridatem Ponti regem quinque & viginti gentium linguis loquutum, Quintumque Ennium tria corda habere ſe dixiſſe, quod tres linguas percalluiſſet Græcam, Oſcam, Latinam.* 433

18 *Quod M. Varro C. Salluſtium hiſtoriæ ſcriptorem deprehenſum ab Annio Milone in adulterio ſcribit, & loris cæſum, pecuniaque data dimiſſum.* ibid.

19 *Quid Epictetus philoſophus dicere ſolitus ſit hominibus nequam & impuris diſciplinas philoſophiæ ſtudioſè tractantibus: & quæ duo verba obſervanda præceperit omnium rerum longè ſalubria.* 434

20 *Verba ſumta ex Sympoſio Platonis numeris coagmentiſque verborum ſcitè, modulatè, apteque exercendi gratia in Latinam orationem verſa.* 435

21 *Quibus temporibus poſt Romam conditam Græci Romani.*

nique illustres viri floruerint ante secundum bellum Karthaginiensium. 436

Commentario octavodecimo hæc insunt.

1 *Disputationes à philosopho stoico, & contrà à peripatetico, arbitro Favorino, factæ: quæsitumque inter eos, quantum in perficienda vita beata virtus valeret; quantumque esset in iis quæ dicuntur extranea.* 442

2 *Cujusmodi quæstionum certationibus Saturnalicia ludicra Athenis agitare soliti sumus: atque inibi inspersa quædam sophismata & ænigmata oblectatoria.* 444

3 *Quid Æschines rhetor in oratione, qua Timarchum de impudicitia accusavit, Lacedæmonios statuisse dixerit super sententia probatissima, quam improbatissimus homo dixisset* 446

4 *Quod Sulpicius Apollinaris prædicantem quemdam à se se uno Sallustii historias intelligi illusit, quæstione proposita, quid verba ista apud Sallustium significarent*; incertum stolidior an vanior 447

5 *Quod Q. Ennius in septimo annali* quadrupes eques, *ac non* quadrupes equus, *ut legunt multi, scriptum reliquit.* 449

6 *Quod Ælius Melissus, in libro cui titulum fecit,* de loquendi proprietate, *quem quum ederet* cornum *esse* copiæ *dicebat, rem scripsit neque dictu neque auditu dignam; quum differre* matronam *&* matremfamilias *existimavit differentia longe vanissima.* 451

7 *Quem in modum Favorinus tractaverit intempestivum quemdam de verborum ambiguitatibus quærentem: atque ibi quot significationes capiat* concio. 452

8 Ὁ'μοιοπτέλευτα ἢ ὁμοιόπτωτα, *atque alia id genus, quæ ornamenta orationis putantur, inepta esse & puerilia Lucilii quoque versibus declarari.* 454

9 *Quid significet apud M. Cat. verbum,* insecenda; *quodque* insecenda *potius legendum sit, quam, quod plerique existimant,* insequenda. ibid.

10 *Errare istos, qui in exploranda febri pulsus venarum pertentari putant, non arteriarum.* 456
11 *Verba ex carminibus Furii Antiatis inscite à Cæsellio Vindice reprehensa, versusque ipsi, in quibus ea verba sunt, subscripti.* 457
12 *Morem istum veteribus nostris fuisse, verba* patiendi *mutare ac vertere in* agendi *modum.* 458
13 *Quali talione Diogenes philosophus usus sit pertentatus à dialectico quodam sophismatio impudenti.* 459
14 *Quid sit numerus* hemiolios, *quid* epitritos, *& quòd vocabula ista non facile nostri ausi sunt vertere in linguam Latinam.* 460
15 *Quòd M. Varro in herois versibus observaverit rem nimis anxiæ & curiosæ observationis.* 461

Commentario nonodecimo hæc insunt.

1 *Responsio cujusdam philosophi interrogati quam ob causam maris tempestate palluerat.* ibid.
2 *Ex quinque corporis sensibus duos esse cum belluis maxime communes.* 464
3 *Quòd turpius est frigide laudari, quam acerbius vituperari.* 465
4 *Quamobrem venter repentino timore effluat, quare etiam ignis urinam lacessat.* 466
5 *Ex Aristotelis libris sumtum, quod nivis aqua potui pessima sit, & quod ex nive crystallus concrescat.* ibid.
6 *Quod pudor sanguinem ad extera diffundit, timor vero contrahit.* 468
7 *Quid sit* obesum; *nonnullaque alia prisca vocabula.* ibid.
8 *Quæstio an* harena, cœlum, triticum, *pluralia inveniantur: atque inibi de* quadrigis, inimicitiis, *nonnullis præterea vocabulis; an singulari numero comperiantur.* 470
9 *Antonii Juliani in convivio ad quosdam Græcos lepidissima*

ma responsio. 473
10 *Verba hæc*, præter propter, *in usu vulgi prodita, etiam Ennii fuisse.* 475
11 *Ponit versus Platonis amatorios, quos admodum juvenis lusit, dum tragœdiis contendit.* 477
12 *Dissertatio Herodis Attici super vi & natura doloris, suæque opinionis affirmatio per exemplum indocti rustici, qui cum rubis fructiferas arbores præcidit.* 478
13 *Quos* pumiliones *dicimus, Græcè νάνους appellari.* 480
14 *Contemporaneos fuisse Cæsari & Ciceroni M. Varronem & P. Nigidium ætatis suæ doctissimos Romanos: & quod Nigidii commentationes propter earum obscuritatem subtilitatemque in volgus non exeunt.* 481

Commentario vigesimo hæc insunt.

1 *Disceptatio Sex. Cæcilii jureconsulti & Favorini philosophi de legibus duodecim tabularum.* 482
2 *Vocabulum* siticinum, *in M. Catonis oratione quid significet.* 490
3 *Quam ob causam L. Accius poëta in pragmaticis* sicinnistas nebuloso nomine *esse dixerit.* 490
4 *Artificum scenicorum studium amoremque inhonestum probrosumque esse: & super ea re verba Aristotelis philosophi adscripta.* ibid.
5 *Exempla epistolarum Alexandri regis & Aristotelis philosophi ita uti sunt edita: eaque in linguam Latinam versa.* 492
6 *Quæsitum atque tractatum, utrum sit rectius dicere*, habeo curam vestri, *an* vestrum. 493
7 *Quam diversæ Græcorum sententiæ super numero Niobæ filiorum.* 495
8 *De iis quæ habere συμπάθειαν videntur cum luna augescente.* 496

9 Qua-

9 *Qualibus verbis delectari solitus sit Antonius Julianus positis in mimiambis, quos Cn. Matius scripsit* 497

10 *Quid vocabulum* ex jure manum consertum, *significet.* ibid.

11 *Quid sit* sculnæ *verbum positum apud M. Varronem.* 499



Auli Gellii Noctium Atticarum Commentarius.

Liber primus.

Caput I.

Quali proportione; quibusque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit, de comprehendenda corporis proceritate, qua fuit Herculis, quum vitam inter homines viveret.

Plutarchus in libro, quî de Herculis quali inter homines fuerit animi corporisque ingenio & virtutibus, conscripsit, scitè subtiliterque ratiocinatum Pythagoram philosophum dicit, in reperienda modulandaque status longitudinisque ejus præstantia. Nam quum ferè constaret, curriculum stadii, quod est Pisæ ad Jovis Olympii, Herculem pedibus suis metatum, idque fecisse longum pedes sexcentos; cætera quoque stadia in terra Græcia, ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentûm, sed tamen aliquantulum breviora: facilè intellexerit, modum spatiumque plantæ Herculis, ratione proportionis habita, tanto fuisse quàm aliorum procerius, quanto Olympicum stadium longius esset quàm cætera. Comprehensa autem mensura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei mensuræ

conveniret, ſecundùm naturalem membrorum omnium inter ſe competentiam, modificatus eſt: atque ita id colligit, quod erat conſequens; tanto fuiſſe Herculem corpore excelſiorem quàm alios, quanto Olympicum ſtadium cæteris pari numero factis anteiret.

CAP. II.

Ab Herode Attico Cl. V. tempeſtivè deprompta in quendam jactabundum & glorioſum adoleſcentem, ſpecie tantùm philoſophiæ ſectatorem, verba Epicteti Stoici, quibus feſtiviter à vero Stoico ſejunxit vulgus loquacium nebulonum, qui ſe Stoicos nuncuparent.

HErodes Atticus, vir & Græca facundia & conſulari honore præditus, arceſſebat ſæpe nos, quum apud magiſtros Athenis eſſemus, in villas ei urbi proximas, me & Cl. V. Servilianum, complureiſque alios noſtrates, qui Roma in Græciam ad capiendum ingenii cultum conceſſerant. Atque ibi tunc, quum eſſemus apud eum in villa, cui nomen eſt Cephiſia, & æſtu anni & ſidere autumni flagrantiſſimo; propulſabamus caloris incommoda lucorum umbra ingentium, longis ambulacris & mollibus ædium poſticum refrigerantibus, lavacris nitidis & abundis & collucentibus, totiuſque villæ venuſtate aquis undique canoris atque avibus perſonante. Erat ibidem nobiſcum ſimul adoleſcens philoſophiæ ſectator, diſciplinæ, ut ipſe dicebat, Stoicæ, ſed loquacior impendio & promptior. Is plerumque in convivio, ſermonibus, qui poſt epulas haberi ſolent, multa atque immodica de philoſophiæ doctrinis intempeſtivè atque inſubidè diſſerebat, præque ſe uno cæteros omneis linguæ Atticæ principes, gentemque omnem togatam, totumque nomen Latinum, rudes eſſe & agreſtes prædicabat: atque interea vocabulis haud facilè cognitis ſyllogiſmorum captionumque dialecti-

carum

carum laqueis strepebat, κυκλοῦντας. ἡσυχάζοντας καὶ σωρείτας, aliosque id genus gryphos neminem posse dicens nisi se dissolvere: rem verò ethicam, naturamque humani ingenii, virtutumque origines, officiaque earum confinitima aut contraria, morborum vitiorumque fraudes, animorumque labes ac pestilentias, asseverabat nulli esse magis ea omnia explorata, comperta, mediataque quam sibi. cruciatibus autem doloribusque corporis & periculis mortem minitantibus habitum statumque vitæ beatæ, quem se esse adeptum putabat, neque lædi, neque imminui existimabat; ac ne oris quoque & vultus serenitatem Stoici hominis unquam ulla posse ægritudine obnubilari. Has ille inaneis quum flaret glorias, jamque omnes finem cuperent, verbisque ejus defatigati pertæduissent: tum Herodes Græca, ut hujus plurimus mos fuit, oratione utens, Permitte, inquit, philosophorum ampliſſime, quoniam respondere nos tibi non quimus, quos idiotas & rudes vocas, recitari ex libro, quid de hujuscemodi magniloquentia vestra senserit dixèritque Epictetus, Stoicorum vel maximus; jussitque proferri dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano secundum librum: in quo ille venerandus senex juvenes, qui se Stoicos appellabant, neque frugis neque operæ probæ, se in theorematis tantùm nugalibus & puerilium isagogarum commentationibus oblectantes, objurgatione justa incessivit. Lecta igitur sunt ex libro, qui prolatus est, ea quæ addidit. Quibus verbis Epictetus severè simul ac festiviter sejunxit atque divisit à vero atque sincero Stoico, qui esset proculdubio ἀκώλυτος, ἀνεκβίαστος, ἀπαρεμπόδιστος, ἐλεύθερος, εὔπορος, εὐδαίμων, vulgus aliud nebulonum hominum, qui se Stoicos nuncuparent; atraque verborum & argutiarum fuligine ob oculos audientium jacta sanctissimæ disciplinæ nomen ementirentur.

Εἰπέ μοι περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. Ἄκουε.

Ἰλιόθεν μὲ φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν. Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐστὶν ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακὰ, τὰ δ' ἀδιάφορα· ἀγαθὰ μὲν οὖν αἱ ἀρεταὶ καὶ τὰ μετέχοντα αὐτῶν. κακὰ δὲ, κακίαι, καὶ τὰ μετέχοντα κακίας. ἀδιάφορα δὲ, τὰ μεταξὺ τούτων, πλοῦτος, ὑγίεια, ζωὴ, θάνατος, ἡδονὴ, πόνος. πόθεν οἶδας; οὕτως Ἑλλάνικος λέγει ἐν τοῖς Αἰγυπτιακοῖς. τί γὰρ διαφέρει τοῦτο εἰπεῖν, ἢ ὅτι Διογένης ἐν τῇ ἠθικῇ, ἢ Χρύσιππος, ἢ Κλεάνθης; βεβασάνικας οὖν αὐτὸ καὶ δόγμα σεαυτοῦ πεποίησαι, δείκνυε πῶς εἴωθας ἐν πλοίῳ χειμάζεσθαι. μέμνησαι ταύτης τῆς διαιρέσεως, ὅταν ψοφήσῃ τὸ ἱστίον. καὶ ἀνακραυγάσον τί σοι ἐάν τις κακόσχολος παραστὰς εἴπῃ, λέγε μοι σὺ πρὸς τοὺς θεοὺς, ἃ πρώην ἔλεγες, μὴ κακία ἐστὶ τὸ ναυαγῆσαι. μή τι κακίας μετέχον; οὐκ ἄρα ξύλον ἐνσείσεις αὐτῷ; τὶ ἡμῖν καὶ σοι, ἄνθρωπε; ἀπολλύμεθα, καὶ σὺ θέλων παίζεις. ἂν δέ σε ὁ Καῖσαρ μεταπέμψῃ κατηγορούμενον, μέμνησαι τῆς διαιρέσεως. ἄν τις σοὶ εἰσιόντι καὶ ὦ χριῶντι ἅμα καὶ τρέμοντι προσελθὼν εἴπῃ, τί τρέμεις ἄνθρωπε; περὶ τίνων σοὶ ἐστὶν ὁ λόγος; μή τι ἔσω ὁ Καῖσαρ ἀρετὴν καὶ κακίαν τοῖς εἰσερχομένοις δίδωσι; τί μοι ἐμπαίζεις καὶ σὺ πρὸς τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; ὅμως φιλόσοφε εἰπέ μοι τὶ τρέμεις; οὐχὶ θάνατός ἐστι τὸ κινδυνευόμενον, ἢ δεσμωτήριον, ἢ πόνος τοῦ σώματος, ἢ φυγὴ, ἢ ἀδοξία; τὶ γὰρ ἄλλο; μή τι κακία; μή τι μετέχον κακίας; σὺ οὖν τίνα πρὸς ταῦτα ἔλεγες; τὶ ἐμοὶ καὶ σοὶ ἄνθρωπε; ἀρκεῖ ἐμοὶ τὰ ἐμὰ κακά. καὶ καλῶς λέγεις, ἀρκεῖ γὰρ σοι τὰ σά κακὰ, ἡ ἀγέννεια, ἡ δειλία, ἡ ἀλαζονεία, ἢν ἀλαζονεύου ἐν τῇ σχολῇ καθήμενος. τί τοῖς ἀλλοτρίοις ἐκαλλωπίζου; τί Στωϊκὸν ἔλεγες σεαυτὸν; τηρεῖτε οὕτως ἑαυτοὺς ἐν οἷς πράσσετε, καὶ εὑρήσετε, τίνος ἔσθ' αἱρέσεως. τοὺς πλείστους ὑμῶν. Ἐπικουρείους εὑρήσετε, ὀλίγους τινὰς Περιπατητικοὺς, καὶ τούτους, ἐκλελυμένους. His ille auditis insolentissimus adolescens obticuit, tamquam si ea omnia non ab Epicteto in quosdam alios, sed ab Herode in eum dicta essent.

CAP.

CAP. III.

Hoc caput restituit mutilum antea ex antiquo Bustidiano Codice Canterus. l. II. Nou. Lect. c. 6.

Quòd Chilo Lacedæmonius consilium anceps pro salute amici cepit, quòdque est circumspectè & anxiè considerandum, an pro utilitatibus amicorum delinquendum aliquando sit: notataque inibi & relata quæ Theophrastus & M. Cicero super ea re scripserunt.

LAcedæmonium Chilonem, unum ex illo inclyto numero sapientium, scriptum est in libris eorum qui vitas resque gestas clarorum hominum memoriæ mandaverunt, quum die vitæ suæ postremo eum inibi mors occuparet, ad circumstantes amicos sic loquutum. Dicta mea, inquit, factaque in ætate longa pleraque omnia fuisse non pœnitenda, forsitan vos etiam sciatis. Ego certè in hoc quidem tempore non fallo me, nihil esse quicquam commissum à me, cujus memoria rei aliquid pariat ægritudinis: nisi profectò illud unum sit, quod recténe an perperam fecerim, nondum mihi planè liquet. Super amici capite judex cum duobus aliis fui. lex ita fuit, uti eum hominem condemnari necesse esset. Aut amicus igitur capitali perdendus, aut adhibenda fraus legi fuit. Multa cum animo meo ad casum tam ancipitem medendum consultanti visum est id quod feci, præ hoc quod erant alia, toleratu facilius. Tacitus ad condemnandum sententiam tuli: his, qui simul judicabant, ut absolverent, persuasi. sic mihi & judicis & amici officium in re tanta salvum fuit. sed hanc capio ex eo facto molestiam, quòd metuo ne à perfidia & culpa non abhorreat, in eadem re eodemque tempore, inque communi negotio, quod mihi optimum factu duxerim, diversum ejus aliis suasisse. Hic autem Chilo, præstabilis homo sapientia, quonam usque debuerit contra legem contraque jus pro amico progredi, dubitavit; eaque res in fine quoque vitæ ipso animum

Quæ Chilonis in hoc capite tribuit, potius ad Bionem referas. vid. Caroli Obs. Gell. VI. p. 30.

ejus anxit. & alii deinceps multi philosophiæ sectatores, ut in libris eorum scriptum est, satis anquisitè satisque sollicitè quæsierunt, ut verbis quæ scripta sunt, ipsis utar, εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον, καὶ μέχρι πόσου, καὶ ποῖον. Ea verba significant, quæsisse eos, an nonnunquam contra jus contrave morem faciendum pro amico sit, & in qualibus, & in quibus causis, & quemnam adusque modum. Super hac quæstione cùm ab aliis, sicuti dixi, multis, tum vel diligentissimè à Theophrasto disputatur, viro in philosophia Peripatetica modestissimo doctissimoque. Eaque disputatio scripta est, si rectè meminimus, in libro ejus de amicitia primo. Eum librum M. Cicero videtur legisse, quum ipse quoque librum de amicitia componeret. & cetera quidem, quæ sumenda à Theophrasto existimavit, ut ingenium facundiaque ejus fuit, sumsit & transposuit commodissimè aptissimeque: hunc autem locum, de quo satis quæsitum esse dixi, omnium rerum aliarum difficillimum strictim atque cursim transgressus: neque ea, quæ à Theophrasto pensim atque enucleatè scripta sunt, exsecutus est; sed, anxietate illa & quasi morositate disputationis prætermissa, genus ipsum rei tantùm paucis verbis notavit. ea verba Ciceronis, si recensere quis vellet, apposui. *His igitur finibus utendum esse arbitror, ut, quum emendati mores amicorum sunt, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione communitas: ut etiam si qua fortuna acciderit, ut minus justæ voluntates amicorum adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modò ne summa turpitudo sequatur; est enim quatenus amicitiæ venia dari possit. Quum agetur*, inquit, *aut caput amici, aut fama, declinandum est de via*, ut etiam iniquam voluntatem illius adjutemus. sed cujusmodi declinatio ista esse debeat, qualisque ad adjuvandum digressio, & in quanta voluntatis

amici

amici iniquitate, non dicit. Quid autem refert scire me, in hujusmodi periculis amicorum, si non magna me turpitudo sequutura est, de via recta esse declinandum, nisi id quoque me docuerit, quam putet magnam turpitudinem, & quum decessero de via, quousque degredi debeam? *Est enim*, inquit, *quatenus dari amicitiæ venia possit.* hoc immo ipsum est, quod maximè discendum est, quodque ab his, qui docent, minimè dicitur, quatenus quoque fine dari amicitiæ venia debeat. Chilo ille sapiens, de quo paulo ante dixi, conservandi amici causa de via declinavit, sed video quousque progressus est; falsum enim pro amici salute consilium dedit. id ipsum tamen in fine quoque vitæ, an jure posset reprehendi culparique, dubitavit. *Contra patriam*, inquit Cicero, *arma pro amico sumenda non sunt.* hoc profectò nemo ignoravit, etiam priusquam Theognis, ut Lucilius ait, nasceretur. Sed id quæro, id desidero: quum pro amico contra jus & contrà quam licet, salva tamen libertate atque pace, faciendum est; & quum de via, sicut ipse ait, declinandum est: quid & quantum, & in quali causa, & quonam usque id fieri debeat. Pericles ille Athenienſis, egregius vir ingenio, bonisque omnibus disciplinis ornatus, in una quidem specie, sed planiùs tamen, quid existimaret professus est. nam quum amicus eum rogaret ut pro re causaque ejus falsum dejeraret, his ad eum verbis usus est: Δεῖ μὲ συμπροσκτεῖν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Theophrastus autem, quo dixi libro anquisitiùs quidem super hac re ipsa & exactiùs pressiusque quàm Cicero differit, sed is quoque in docendo non de unoquoque facto singillatim existimat, neque certis exemplorum documentis, sed generibus rerum summatim universimque utitur, ad hunc ferme modum: Parva, inquit, & tenuis vel turpitudo, vel infamia subeunda est, si ea re magna utilitas amico quæri potest, rependitur quippe & compensatur leve da-

mnum delibatæ honestatis majore alia gravioreque in adjuvando amico honestate: minimaque illa labes & quasi lacuna famæ munimentis partarum amico utilitatum solidatur. neque nominibus, inquit, moveri nos oportet, quòd paria genere ipso non sunt honestas meæ famæ & rei amici utilitas. ponderibus hæc enim potestatibusque præsentibus, non vocabulorum appellationibus neque dignitatibus generum dijudicanda sunt. nam quum in rebus aut paribus, aut non longè secus, utilitas amici & honestas nostra consistit, honestas proculdubio præponderat: quum verò amici utilitas nimio est amplior; honestatis autem nostræ in re non gravi levis jactura est: tunc, quod utile amico est, id primum illo, quod honestum nobis est, fit plenius. sicuti magnum pondus æris parva lamina auri fit preciosius. Verba adeo ipsa Theophrasti super ea re adscripsi; οὐκ οἶδ' εἴπου τούτῳ τῷ γένει τιμιώτερον ἤδη, ὃ, ὁτιοῦν ἂν ᾖ μέρος, τούτου, πρὸς τὸ τηλίκον θατέρου συγκρινόμενον, αἱρετὸν ἔσται λέγω δ' οἷον, οὐ καὶ χρυσίον τιμιώτερον χαλκοῦ, καὶ τηλίκον τοῦ χρυσίου πρὸς τὸ τηλίκον χαλκοῦ μέγεθος ἀντιπαραβαλλόμενον, πλέον δόξει, ἀλλὰ ποιήσει τινα ῥοπὴν καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος. Favorinus quoque philosophus hujuscemodi indulgentiam gratiæ tempestivius, laxato paulum remissoque subtili justitiæ examine, his verbis definivit, ἡ καλουμένη χάρις παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τούτου ἐστὶν ὕφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι. post deinde idem Theophrastus ad hanc fermè sententiam disseruit: Has tamen, inquit, & parvitates rerum & magnitudines, atque has omnes officiorum existimationes alia nonnunquam momenta extrinsecus atque aliæ quasi appendices personarum & causarum & temporum, & circumstantiæ ipsius necessitates, quas includere in præcepta difficile est, moderantur & regunt & quasi gubernant, & nunc ratas efficiunt, nunc irritas. Hæc taliaque Theophrastus cautè & sollicitè & religiosè, causa disserendi

ma-

magis disputandique diligentia, quàm cum decernendi sententia atque fiducia, disseruit. quoniam profectò causas scientiæ, corporum varietates, disceptationumque differentiam ignorantes directum atque perpetuum distinctumque in rebus singulis præceptum, quod ego nos in prima tractatus istius parte desiderare dixeram, non capiunt. Ejus autem Chilonis, à quo disputatiunculæ hujus initium fecimus, quum alia quædam sunt monita utilia atque prudentia, tum id maximè exploratæ utilitatis est, quod duas ferocissimas affectiones amoris atque odii intra modum tantum coërcuit, *Hac*, inquit, *fini ames, tamquam forte fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus.* Super hoc eodem Chilone Plutarchus philosophus in libro περὶ ψυχῆς primo ita scripsit, Χείλων ὁ παλαιὸς, ἀκούσας τινὸς λέγοντος, μηδένα ἔχειν ἐχθρὸν, ἠρώτησεν εἰ καὶ μηδένα φίλον ἔχει νομίζων ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖν καὶ συνεπάγεσθαι φιλίας καὶ ἀπεχθείας.

CAP. IV.

Quàm tenuiter curioseque exploraverit Antonius Julianus in oratione M. Tullii verbi ab eo mutati argutiam.

Antonius Julianus rhetor perquam fuit honesti atque amœni ingenii; doctrina quoque ista utiliore ac delectabili; veterumque elegantiarum cura & memoria multa fuit: ad hoc, scripta pleraque omnia antiquiora tam curiosè spectabat, aut virtutes pensitabat, aut vitia rimabatur, ut judicium esse factum examussim diceres. Is Julianus super eo enthymemate, quod est in oratione M. Tullii, qua pro Cn. Plancio dixit, ita existimavit. Sed verba prius, de quibus ab eo judicium factum est, ipsa ponam. *Quamquam dissimilis est pecuniæ debitio & gratiæ: nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, æs retinet alienum:*

gratiam autem & qui refert, habet; & qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Neque ego nunc Plancio desinam debere, si hoc solvero: nec minus ei redderem voluntate ipsa, si hoc molestiæ non accidisset. Crispum sanè, inquit, agmen orationis rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum, sed quod cum venia legendum sit verbi paulùm ideo immutati, ut sententiæ fides salva esset. namque debitio gratiæ & pecuniæ collata verbum utrobique servare posset. ita enim rectè oppositа inter sese gratiæ pecuniæque debitio videbitur, si & pecunia quidem deberi dicatur & gratia, sed quid eveniat in pecunia debita solutâve, quid contrà in gratia debita redditâve, debitionis verbo utrimque servato differatur. Cicero autem, inquit, quum gratiæ pecuniæque debitionem dissimilem esse dixisset, ejusque sententiæ rationem redderet, verbum *debet* in pecunia ponit; in gratia subjicit, *habet*, pro *debet*: ita enim dicit, *Gratiam autem & qui refert, habet; & qui habet, in eo ipso quod habet, refert.* sed id verbum, cum proposita comparatione non satis convenit. debitio enim gratiæ, non habitio, cum pecunia confertur. atque ideò consequens quidem fuerat sic dicere: *& qui debet, in eo ipso quod debet, refert.* quod absurdum & nimis coactum foret, si nondum redditam gratiam eo ipso redditam diceret, quia debetur. immutavit ergo, inquit, & subdidit verbum ei verbo, quod omiserat, finitimum; ut videretur & sensum debitionis collatæ non reliquisse, & concinnitatem sententiæ retinuisse. Ad hunc modum Julianus enodabat dijudicabatque veterum scriptorum sententias, quas apud eum adolescentes lectitabant.

CAP.

CAP. V.

Quod Demosthenes rhetor cultu corporis atque vestitu probris obnoxio, infamique munditia fuit: quodque item Hortensius orator ob ejusmodi munditias gestumque in agendo histrionicum Dionysiæ saltatriculæ cognomento compellatus est.

DEmosthenem tradunt vestitu sincero & cultu corporis nitido venustoque & nimis accurato fuisse. hinc etiam κομψὴ illa χλανὶς ἢ μαλακὴ χιτωνίσκη ab æmulis adversariisque probro data. hinc etiam turpibus indignisque in eum verbis non temperatum, quin parum vir, ore quoque polluto, diceretur. Ad eundem modum Hortensius omnibus fermè oratoribus ætatis suæ, nisi M. Tullio, clarior, quòd multa munditia & circumspectè compositèque indutus & amictus esset, manusque ejus inter agendum forent argutæ admodum & gestuosæ, maledictis compellationibusque probrosis jactatus est; multaque in eum, quasi in histrionem, in ipsis causis atque judiciis dicta sunt. Sed quum L. Torquatus subagresti homo ingenio & infestivo, gravius acerbiusque apud consilium judicum, quum de causa Sullæ quæreretur, non jam histrionem eum esse diceret, sed gesticulariam Dionysiamque eum notissimæ saltatriculæ nomine appellaret: tum voce molli atque demissa Hortensius, *Dionysia*, inquit, *Dionysia malo equidem esse, quam quod tu, Torquate*, ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος.

CAP. VI.

Verba ex oratione Metelli Numidici, quam dixit ad populum in censura, quum eum ad uxores ducendas adhortaretur: eaque oratio quam ob causam reprehensa, & quem contra in modum defensa sit.

MUltis & eruditis viris audientibus legebatur oratio Metelli Numidici, gravis ac diserti viri, quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus, quum eum ad matrimonia capessenda adhortaretur. In ea oratione ita scriptum fuit, *Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut, nec cum illis satis commodè, nec sine illis ullo modo vivi possit; saluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati consulendum.* Videbatur quibusdam, Metellum censorem, cui consilium esset ad uxores ducendas populum hortari, non oportuisse neque de molestia incommodisque perpetuis rei uxoriæ confiteri; neque adhortari magis, quàm dissuadere, absterrereque: sed contrà in illud potius orationem debuisse sumi dicebant, ut & nullas plerumque esse in matrimoniis molestias asseveraret, &, si quæ tamen accidere non nunquam viderentur, parvas & leves facilesque esse toleratu diceret; majoribusque eas emolumentis & voluptatibus oblitterari: easdemque ipsas neque omnibus, neque naturæ vitio, sed quorundam maritorum culpa & injustitia evenire. Titus autem Castricius rectè atque condignè Metellum esse loquutum existimabat. Aliter, inquit, censor loqui debet, aliter rhetor. rhetori concessum est sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modò verisimiles sunt & possunt ad movendos hominum animos qualicumque astu irrepere. præterea turpe esse ait rhetori, si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat. Sed enim Metellum, inquit, sanctum

ctum virum, illa gravitate & fide præditum, cum tanta honorum atque vitæ dignitate, apud populum Romanum loquentem, nihil decuit aliud dicere, quàm quod verum sibi esse atque omnibus videbatur: præsertim quum super ea re diceret, quæ quotidiana intelligentia & communi pervulgatoque vitæ usu comprehenderetur. De molestia igitur cunctis hominibus notissima confessus; eaque confessione fidem sedulitatis veritatisque commeritus; tum denique facilè & procliviter, quod fuit rerum omnium validissimum atque verissimum, persuasit, civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentatione non posse. Hoc quoque aliud ex eadem oratione Metelli dignum esse existimavimus assidua lectione, non hercle minus, quàm quæ à gravissimis philosophis scripta sunt. Verba Metelli hæc sunt, *Di immortales plurimum possunt; sed non plus velle nobis debent, quàm parentes. at parentes, si pergimus errare, suis bonis nos exheredant. Quid ergo nos à dis immortalibus divinitus exspectemus, nisi errationibus finem faciamus? His demum deos propitios esse æquum est, qui sibi adversarii non sunt. di immortales virtutem approbare, non adhibere debent.*

CAP. VII.

In hisce verbis Ciceronis ex oratione quinta in Verrem, hanc sibi rem sperant præsidio futurum, *neque mendam esse nec vitium: errareque istos, qui bonos violant libros. &* futuram *scribunt: atque inibi de quodam alio Ciceronis verbo dictum, quod probè scriptum perperam mutatur: & adsperſa pauca de modulis numerisque orationis, quos Cicero avidè sectatus est.*

IN oratione Ciceronis quinta in Verrem, in libro spectatæ fidei Tironiana cura atque disciplina facto, ita scriptum fuit, *Homines tenues obscuro loco nati navigant:*

gant: adeunt ad ea loca, quæ numquam ante adierant; ubi neque noti essent, quo venerunt; neque semper cum cognitoribus esse possunt. Hac una tamen fiducia civitatis, non modo apud nostros magistratus, qui & legum & existimationis periculo continentur, neque apud civeis solum Romanos, qui & sermonis & juris & multarum rerum societate juncti sunt, fore se tutos arbitrantur, sed quocumque venerint hanc sibi rem præsidio sperant futurum. Videbatur compluribus in extremo verbo menda esse. debuisse enim scribi non *futurum*, sed *futuram*: neque dubitabant quin liber emendandus esset, ne, ut in Plauti comœdia mœchus, (sic enim mendæ suæ illudebant) ita in Ciceronis oratione solœcismus esset manifestarius. Aderat fortè ibi amicus noster, homo lectione multa exercitus; cui pleraque omnia veterum litterarum quæsita, meditata, evigilataque erant: is libro inspecto ait nullum esse in eo verbo neque mendum neque vitium: Ciceronem probè ac venustè loquutum. nam *futurum*, inquit, non refertur ad *rem*, sicut legentibus temerè & incuriosè videtur; neque pro participio positum est: sed verbum est indefinitum, quod Græci appellant ἀπαρέμφατον, neque numeris neque generibus præserviens, sed liberum undique & impromiscuum est, quali C. Gracchus verbo usus est in oratione, cujus titulus est, *De Quinto Popilio circum conciliabula*, in qua ita scriptum est, *Credo ego inimicos meos hoc dicturum. Inimicos* inquit *dicturum*, & non *dicturos*. Videturne ea ratione positum esse apud Gracchum, *dicturum*, qua est apud Ciceronem, *futurum*? sicut in Græca oratione, sine ulla vitii suspicione, omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuuntur hujuscemodi verba ποιήσειν, ἔσεσθαι, λέξειν, & similia. In Q. quoque Quadrigarii tertio annali libro verba hæc esse dixit, *Dum ii conciderentur; hostium copias ibi occupatas futurum.* In duodevicesimo annali ejusdem Quadrigarii principium libri sic scriptum,

ptum, *Si pro tua bonitate & noſtra voluntate tibi valetudo ſuppetit; eſt quod ſperemus deos bonis bene facturum.* Item in Valerii Antiatis quarto & viceſimo ſimili modo ſcriptum: *Si hæ res divinæ factæ ritèque perlitatæ eſſent, haruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſurum eſſe.* Plautus etiam in Caſina, quum de puella loqueretur, *occiſurum* dixit, non *occiſuram*, his verbis,

Etiamne habet Caſina gladium? habet, ſed duos,
Quibus, altero te occiſurum ait, altero villicum.

Item Laberius in Gemellis,

Non putant, inquit, *hoc eam facturum.* Non ergo iſti omnes ſolœciſmus quid eſſet ignoraverunt. ſed & Gracchus, *dicturum*, & Quadrigarius, *futurum* & *benefacturum*, & Plautus, *occiſurum*, & Antias, *proceſſurum*; & Laberius, *facturum*, indefinito modo dixerunt. qui modus neque in numeros, neque in perſonas, neque in genera, neque in tempora diſtrahitur, ſed omnia iſthæc una eademque declinatione complectitur. ſicuti M. Cicero dixit, *futurum*, non virili genere neque neutro (ſolœciſmus enim foret planè,) ſed verbo uſus eſt ab omni neceſſitate generum abſoluto. Idem autem ille amicus noſter in ejuſdem M. Tullii Ciceronis oratione, quæ eſt de imperio Cn. Pompeji, ita ſcriptum eſſe, à Cicerone dicebat, atque ipſe ita lectitabat: *Quum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam ac ſpiritum ducitus in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis.* Neque ſolœciſmum eſſe ajebat *in poteſtatem fuiſſe*, ut vulgus ſemidoctum putat, ſed ratione dictum certa & proba contendebat, qua & Græci ita uterentur: & Plautus verborum Latinorum elegantiſſimus in Amphitryone dixit, *Numero mihi in mentem fuit.* non, ut dici ſolitum eſt, *in mente.* Sed enim præter Plautum, cujus ille in præſenti exemplo uſus eſt, multam nos quoque apud veteres ſcriptores loquutionum talium copiam offendimus; atque his vulgo annotamentis inſperſimus.

Ut

Ut rationem istam missam faciamus & autoritates: sonus tamen & positura ipsa verborum satis declarant, id potius ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων modulamentisque orationis M. Tullii convenisse, ut, quoniam utrumvis dici Latinè posset, *potestatem* dicere mallet, non *potestate*. illud enim sic compositum jucundius ad aurem completiusque; insuavius hoc imperfectiusque est, si modo ita explorata aure homo sit, non surda nec jacenti; sicuti est hercle, quòd *explicavit* dicere maluit, quàm *explicuit*: quod esse jam usitatius cœperat. Verba sunt hæc ipsius ex oratione, quam de imperio Cn. Pompeii habuit: *Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed consilii celeritate explicavit.* at si, *explicuit*, diceret, imperfecto & debili numero verborum sonus clauderet.

CAP. VIII.

Historia in libris Sotionis philosophi reperta super Laide meretrice & Demosthene rhetore.

SOtion ex Peripatetica disciplina haud sanè ignobilis vir fuit. Is librum multæ variæque historiæ refertum composuit; eumque inscripsit, Κέρως ἀμαλθείας. ea vox hoc fermè valet, tamquam si dicas, *cornucopiæ*. In eo libro super Demosthene rhetore & Laïde meretrice historia hæc scripta est: Lais, inquit, Corinthia ob elegantiam venustatemque formæ grandem pecuniam demerebat: conventusque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant: neque admittebatur, nisi qui dabat, quod poposcerat. poscebat autem illa nimium quantum. hinc ait natum esse illud frequens apud Græcos adagium οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς. quòd frustra iret Corinthum ad Laïdem qui non quiret dare quod poscceretur. Ad hanc ille Demosthenes clanculum adit; &, ut sibi sui copiam faceret, petit: at

Laïs

Laïs μυριάς δραχμὰς ἢ τάλαντον popoſcit. hoc facit numi noſtratis denariûm decem millia. Tali petulantia mulieris atque pecuniæ magnitudine ictus expaviduſque Demoſthenes avertit; & diſcedens, Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. Sed Græca ipſa, quæ fertur dixiſſe, lepidiora ſunt, ἐκ ὠνοῦμαι, inquit, μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν.

CAP. IX.

Qui modus fuerit, quis ordo diſciplinæ Pythagoricæ; quantumque temporis imperatum obſervatumque ſit dicendi ſimul ac tacendi.

ORdo atque ratio Pythagoræ, ac deinceps familiæ ſucceſſionis ejus, recipiendi inſtituendique diſcipulos hujuſcemodi fuiſſe traditur. Jam à principio adoleſcentes qui ſeſe ad diſcendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. Id verbum ſignificat, mores naturaſque hominum, conjectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitari. Eum, qui exploratus ab eo idoneuſque fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim jubebat, & tempus certum tacere; non omnes idem, ſed aliud aliis tempus pro æſtimato captu ſollertiæ. Is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab aliis, audiebat; neque percunctari, ſi parum intellexerat, neque commentari, quæ audierat, fas erat. ſed non minus quiſquam tacuit quàm biennium. Hi prorſus appellabantur intra tempus tacendi audiendique ἀκουσικοί. Aſt ubi res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere audireque, atque eſſe jam cœperant ſilentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία: tum verba facere & quærere, quæque audiſſent ſcribere, & quæ ipſi opinarentur expromere poteſtas erat. Hi dicebantur in eo tempore μαθηματικοί: ab his ſcilicet artibus, quas jam diſcere atque meditari inceptaverant: quoniam Geometriam &

„ Gnomonicam, Musicam, ceteraſque item diſciplinas „ altiores μαθήματα veteres Græci appellabant: vulgus „ autem, quos gentilicio vocabulo Chaldæos dicere opor- „ tet, mathematicos dicit. exinde his ſcientiæ ſtudiis ornati ad perſpicienda mundi opera & principia naturæ procedebant: ac tunc denique nominabantur φυσικοί. Hæc eadem ſuper Pythagora noſter Taurus quum dixiſſet; Nunc autem, inquit, iſti qui repentè pedibus illotis ad philoſophos devertunt, non eſt hoc ſatis, quod ſunt omnino ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι; ſed legem etiam dant, qua philoſophari diſcant. alius ait; hoc me primùm doce. item alius: hoc volo, inquit, diſcere, iſtud nolo. hic à ſympoſio Platonis incipere geſtit propter Alcibiadis comiſſationem, ille à Phædro propter Lyſiæ orationem. Eſt etiam, inquit, prô Jupiter! qui Platonem legere poſtulet, non vitæ ornandæ, ſed linguæ orationiſque comendæ gratia, nec ut modeſtior fiat, ſed ut lepidior. Hæc Taurus dicere ſolitus novicios philoſophorum ſectatores cum veteribus Pythagoricis penſitans. Sed id quoque non prætereundum eſt, quòd omnes ſimul, qui à Pythagora in cohortem illam diſciplinarum recepti erant, quod quiſque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant; & coibatur ſocietas inſeparabilis, tamquam illud fuerit antiquum conſortium, quod re atque verbo appellabatur κοινόβιον.

CAP. X.

Quibus verbis compellaverit Favorinus philoſophus adoleſcentem caſcè nimis & vetuſtè loquentem.

FAvorinus philoſophus adoleſcenti veterum verborum cupidiſſimo, & pleraſque voces nimis priſcas & ignotiſſimas in quotidianis communibuſque ſermonibus expromenti, Curius, inquit, & Fabricius, & Coruncą-

runcanius antiquissimi viri nostri, & his antiquiores Horatii illi trigemini, planè ac dilucidè cum suis fabulati sunt: neque Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ verbis locuti sunt. tu autem, proinde quasi cum matre Evandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis jam desito uteris, quod scire atquè intelligere neminem vis; quæ dicas. Nonne, homo inepte, ut quod vis abunde consequaris, taceres? sed antiquitatem tibi placere ais, quòd honesta & bona & sobria & modesta sit. vive ergo moribus præteritis; loquere verbis præsentibus: atque id, quod à C. Cæsare excellentis ingenii ac prudentiæ viro, in primo de Analogia libro, scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum, sic fugias insolens verbum.

CAP. XI.

Quod Thucydides historiæ scriptor inclytus Lacedæmonios in acie non tuba, sed tibiis esse usos dicit: verbaque ejus super ea re posita: quodque Herodotus Halyatten regem fidicinas in procinctu habuisse tradit: atque inibi quædam notata de Gracchi fistula concionatoria.

AUctor historiæ Græcæ gravissimus Thucydides Lacedæmonios summos bellatores non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis in præliis usos esse refert: non prorsus ex aliquo ritu religionum, neque rei divinæ gratia, neque etiam ut excitarentur atque evibrarentur animi, quod cornua & litui moliuntur; sed contrà, ut moderatiores modulatioresque fierent; quod tibicinis numeris temperatur. nihil adeò in congrediendis hostibus atque in principiis præliorum ad salutem virtutemque aptius rati, quàm si permulcti sonis mitioribus non immodicè ferocirent. Quum procinctæ igitur classes erant, & instructæ acies, cœptum-

que in hostem progredi; tibicines inter exercitum positi canere inceptabant. ea ibi præcentione tranquilla & delectabili atque adeò venerabili, ad quandam quasi militaris musicæ disciplinam vis & impetus militum, ne sparsi dispalatique proruerent, cohibebatur. Sed ipsius illius egregii scriptoris uti verbis licet, quæ & dignitate & fide graviora sunt. καὶ μὴ ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν. Ἀργεῖοι μὲν καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐντόνως καὶ ὀργῇ χωροῦντες; Λακεδαιμόνιοι δὲ βεμβέως καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν, νόμῳ ἐγκαθεσώτων. ἐ τῦ θείκ χάριν, ἀλλ' ἵνα ὁμαλῶς μὴ ῥυθμοῦ βαίνοντες προσέλθοιεν, καὶ μὴ διαπαθείη αὐτοῖς ἡ τάξις. ὅπερ φιλεῖ μεγάλα στρατόπεδα ποιεῖν ἐν τῷ προσόδοις.

Cretenses quoque prœlia ingredi solitos memoriæ datum est præcinente ac præmoderante cithara gressibus. Halyattes autem rex terræ Lydiæ, more atque luxu barbarico præditus, quum bellum Milesiis faceret, ut Herodotus in historiis tradit, concinentes fistulatores & fidicines, atque feminas etiam tibicinas, in exercitu atque in procinctu habuit, lascivientium delicias conviviorum. Sed enim Achæos Homerus pugnam indipisci ait non fidicularum tibiarumque concentu, sed mentium animorumque conspiratu tacito nitibundos.

Οἰδὴ ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ,
Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.

Quid ille vult ardentissimus clamor militum Romanorum, quem in congressibus prœliorum fieri solitum scriptores annalium memoravere? contrane institutum fiebat antiquæ disciplinæ tam probabile? an tum etiam gradu clementi & silentio est opus, quum ad hostem itur in conspectu longinquo procul distantem? quum verò propè ad manus ventum est, tum jam è propinquo hostis & impetu propulsandus & clamore terrendus est? Ecce autem, per tibicinia Laconica, tibiæ quoque illius concionatoriæ in mentem venit, quam C. Gracho cum populo agenti præisse ac præmonstrasse modu-

los

los ferunt. sed nequaquam sic est, ut à vulgo dicitur, canere tibia solitum, qui ponè eum loquentem staret, variisque modis tum demulcere animum actionemque ejus, tum intendere. quid enim foret ista re ineptius, si, ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros & modos & frequentamenta quædam varia tibicen incineret? Sed qui hoc compertius memoriæ tradiderunt, stetisse in circumstantibus dicunt occultius, qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret ad deprimendum sedandumque impetum vocis ejus. effervescente namque impulsu & instinctu extraneo naturalis illa Gracchi vehementia indiguisse, non, opinor, existimanda est. Marcus tamen Cicero fistulatorem istum utrique rei adhibitum esse à Graccho putat; ut sonis tum placidis tum citatis aut demissam jacentemque orationem ejus erigeret, aut ferocientem sævientemque cohiberet. verba ipsius Ciceronis apposui: *Itaque idem Gracchus, quod potes audire, Catule, ex Licinio cliente tuo litterato homine, quem servum sibi habuit ille ad manum, cum eburnea solitus est habere fistula, qui staret post ipsum occultè quum concionaretur, peritum hominem; qui inflaret celeriter eum sonum, qui illum aut remissum excitaret, aut à contentione revocaret.* Morem autem illum ingrediendi ad tibicinum modulos prælii, institutum esse à Lacedæmoniis, Aristoteles in libris problematum scripsit; quo manifestior fieret exploratiorque militum securitas & alacritas. nam diffidentiæ, inquit, & timori cum ingressione hujuscemodi minimè convenit: & mœsti atque formidantes ab hac tam intrepida ac tam decora incedendi modulatione alieni sunt. verba pauca Aristotelis super ea re apposui. διὰ τί ἐπειδὰν πολεμεῖν μέλλωσι, πρὸς αὐλὸν ἐμβαίνουσιν; ἵνα σὺν δειλοὺς ἀχημονοῦντας γινώσκωσιν.

CAP. XII.

Virgo Vestæ quid ætatis, ex quali familia, & quo ritu, quibusque cærimoniis & religionibus, & quo nomine à Pontifice Maximo capiatur: & quo statim jure esse incipiat simulatque capta est: quodque, ut Labeo dicit, nec illa intestato cuiquam, nec ei intestatæ quisquam jure hæres est.

QUi de Vestali virgine capienda scripserunt, quorum diligentissimè scripsit Labeo Antistius, minorem quàm annos VI, majorem quàm annos X, natam, negaverunt capi fas esse. item quæ non sit patrima & matrima. item quæ lingua debili sensuve aurium diminuta aliave qua corporis labe insignita sit: item quæ ipsa aut cujus pater emancipatus sit; etiamsi vivo patre in avi potestate sit: item cujus parentes alter ambove servitutem servierunt, aut in negotiis sordidis diversantur. sed eam, cujus soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri ajunt. item cujus pater flamen, aut augur, aut XV-vir S. F. aut qui VII-vir epulonum, aut Salius est. Sponsæ quoque pontificis & tibicinis sacrorum filiæ vacatio à sacerdotio isto tribui solet. Præterea Capito Atejus scriptum reliquit, neque ejus legendam filiam qui domicilium in Italia non haberet, & excusandam ejus qui liberos treis haberet. Virgo autem Vestalis simul est capta atque in atrium Vestæ deducta & pontificibus tradita; eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutione è patris potestate exit, & jus testamenti faciundi adipiscitur. De more autem rituque capiundæ virginis litteræ quidem antiquiores non exstant, nisi, quæ capta prima est, à Numa rege esse captam. Sed Papiam legem invenimus; qua cavetur, ut pontificis maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur: sortitioque in concione ex eo numero fiat; &,

cujus

cujus virginis ducta erit, ut eam pontifex maximus capiat, eaque Vestæ fiat. sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. nam, si quis honesto loco natus adeat Pontificem max. atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus dumtaxat salvis religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Papiæ legis per senatum fit. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur. In libro primo Fabii Pictoris, quæ verba pontificem maximum dicere oporteat, quum virginem capit, scriptum est. Ea verba hæc sunt: SACERDOTEM. VESTALEM. QUAE. SACRA. FACIAT. QUAE. JOUS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO. QUIRITIUM. UTEI. QUAE. OPTIMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO.

Plerique autem capi virginem solam debere dici putant. sed flamines quoque Diales, item pontifices & augures capi dicebantur. L. Sulla rerum gestarum libro II ita scripsit: P. *Cornelius, cui primum cognomen Sullæ impositum est, flamen Dialis captus.* M. Cato de Lusitanis, quum Ser. Galbam accusavit: *Tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo jus pontificium optimè scire. jamne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optimè tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat?* Præterea in commentariis Labeonis, quæ ad duodecim tabulas composuit, ita scriptum est: *Virgo Vestalis neque hæres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisquam: sed bona ejus in publicum redigi ajunt. id quo jure fiat, quæritur.* Amata inter capiendum à Pontifice max. appellatur, quoniam, quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est.

CAP. XIII.

Quæsitum in philosophia, quidnam foret in recepto mandato rectius, idne omnino facere quod mandatum est, nonnunquam etiam contra, si id speres ei, qui mandavit, utilius fore. superque ea quæstione expositæ diversæ sententiæ.

IN officiis capiendis, censendis judicandisque quæ Græcè καθήκοντα philosophi appellant, quæri solet an negotio tibi dato & quid omnino faceres definito, contrà quid facere debeas, si eo facto videri possit res eventura prosperiùs, exque utilitate ejus, qui id tibi negotium mandavit; anceps quæstio & in utramque partem à prudentibus viris arbitrata est. sunt enim non pauci qui sententiam suam una in parte defixerint, &, re semel statuta deliberataque ab eo, cujus negotium id pontificiumque esset, nequaquam putaverint contra dictum ejus esse faciendum, etiam si repentinus aliquis casus rem commodiùs agi posse polliceretur; ne, si spes fefellisset, culpa imparentiæ & pœna indeprecabilis subeunda esset: si res fortè melius vertisset; diis quidem gratia habenda, sed exemplum tamen intromissum videretur, quo bene consulta consilia religione mandati soluta corrumperentur. Alii existimaverunt incommoda priùs, quæ metuenda essent si res gesta aliter foret quàm imperatum est, cum emolumento spei pensitanda esse: &, si ea leviora minoraque; utilitas autem contrà gravior & amplior spe quantum potest firma ostenderetur: tum posse adversum mandata fieri censuerunt; ne optata divinitus rei bene gerendæ occasio amitteretur. neque timendum exemplum non parendi credidérunt, rationes hujuscemodi dumtaxat non adessent. cumprimis autem respiciendum putaverunt ingenium naturamque illius, cujus res præceptumque esset; ne fe-

rox, durus, indomitus, inexorabiliſque ſit; qualia fuerunt Poſtumiana imperia & Manliana. nam ſi tali præceptori ratio reddenda ſit, nihil faciendum eſſe monuerunt aliter, quàm præceptum eſt. Inſtructius deliberatiuſque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis hujuſcemodi obſequendis, ſi exemplum quoque P. Craſſi Muciani clari ac inluſtris viri appoſuerimus. Is Craſſus à Sempronio Aſellione & pleriſque aliis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus traditur quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua; quòd eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd juriſconſultiſſimus, quòd pontifex maximus. Is, quum in conſulatu obtineret Aſiam provinciam, & circumſidere oppugnareque Leucas oppidum pararet, opuſque eſſet firma atque procera trabe, quî arietem faceret, quo muros ejus oppidi quateret: ſcripſit ad magiſtrum architectonem Elatenſium ſociorum amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet eum mittendum curaret. tum magiſter architecton, comperto quamobrem malum deſideraret, non, uti juſſus erat, majorem, ſed, quem eſſe magis idoneum aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari juſſit; & quum interrogaſſet cur non, quem juſſerat, miſiſſet, cauſis rationibuſque quas dictitabat ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgiſque multum cæcidit; corrumpi atque diſſolvi officium omne imperantis ratus, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſpondeat.

CAP. XIV.

Quid dixerit feceritque C. Fabricius magna vir gloria magnisque rebus gestis, sed familiæ pecuniaque inops; quum ei Samnites tamquam indigenti grave aurum donarent.

JUlius Higinus, in libro de vita, rebusque illustrium virorum sexto, legatos dicit à Samnitibus ad C. Fabricium Imperatorem populi Romani venisse, & memoratis multis magnisque rebus, quæ benè ac benivolè post redditam pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniam, orasseque uti acciperet uteretur que: atque id facere Samnites dixisse, quòd viderent multa ad splendorem domus atque victus defieri; neque pro magnitudine dignitateque lautum paratum esse: tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, & infra deinceps ad nares, & ad os & ad gulam, atque inde porrò ad ventrem imum deduxisse; & legatis ita respondisse; dum illis omnibus membris, quæ attigisset, obsistere atque imperare posset, nunquam quicquam defuturum: propterea pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab iis, quibus eam sciret usui esse, non accipere.

Quas oportuit ingerit et alius. Sed ita etiam alibi l. IV. c. 14. et 15. l. II. c. 26. et sæpe veteres et maxime Comici etiam historiis v. Rud. 81. II. 16

CAP. XV.

Quàm importunum vitium sit plenumque odii futilis inanisque loquacitas, & quàm multis in locis à principibus utriusque linguæ viris detestatione justa culpata sit.

QUi sunt leves & futiles & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis & lapsantibus diffluunt; eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore: linguam autem debere ajunt non esse liberam nec vagam, sed vinclis

vinclis de pectore imo ac de corde aptis moveri & quasi gubernari. Sed enim videas quosdam sic scatere verbis sine ullo judicii negotio cum securitate multa & profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. Ulyssem contrà Homerus virum sapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore sed ex pectore: quod scilicet non ad sonum magis habitumque vocis, quàm ad sententiarum penitus conceptarum altitudinem pertineret: petulantiæque verborum coërcendæ vallum esse oppositum dentium luculentè dixerit, ut loquendi temeritas non cordis tantùm custodia atque vigilia cohibeatur, sed & quibusdam quasi excubiis in ore positis sæpiatur. Homerica, de quibus suprà dixi, hæc sunt:

Αλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλῳ ἐκ στήθεος εἶδε.

Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

M. Tullii quoque verba posui, quibus stultam & inanem dicendi copiam graviter & vere detestatus est. *Dummodo*, inquit, *hoc constet, neque infantiam ejus qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neque insciti am illius cui res non suppetat, verba non desint, esse laudanda. quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultam loquacitatem.* Item in libro de oratore primo verba hæc posuit. *Quid enim est tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia?* Cum primis autem M. Cato atrocissimus hujuscemodi vitii insectator est; namque in oratione quæ inscripta est, SI. SE. COELIUS. TRIB. PLEB. APPELLASSET. *Nunquam*, inquit, *tacet, quem morbus tenet loquendi, tamquam veternosum bibendi atque dormiendi. quod si non conveniatis, cum convocari jubet; ita est cupidus orationis, ut conducat, qui auscultet: itaque auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam; nam ejus verba audiuntur; verum ei se nemo com-*

committit, si æger est. Idem Cato in eadem oratione eidem M. Cœlio Trib. pleb. vilitatem opprobrans non loquendi tantum, verum etiam tacendi, *Frusto*, inquit, *panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.* neque non meritò Homerus unum ex omnibus Thersiten, ἀμετροεπῆ ἀκριτόμυθον appellat: modo verba illius multa, & ἄκοσμα strepentium sine modo graculorum similia esse dicit. quid enim est aliud ἀμετροεπὴς ἐκολώα? Eupolidis quoque versus de id genus hominibus consignatissimè factus est, λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν. quod Sallustius noster imitari volens, *loquax*, inquit, *magis, quam facundus.* Quapropter Hesiodus poëtarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, proinde ut thesaurum: ejusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta & parca & modulata sit,

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς. πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Epicharmium quoque illud non inscitè se habet,

Οὐ λέγειν δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος.

Ex quo profectò hoc sumtum est;

Qui quum loqui non posset, tacere non poterat.

Favorinum ego audivi dicere versus istos Euripidi, ἀχαλίνων στομάτων, ἀνόμουτε ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία, non de iis tantùm factos accipi debere, qui impia aut illicita dicerent; sed vel maxime de hominibus quoque posse dici stulta & immodica blaterantibus; quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, ut fluat semper æstuetque colluvione verborum teterrima: quod genus homines à Græcis significantissimo vocabulo λάλους appellatos. Valerium Probum Grammaticum illustrem, ex familiari ejus docto viro comperi, Sallustianum illud, *Satis eloquentiæ, sapientiæ parum*, brevi antequam vita decederet, sic legere cœpisse, & sic à Sallustio relictum affirmasse; *Satis loquentiæ, sapientiæ parum*, quòd *loquentiæ*

quentia novatori verborum Salluſtio maximè congrueret, *eloquentia* cum inſipientia minimè conveniret. Hujuſcemodi autem loquacitatem verborumque turbam magnitudine inani vaſtam facetiſſimus poëta Ariſtophanes inſignibus vocabulis denotavit in his verſibus:

Ἄνθρωπον ἀγριοποιὸν αὐθαδόστομον,
ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον στόμα.
ἀπειλάλητον, κομποφακελοῤῥήμονα.

Neque minus inſigniter veteres quoque noſtri hoc genus homines in verba projectos locutulejos, & blatterones, & lingulacas dixerunt.

CAP. XVI.

Quòd verba iſthæc Quadrigarii ex Annali tertio, ibi mille hominum occiditur, *non licentia neque de poëtarum figura, ſed ratione certa & proba grammaticæ diſciplinæ dicta ſunt.*

QUadrigarius in tertio Annalium ita ſcripſit: *Ibi occiditur mille hominum. Occiditur*, inquit, non, *occiduntur.* Item Lucilius in tertio Satyrarum;

Ad portam mille, à porta eſt ſex inde Salernum.

mille, inquit, *eſt*, non, *mille ſunt.* Varro in octavodecimo Humanarum: *Ad Romuli initium plus mille & centum annorum eſt.* M. Cato in 1 Originum, *Inde eſt fermè mille paſſuum.* M. Cicero in ſexta in Antonium, *Itane Janus medius in L. Antonii clientela eſt? quis unquam in illo Jano inventus eſt, qui L. Antonio mille nummûm ferret expenſum?* In his atque multis aliis, *mille*, numero ſingulari dictum eſt. neque hoc, ut quidam putant, vetuſtati conceſſum eſt, aut per figurarum concinnitatem admiſſum eſt: ſed ſic videtur ratio poſcere. *mille* enim non pro eo ponitur, quod Græcè χίλιοι dicitur, ſed quod χιλιάς. & ſicuti una χιλιὰς & duæ χιλιάδες; ita *unum mille* & *duo millia* certa atque directa ratione dicitur,

dicitur. quamobrem id quoque rectè & probabiliter dici solitum, *mille denariûm in arca est*, & *mille equitum in exercitu est*. Lucilius autem, præter quod supra posui, alio quoque in loco id manifestius demonstrat. nam in libro quintodecimo ita dicit,

Hunc milli passûm qui vicerit atque duobus,
Campanus sonipes subcursor nullus sequetur
Majore spatio; ac diversus videbitur ire.

Item alio in libro nono:

Tu milli nummûm potes uno quærere centum.

Milli passûm dixit, pro *mille passibus*, & *uno milli nummûm*, pro *unis mille nummis*; aperteque ostendit *mille* & vocabulum esse & singulari numero dici, ejusque plurativum esse *millia*, & casum etiam capere ablativum; neque cæteros casus requiri oportere, quum sint alia pleraque vocabula, quæ in singulos tantùm casus, quædam etiam quæ in nullum declinentur. Quapropter nihil jam dubium est, quin M. Cicero in oratione, quam scripsit pro Milone, ita scriptum reliquerit: *Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium*: non *versabantur*, quod in libris minus accuratè scriptis est: alia enim ratione *mille hominum*, alia *mille homines*, dicendum est.

CAP. XVII.

Quanta cum animi æquitate toleraverit Socrates uxoris ingenium intractabile: atque inibi quid M. Varro in quadam Satyra de officio mariti scripserit.

XAnthippe Socratis philosophi uxor morosa admodum fuisse fertur & jurgiosa: irarumque & molestiarum muliebrium per diem perque noctem satagebat. Has ejus intemperies in maritum Alcibiades demiratus, interrogavit Socratem, quænam ratio esset, cur mulie-

mulierem tam acerbam domo non exigeret. Quoniam, inquit Socrates, quum illam domi talem perpetior, insuesco & exerceor, ut ceterorum quoque foris petulantiam & injuriam faciliùs feram. Secundùm hanc sententiam quoque Varro in Satira Menippea, quam de officio mariti scripsit; *Vitium*, inquit, *uxoris aut tollendum, aut ferendum est. qui tollit vitium, uxorem commodiorem præstat. qui fert, sese meliorem facit.* Hæc verba Varronis, *tollere* & *ferre*, lepidè quidem composita sunt: sed *tollere*, apparet dictum pro, *corrigere*. Id etiam apparet, ejusmodi vitium uxoris, si corrigi non possit, ferendum esse Varronem censuisse; quod ferri scilicet à viro honestè potest. vitia enim flagitiis leviora sunt.

CAP. XVIII.

Quod M. Varro in quartodecimo Humanarum, L. Ælium magistrum suum περὶ ἐτυμολογίας differentem falsa reprehenderit: quodque idem Varro in eodem libro furis ἔτυμον dicit falsum.

IN quartodecimo Humanarum libro M. Varro doctissimum tunc civitatis hominem L. Ælium errasse ostendit; quod vocabulum Græcum vetus traductum in linguam Romanam, proinde atque si primitùs Latinè fictum esset, resolverit in voces Latinas ratione etymologicâ falsa. verba ipsa super ea re Varronis posuimus. *In quo L. Ælius noster litteris ornatissimus memoria nostra erravit aliquotiens. nam aliquot verborum antiquorum Græcorum, proinde atque essent propria nostra, reddidit causas falsas. non enim leporem dicimus, ut ait, quod est levipes: sed quod est vocabulum antiquum Græcum. multa enim vetera illorum ignorantur, quòd, pro iis, aliis nunc vocabulis utantur; & illorum esse plerique ignorent Græcum, quod nunc nominant* Ἔκλυα; *puteum*

quod

quod vocant φρέαρ; leporem, quod λαγωὸν dicunt. in quo non modò Ælii ingenium non reprehendo; sed industriam laudo. succeſſum enim fortuna, experientiam labus ſequitur. Hæc Varro in primore libro ſcripſit de ratione vocabulorum ſcitiſſimè, de uſu utriuſque linguæ peritiſſimè, de ipſo Ælio clementiſſimè. Sed in poſteriore ejus libri parte dicit, *furem* ex eo dictum, quòd veteres Romani furvum atrum appellaverint; & fures per noctem, quæ atra ſit, facilius furentur. nonne ſic videtur Varro de fure erraſſe, tanquam Ælius de lepore? nam quod à Græcis nunc κλέπτης dicitur, antiquiore Græca lingua, φῶρ, eſt dictum. hinc per affinitatem litterarum, qui φῶρ Græcè, Latinè fur eſt. Sed ea res fugeritne tunc Varronis memoriam; an contrà aptius & cohærentius putarit furem à furvo, id eſt nigro, appellari; in hac re de viro tam excellentis doctrinæ non meum judicium eſt.

CAP. XIX.

Hiſtoria ſuper libris Sibyllinis, ac de Tarquinio Superbo rege.

IN antiquis annalibus memoria ſuper libris Sibyllinis hæc prodita eſt. Anus hoſpita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit, novem libros ferens, quos eſſe dicebat divina oracula: eos velle venundare. Tarquinius precium percunctatus eſt: mulier nimium immenſum popoſcit. rex, quaſi anus ætate deſiperet, deriſit. tum illa foculum coram cum igni appoſuit, & tris libros ex novem deuſſit; &, ecquid reliquos ſex eodem precio emere vellet, regem interrogavit. ſed enim Tarquinius id multò riſit magis; dixitque anum jam procul dubio delirare. mulier ibidem ſtatim tris libros alios exuſſit; atque idipſum denuo placidè interrogavit, an tris reliquos eodem precio emat. Tarquinius

ore

ore jam serio, atque attentiore animo sit. eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intelligit: libros tris reliquos mercatur nihilo minore precio quàm quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc à Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi Sibyllini appellati. ad eos, quasi ad oraculum, XV viri adeunt, quum dii immortales publicè consulendi sunt.

CAP. XX.

Quid geometræ dicant schemata, quibusque omnia ista Latinis vocabulis appellentur.

FIgurarum, quæ σχήματα geometræ appellant, genera sunt duo; planum & solidum. hæc ipsi vocant ἐπίπεδον καὶ στερεόν. *Planum* est, quod in duas partis solùm lineas habet, qua latum est & qua longum: qualia sunt triquetra & quadrata, quæ in area fiunt, sine altitudine. *Solidum* est, quando non longitudines modò & latitudines planas numeri linearum efficiunt, sed etiam extollunt altitudinem: quales sunt fermè metæ triangulæ, quas pyramidas appellant: vel qualia sunt quadrata undique, quæ κύβους illi, nos quadrantalia dicimus. κύβος enim est figura ex omni latere quadrata: *quales sunt*, inquit M. Varro, *tesseræ, quibus in alveolo luditur: ex quo ipsa quoque appellatæ κύβοι.* in numeris etiam similiter κύβος dicitur, quum omne latus ejusdem numeri æqualiter in sese solvitur: sicuti fit quum ter terna dicuntur: atque idem ipse numerus triplicatur. Hujus numeri cubum Pythagoras vim habere lunaris circuli dixit: quòd & luna orbem suum lustret septem & viginti diebus: qui numerus ternio, qui Græcè dicitur τελὰς, tantumdem efficiat in cubo. *Linea* autem à nostris dicitur, quam γραμμὴν Græci vocant, eam M. Varro ita definit. *Linea est*, inquit, *longitudo quædam sine latitudine.* Euclides

autem brevius, prætermissa altitudine, γεγμμὴ, inquit, est μῆκος ἄπλατες: quod exprimere uno Latino verbo non queas, nisi audeas dicere *illatabile*.

CAP. XXI.

Quod Julius Higinus affirmatissimè contenderit legisse se librum P. Virgilii domesticum, in quo scriptum esset: & ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror, *non, quod vulgus legeret,* sensu torquebit amaro.

Ill. 246 f.

VErsus istos ex Georgicis Virgilii plerique omnes sic legunt.

At sapor indicium faciet manifestus: & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaro.

Higinus autem non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis, quæ in Virgilium fecit, confirmat & perseverat non hoc à Virgilio relictum; sed quod ipse invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilii,

—— & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.

Neque id soli Higino, sed doctis quibusdam etiam viris complacitum. quoniam videtur absurdè dici; *sapor sensu amaro torquet:* quum ipse, inquiunt, sapor sensus sit, non alium in semet ipso sensum habeat: ac proinde sit quasi dicatur; *sensus sensu amaro torquet.* Sed enim quum Favorinus Higini commentarium legisset; atque ei statim displicita esset insolentia & insuavitas illius, *sensu torquebit amaro*; risit, &, Jovem lapidem, inquit, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare Virgilium hoc nunquam scripsisse, sed Higinum ego dicere verum arbitror. Non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter: sed in carminibus Lucretii inventum est; nec est aspernatus auctoritatem poëtæ inge-

nio

nio & facundia præcellentis. Verba ex quarto Lucretii hæc sunt;

—— *dilutaque contra*
Quum tuimur miscerì absynthia, tangit amaror.

Non verba autem sola, sed versus propè totos & locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse Virgilium videmus.

CAP. XXII.

An, qui causas defendit, rectè Latineque dicat supereſſe se ei, quod defendit, & supereſſe, propriè quid sit.

IRroboravit inveteravitque falsa atque aliena verbi significatio ejus, quod dicitur; *hic illi supereſt*; quum dicendum est, *advocatum esse quem cuipiam*, causamque ejus defendere. atque id dicitur, non in compitis tantùm, neque in plebe vulgaria, sed in foro, in comitio, apud tribunalia. qui integrè autem loquuti sunt, magnam partem, *supereſſe*, ita dixerunt, ut eo verbo significarent superfluere & supervacare atque esse supra necessarium modum. itaque M. Varro in Satira, quæ inscripta est, *Nescis quid vesper serus vehat*, *superfuisse* dicit immodicè & intempestivè fuisse. Verba ex eo libro hæc sunt: *In convivio legi nec omnia debent, & ea potißimum quæ simul sunt: βιωφελῆ, & delectent potius: ut id quoque videatur non defuisse magis quam superfuisse.* Memini ego prætoris docti hominis tribunali me forte assistere, atque ibi advocatum non incelebrem sic postulare, ut extra causam diceret, remque quæ agebatur, non attingeret. tunc prætorem ei, cujus res erat, dixisse, advocatum eum non habere: & quum is, qui verba faciebat, reclamasset, *ego illi V. Cl. superſum*, respondisse prætorem festiviter; *tu planè superes, non ades.* M. autem Cicero in libro, qui inscriptus est de jure civili in artem redigendo, verba hæc posuit: *Nec verò scientia*

juris majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. in quo loco, *superfuit*, significare videtur, *supra fuit* & *præstitit*, superavitque majores suos doctrina sua superfluenti, tum & nimis abundanti. disciplinas enim Tubero Stoicas & dialecticas percalluerat. In libro quoque de Rep. secundo id ipsum verbum Ciceronis non temere transeundum. Verba ex eo libro hæc sunt: *Non gravarer, Læli, nisi & hos velle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem hujus nostri sermonis attingere: præsertim quum heri ipse dixeris, te nobis etiam superfuturum. verum, si id quidem fieri non potest, ne desis omnes te rogamus.* Exquisitè igitur & compertè Julius Paulus dicebat, homo in nostra memoria doctissimus, *supereſſe* non simplici ratione dici tam Latinè, quàm Græcè: Græcos περιεῖναι in utramque partem ponere; vel quòd supervacaneum esset, ac non necessarium, vel quòd abundans nimis & affluens & exsuperans. Sic quoque nostros veteres *supereſſe* aliàs dixisse, pro superfluenti & supervacuo neque admodùm necessario, ita ut suprà posuimus Varronem dicere: aliàs ita, ut Cicero dixit, pro eo quòd copia quidem & facultate ceteris anteiret, supra modum tamen & largius prolixiusque flueret, quàm esset satis. Qui dicit ergo se supereſſe ei, quem defendit, nihil istorum vult dicere: sed nescio quid aliud indictum inscitumque dicit. At ne Virgilii quidem poterit auctoritate uti, qui in Georgicis ita scripsit:

Primus ego in patriam mecum, modò vita supersit.

hoc enim in loco Virgilius ἀκυρωτέρῳ verbo usus videtur; quòd *supersit* dixit pro longinquius diutiusque adsit. Illud contra ejusdem Virgilii est aliquanto probabilius:

Florentisque secant herbas, fluvioque ministrant,
Farraque, ne blando nequeant supereſſe labori.

significat enim supra laborem esse, neque opprimi à la-

boro

bore. An autem *supereſſe* dixerint veteres pro reſtare & perficiendæ rei deeſſe quærebamus. nam Salluſtius in ſignificatione iſta non *supereſſe*, ſed *ſuperare* dicit. verba ejus in Jugurtha hæc ſunt: *Is plerumque ſeorſum à rege exercitum ductare, & omnis res exſequi ſolitus erat, quæ Jugurthæ feſſo aut majoribus aſtricto ſuperaverant.* Sed invenimus in tertio Ennii annalium in hoc verſu:

Inde ſibi memorat unum ſupereſſe laborem.

Id eſt, reliquum eſſe & reſtare. quod quidem diviſè pronunciandum eſt, ut non una pars orationis eſſe videatur, ſed duæ. Cicero autem in ſecunda Antonianarum, quod eſt reliquum, non *supereſſe*, ſed *reſtare* dicit. Præter hæc, *supereſſe*, invenimus dictum pro *ſuperſtitem eſſe*. ita enim ſcriptum eſt in libro epiſtolarum M. Ciceronis ad Plancum, in epiſtola Aſinii Pollionis ad Ciceronem verbis his, *Nam neque deeſſe reip. volo, neque ſupereſſe.* per quod ſignificat, ſi reſpublica emoriatur & pereat, nolle ſe vivere. in Plauti autem Aſinaria manifeſtius id ipſum ſcriptum eſt in iis verſibus, qui ſunt ejus comœdiæ primi,

Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ
Supereſſe vitæ ſoſpitem & ſuperſtitem.

Cavenda igitur eſt non improprietas ſolùm verbi, ſed etiam pravitas omnis; ſi quis ſenior advocatus adoleſcenti ſe ſupereſſe dicat.

CAP. XXIII.

Quis fuerit Papirius Prætextatus: quæve iſtius cauſa cognomenti ſit: hiſtoriaque iſta omnis ſuper eodem Papirio cognitu jucunda.

HIſtoria de Papirio Prætextato dicta ſcriptaque eſt à M. Catone in oratione, qua uſus eſt ad milites contra Galbam, cum multa quidem venuſtate atque luce atque munditia verborum. ea Catonis verba huic prorſus

sus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis, quum hæc dictavi. Quòd si non virtutes dignitatesque verborum, sed rem ipsam scire quæris; fermè ad hunc modum est. Mos antea senatoribus Romæ fuit in curiam cum prætextatis filiis introire. Quum in senatu res major quæpiam consultata, eaque in diem posterum prolata est; placuitque, ut hanc rem, super qua tractavissent, ne quis enunciaret prius quàm decreta esset: mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percunctatur filium, quidnam in senatu Patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dici licere. mulier fit audiendi cupidior. secretum rei & silentium deberi puer affirmans animum ejus ad inquirendum everberat. quærit igitur compressius violentiusque. tum puer, matre urgente, lepidi atque festivi mendacii consilium capit. actum in senatu dixit, utrum videretur utilius magisque è republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. hoc illa ut audivit, animo compavescit: domo trepidans egreditur: ad ceteras matronas defert quod audierat. perveniunt ad senatum postera die matrumfamilias caterva: lacrymantes atque obsecrantes orant una potius ut duobus nupta fieret, quàm ut uni duæ. Senatores ingredientes in curiam, quæ illa mulierum intemperies & quid sibi postulatio isthæc vellet, mirabantur. puer Papirius in medium curiæ progressus, quid mater audire instituisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicuti fuerat, denarrat. senatus fidem atque ingenium pueri deosculatus consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introëant, nisi ille unus Papirius: eique puero postea cognomentum, honoris gratia, inditum Prætextatus, ob loquendi tacendique in ætate prætextata prudentiam.

CAP.

CAP. XXIV.

Tria epigrammata trium veterum poëtarum, Nævii, Plauti, Pacuvii, quæ, facta ab ipsis, sepulchris ipsorum inciſa ſunt.

TRium poëtarum illuſtrium epigrammata, Cn. Nævii, M. Plauti, M. Pacuvii, quæ ipſi fecerunt & incidenda ſuo ſepulchro reliquerunt, nobilitatis eorum gratia & venuſtatis, ſcribenda in his commentariis eſſe duxi. Epigramma Nævii plenum ſuperbiæ Campanæ: quod teſtimonium eſſe juſtum potuiſſet, niſi ab ipſo dictum eſſet;

Mortalis immortalis flere ſi foret fas,
Flerent divæ Camœnæ Nævium poëtam.
Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,
Oblitei ſunt Romæ loquier Latina lingua.

Epigramma Plauti, quod dubitaſſemus an Plauti foret, niſi à M. Varrone poſitum fuiſſet in libro de poëtis primo;

Poſtquam morte datu'ſt Plautus, comœdia luget;
Scena eſt deſerta. dein Riſus, Ludu', Iocuſque,
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.

Epigramma Pacuvii verecundiſſimum & puriſſimum, dignumque ejus elegantiſſima gravitate.

Adoleſcens, tamen etſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Utei ad ſe adſpicias: deinde quod ſcriptu-ſt legas.
Hic ſunt poëtæ Marcei Pacuviei ſita
Oſſa. hoc volebam neſcius ne eſſes. vale.

CAP. XXV.

Quibus verbis M. Varro inducias definierit: quæsitumque inibi curiosius, quænam ratio sit vocabuli induciarum.

DUobus modis M. Varro in libro Humanarum, qui est *de bello & pace*, *Induciæ* quid sint definit. *Induciæ*, inquit, *sunt pax castrensis paucorum dierum* item alio in loco, *Induciæ*, inquit, *sunt belli feriæ*. Sed lepidæ magis atque jucundæ brevitatis utraque definitio, quàm plena aut proba esse videtur. nam neque pax est induciæ (bellum enim manet, pugna cessat.) neque in solis castris, neque paucorum tantùm dierum induciæ sunt. quid enim dicemus, si induciis in mensium aliquot factis in oppida ex castris concedatur? nonne tum quoque induciæ sunt? aut rursus quid esse dicemus, quod in primo annali Quadrigarii scriptum est, C. Pontium Samnitem à dictatore Romano sex horarum inducias postulasse, si induciæ paucorum tantum dierum appellandæ sunt? Belli autem ferias festivè magis dixit quàm apertè atque definitè. Græci autem significantiùs consignantiusque cessationem istam pugnæ pactitiam ἐκεχειρίαν dixerunt, exempta una litera sonitus vastioris, & subjuncta lenioris. nam quòd eo tempore non pugnetur & manus cohibeantur, ἐκεχειρίαν appellarunt. Sed profectò non id fuit Varroni negotium, ut inducias superstitiosè definiret, & legibus rationibusque omnibus definitionum inserviret. satis enim visum est, ejusmodi facere demonstrationem, quod genus Græci τύπους magis & ὑπογραφὰς, quam ὁρισμοὺς vocant. Induciarum autem vocabulum qua sit ratione factum, jam diu est quod quærimus. Sed ex multis quę jam audivimus vel legimus, probabilius id, quod dicam, videtur. *Inducias* sic dictas arbitramur, quasi tu dicas *inde uti jam*. Pactum induciarum hujusmodi est, ut in diem certum non pugnetur, nihilque

nihilque incommodi detur: sed ex eo die postea uti jam omnia belli jure agantur. quòd dicitur dies certus præfinitus, pactumque fit, ut ante eum diem ne pugnetur, atque is dies ubi venit inde uti jam pugnetur: iccirco ex iis quibus dixi, vocibus, quasi per quemdam coitum & copulam nomen induciarum connexum est. Aurelius autem Opilius in primo librorum, quos Musarum inscripsit, *Induciæ*, inquit, *dicuntur, quum hostes inter sese utrimque utroque alter ad alterum impunè & sine pugna ineunt. Inde ab eo*, inquit, *nomen esse factum videtur, quasi initiæ, hoc est, initus atque introitus.* Hoc ab Aurelio scriptum propterea non præterii, ne cui harum Noctium æmulo eo tantùm nomine elegantius id videretur, tamquam id nos originem verbi requirentes fugisset. L. I. c. 17.

CAP. XXVI.

Quem in modum mihi Taurus Philosophus responderit percunctanti, an sapiens irascceretur.

INterrogavi in diatriba Taurum an sapiens irascceretur. dabat enim sæpe post quotidianas lectiones quærendi quod quis vellet potestatem. is quum graviter & copiosè de morbo affectuve iræ disseruisset, quæ & in veterum libris & in ipsius commentariis exposita sunt: convertit ad me, qui interrogaveram, &, Hæc ego, inquit, super irascendo sentio. sed &, quid Plutarchus noster vir doctissimus ac prudentissimus senserit, non ab re est, ut id quoque audias. Plutarchus, inquit, servo suo, nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusque philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam detrahi ob nescio quod delictum, cædique eum loro jussit. cœperat verberari, obloquebatur non meruisse ut vapulet, nihil mali, nihil sceleris admisisse. postremò vociferari inter vapulandum incipit: neque jam querimonias aut gemitus ejulatusque facere, sed verba seria &

objurgatoria: Non ita esse Plutarchum ut deceret, philosophum irasci turpe esse: sæpe eum de malo iracundiæ edissertavisse; librum quoque περὶ ἀοργησίας pulcherrimum conscripsisse; iis omnibus, quæ in eo libro scripta sunt, nequaquam convenire, quòd provolutus effususque in iram plurimis se plagis mulcaret. Tum Plutarchus lente & leniter, Quid autem, inquit, verbero, nunc ego tibi irasci videor? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum esse me ira intelligis? mihi quidem neque oculi opinor truces sunt, neque os turbidum; neque immaniter clamo; neque in spumam ruboremve efferveseo: neque pudenda dico aut pœnitenda: neque omnino trepido ira & gestio. hæc enim omnia, si ignoras, signa esse irarum solent; & simul ad eum, qui cædebat, conversus, interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tu age. Summa autem totius sententiæ Tauri hæc fuit. non idem esse existimavit ἀοργησίαν καὶ ἀναλγησίαν, aliudque esse non iracundum animum, aliud ἀνάλγητον καὶ ἀναίσθητον. Nam ut aliorum omnium, quos Latini philosophi affectus vel affectiones, Græci πάθη appellant: ita hujus quoque motus animi, qui quum est ulciscendi causa sævior, ira dicitur, non priuationem esse utilem censuit, quam Græci στέρησιν dicunt, sed mediocritatem, quam μεσότητα illi appellant.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quo genere solitus sit philosophus Socrates exercere patientiam corporis: deque ejusdem viri patientia.

INTER labores voluntarios & exercitia corporis, ad fortuitas patientiæ vices firmandi, id quoque accepimus Socratem facere insuevisse. Stare solitus Socrates dicitur, pertinaci statu, perdius atque pernox à summo lucis ortu ad Solem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore atque oculis eumdem in locum directis cogitabundus, tamquam quodam secessu mentis atque animi facto à corpore. Quam rem quum Favorinus, de fortitudine ejus viri ut pleraque disserens, attigisset, πολλάκις, inquit, ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον ἑστήκει ἀστραβέστερος τῶν πρέμνων. Temperantia quoque eum fuisse tanta traditum est, ut omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit. in illius etiam pestilentiæ vastitate, quæ, in belli Peloponnesiaci principiis ipsam Atheniensium civitatem internecino genere morbi depopulata est, is parcendi moderandique rationibus dicitur & à voluptatum labe cavisse, & salubritates corporis retinuisse: ut nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius.

CAP. II.

Quæ ratio observatioque officiorum esse debeat inter patres filiosque in discumbendo sedendoque, atque in id genus rebus domi forisque, si filii magistratus sunt & patres privati: superque ea re Tauri philosophi dissertatio, & exemplum ex historia Romana petitum.

AD philosophum Taurum Athenas, visendi cognoscendique ejus gratia, venerat V. Cl. præses Cretæ

Cretæ provinciæ: & cum eo simul ejusdem præsidis pater. Taurus, sectatoribus commodùm dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus, & cum assistentibus nobis sermocinabatur. Introivit provinciæ præses & cum eo pater. assurrexit placidè Taurus: & post mutuam salutationem resedit. allata mox una sella est, quæ in promptu erat: atque dum aliæ promebantur, apposita est. invitavit Taurus patrem præsidis ut sederet. atque ille ait: Sedeat hic potius, qui populi Romani magistratus est. Absque præjudicio, inquit Taurus, tu interea sede, dum inspicimus quærimusque utrum conveniat, tene potius sedere qui pater es, an filium qui magistratus est. &, quum pater assedisset, appositumque esset aliud filio quoque ejus sedile, verba super ea re Taurus facit cum summa, di boni! honorum atque officiorum perpensatione. Eorum verborum sententia hæc fuit: In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum & connivere: sed quum extra rempub. in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur, tum inter filium magistratum & patrem privatum publicos honores cessare: naturales & genuinos exoriri. hoc igitur, inquit, quòd ad me venistis, quòd colloquimur nunc, quòd de officiis disceptamus, privata actio est. itaque utere apud me iis honoribus prius, quibus domi quoque vestræ te uti priorem decet. Hæc atque alia in eandem sententiam Taurus graviter simul & comiter disseruit. Quid autem super hujuscemodi patris atque filii officio apud Claudium legerimus, non ab re visum est ut adscriberemus. posuimus igitur verba ipsa Quadrigarii ex annali ejus sexto transcripta: *Deinde facti consules Sempronius Gracchus iterum, Q. Fabius Maximus filius ejus, qui priore anno erat consul. ei consuli pater proconsul obviam in equo veheus venit, neque descendere*

scendere voluit, quòd pater erat: &, quòd inter eos sciebant maxima concordia convenire, lictores non ausi sunt descendere jubere. Ubi juxtà venit; tum consul ait, Descendere jube. quod posteaquam lictor ille, qui apparebat, cito intellexit, Maximum proconsulem descendere jussit. Fabius imperio paret: & filium collaudavit, quum imperium, quod populi esset, retineret.

CAP. III.

Qua ratione verbis quibusdam vocabulisque veteres immiserint, h, litteræ spiritum.

H Litteram, sive illam spiritum magis quàm litteram dici oportet, inserebant eam veteres nostri pleriſque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esse viridior vegetiorque; atque id videntur fecisse studio & exemplo linguæ Atticæ. satis enim notum est Atticos ἰχθὺν, ἰρὸν, multa itidem alia, citra morem gentium Græciæ cæterarum, inspirantis primæ litteræ dixisse. sic lachrymas, sic sepulchrum, sic ahenum, sic vehemens, sic inchoare, sic helluari, sic hallucinari, sic honera, sic honustum dixerunt. In his enim verbis omnibus litteræ seu spiritus istius nulla ratio visa est, nisi ut firmitas & vigor vocis, quasi quibusdam nervis additis, intenderetur. Sed quoniam, *aheni*, quoque exemplo usi sumus, venit nobis in memoriam Fidum Optatum multi nominis Romæ grammaticum ostendisse mihi librum Æneidos secundum, mirandæ vetustatis, emptum in Sigillariis x x aureis, quem ipsius Virgilii fuisse credebat: in quo duo isti versus quum ita scripti forent,

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat telis & luce coruscus aëna,

additam supra vidimus, *h*, literam, &, *ahena*, factum.

ctum. Sic in illo quoque Virgilii versu in optimis libris scriptum invenimus:

Aut foliis undam tepidi dispumat aheni.

CAP. IV.

Quam ob causam Gabius Bassus genus quoddam judicii divinationem appellari scripsit: & quam alii causam esse ejusdem vocabuli dixerint.

QUum de constituendo accusatore quæritur, judiciumque super ea re redditur, cuinam potissimum ex duobus pluribusve accusatio subscriptiove in reum permittatur; ea res atque judicum cognitio, *divinatio*, appellatur. id vocabulum quam ob causam ita factum sit, quæri solet. Gabius Bassus in tertio librorum quos de origine vocabulorum composuit, *Divinatio*, inquit, *judicium appellatur: quoniam divinet quodammodo judex oporteat, quam sententiam sese ferre par sit.* Nimis quidem est in verbis Gabii Bassi ratio imperfecta vel magis inops & jejuna. sed videtur eum significare velle, iccirco dici divinationem; quòd in aliis quidem causis judex ea quæ didicit, quæque argumentis vel testibus demonstrata sunt, sequi solet: in hac autem re, quum eligendus accusator est, parva admodum & exilia sunt, quibus moveri judex possit; & propterea, quinam magis ad accusandum idoneus sit, quasi divinandum est. Hoc Bassus. Sed alii quidem *divinationem* esse appellatam putant, quoniam quum accusator & reus duæ res quasi cognatæ conjunctæque sint, neque utra sine altera constare possit: in hoc tamen genere causæ reus quidem jam est, sed accusator nondum est: & iccirco, quod adhuc usque deest & latet, divinatione supplendum est, quisnam sit accusator futurus.

CAP.

CAP. V.

Quàm lepidè designatèque dixerit Favorinus Philosophus, quid interfit inter Platonis & Lysiæ orationem.

FAvorinus de Lysia & Platone solitus est dicere, Si ex Platonis, inquit, oratione verbum aliquod demas mutesve, atque id commodissimè facias, de elegantia tantum detraxeris: si ex Lysiæ, de sententia.

CAP. VI.

Quibus verbis ignaviter & abjectè Virgilius usus esse dicatur; & quid iis, qui id improbè dicunt, respondeatur.

NOnnulli grammatici ætatis superioris, in quibus est Cornutus Annæus, haud sanè indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt, reprehendunt quasi incuriosè & abjectè verbum positum in his versibus:

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis.

vexasse enim putant verbum esse leve, & tenuis ac parvi incommodi, nec tantæ atrocitati congruere, quum homines repentè à bellua immanissima rapti laniatique sint. Item aliud hujuscemodi reprehendunt,

— *Quis aut Eurystheа durum*
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

illaudati parum idoneum esse verbum dicunt: neque id satis esse ad faciendum scelerati hominis detestationem, qui quod hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione, exsecrationeque totius generis humani dignus esset. Item aliud verbum culpaverunt,

Per

Per tunicam squallentem auro latus haurit apertum.

tamquam si non convenerit dicere, *auro squallentem*: quoniam nitoribus splendoribusque auri squalloris illuvies sit contraria. Sed de verbo, *vexasse*, ita responderi posse credo. *Vexasse* grave verbum est: factumque ab eo videtur, quod est *vehere*. in quo inest jam vis quædam alieni arbitrii. non enim sui potens est, qui vehitur. *Vexare* autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu proculdubio vastiore est. nam qui fertur & raptatur atque huc atque illuc distrahitur, is vexari propriè dicitur. sicuti *taxare* pressius crebriusque est, quàm *tangere*; unde proculdubio id inclinatum est: & *jactare* multo fusius largiusque est quàm *jacere*; unde id verbum traductum est: & *quassare*, quam *quatere* gravius violentiusque est. Non igitur quia vulgo dici solet vexatum esse quem fumo aut vento aut pulvere, propterea debet vis vera atque natura verbi deperire: quæ à veteribus, qui propriè aut signate loquuti sunt, ita ut decuit, conservata est. M. Catonis verba sunt ex oratione, quam de Achæis scripsit, *Quumque Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret. Vexatam* Italiam dixit Cato ab Hannibale, quando nullum calamitatis aut sævitiæ aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpessa sit. M. Tullius IV in Verrem: *Quæ ab isto sic spoliata atque direpta est, ut non ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionem & consuetudinis jura retineret, sed ut à barbaris prædonibus vexata esse videatur. De illaudato* autem duo videntur responderi posse. unum est ejusmodi: nemo quisquam tam efflictis est moribus, quin faciat aut dicat nonnunquam aliquid quod laudari queat. unde hic antiquissimus versus vicem proverbii celebratus est: Πολλάκι γὸ κηπωρὸς ἐὼν μάλα καίριον εἶπεν. sed enim qui omni in re atque omni tempore laude omni vacat, is illaudatus est: isque omnium pessimus deterrimusque est, sicuti omnis

culpæ

culpæ privatio inculpatum facit. inculpatus autem instar est absolutæ virtutis; illaudatus igitur quoque finis est extremæ malitiæ. Itaque Homerus non virtutibus appellandis, sed vitiis detrahendis laudare ampliter solet. hoc enim est:

Ἤυδα μάντις ἀμύμων.
Τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην.

& item illud:

Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον.
Οὐδὲ καταπτώσοντ', οὐδ' οὐκ ἐθέλοντα μάχεσθαι.

Epicurus quoque simili modo maximam voluptatem detractionem privationemque omnis doloris definivit his verbis; ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Eadem ratione idem Virgilius *inamabilem* dixit Stygiam paludem. nam sicut *illaudatum* κατὰ laudis στέρησιν, ita *inamabilem*, κατὰ amoris στέρησιν detestatus est. Altero modo *illaudatus* ita defenditur. *laudare* significat prisca lingua nominare appellareque. sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari. *illaudatus* enim est quasi *illaudabilis*, qui neque mentione aut memoria ulla dignus, neque unquam nominandus est. sicuti quondam à communi concilio Asiæ decretum est, uti nomen ejus, qui templum Dianæ Ephesiæ incenderat, ne quis ullo in tempore nominaret. Tertium restat ex iis, quæ reprehensa sunt; quòd *tunicam squallentem auro* dixit. id autem significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. squallere enim dictum est à squamarum crebritate asperitateque; quæ in serpentium pisciumque coriis visuntur. quam rem & alii, & hic quidem poëta locis aliquot demonstrat:

Quem pellis, inquit, *ahenis*
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Et alio loco,

Jamque adeò rutilum thoraca indutus ahenis
Horrebat squamis.

Accius in Pelopidis ita scribit,

Ejus serpentis squamæ squallido auro & purpura prætextæ.

Quicquid igitur nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id *squallere* dicebatur. sic in corporibus incultis squamosisque alta congeries sordium squallor appellatur. cujus significationis multo assiduoque usu totum id verbum ita contaminatum est, ut jam squallor de re alia nulla, quàm de solis inquinamentis dici cœperit.

CAP. VII.

De officio erga patres liberorum: deque ea re ex philosophiæ libris, in quibus scriptum quæsitumque est, an semper omnibusque patris jussis obsequendum sit.

Quæri solitum est in philosophorum disceptationibus, an semper inque omnibus jussis patri parendum sit. Super ea re Græci, nostrique, qui de officiis scripserunt, tres sententias esse, quæ spectandæ considerandæque sint, tradiderunt: easque subtilissimè dijudicaverunt. Earum una est, omnibus quæ pater imperat parendum. altera est, in quibusdam parendum, quibusdam non obsequendum. tertia est, nihil necessium esse patri obsequi & parere. Hæc sententia, quoniam primore adspectu nimis infamis est, super ea prius, quæ dicta sunt, dicemus. Aut rectè, inquiunt, imperat pater, aut perperam. si rectè imperat; non quia imperat parendum, sed, quoniam id fieri jus est, faciendum est. si perperam; nequaquam scilicet faciendum, quod fieri non oportet. deinde ita concludunt, nunquam est igitur patri parendum, quæ imperat. Sed neque istam sententiam probari accepimus: argutiola quippe hæc, sicuti mox ostendemus, frivola & inanis est. neque autem illa, quam primo in loco diximus, vera & proba videri po-

test;

test; omnia esse, quæ pater jusserit, parendum. quid enim? si proditionem patriæ, si matris necem, si alia quædam imperarit turpia aut impia. Media igitur sententia optima atque tutissima visa est; quædam esse parendum, quædam non obsequendum. sed ea tamen, quæ obsequi non oportet, leniter & verecundè ac sine detestatione nimia sineque opprobatione acerba reprehensionis declinanda sensim & relinquenda esse dicunt, quàm respuenda. conclusio vero illa, qua colligitur, sicuti supradictum est, nihil patri parendum, imperfecta est, refutarique ac dilui sic potest. Omnia, quæ in rebus humanis fiunt, sicut docti censuerunt, aut honesta sunt aut turpia. quæ sua vi recta aut honesta sunt, ut fidem colere, ut patriam defendere, ut amicos diligere, ea fieri oportet, sive imperet pater, sive non imperet. sed quæ his contraria, quæque turpia & omnino iniqua sunt; ea ne si imperet quidem: quæ verò in medio sunt, & à Græcis tum ἀδιάφορα, tum μέσα appellantur, ut in militiam ire, rus colere, honores capessere, causas defendere, uxorem ducere, uti jussum proficisci, uti accersitum venire; quoniam & hæc & his similia per sese ipsa neque honesta sunt neque turpia, sed, proinde ut à nobis aguntur, ita ipsis actionibus aut probanda fiunt ac reprehendenda: propterea in ejusmodi omnium rerum generibus patri parendum esse censent; veluti si uxorem ducere imperet aut causas pro reis dicere. quod enim utrumque in genere ipso per sese neque honestum neque turpe est; iccirco, si pater jubeat, obsequendum est. quid enim? si imperet uxorem ducere infamem, propudiosam, criminosam; aut pro reo Catilina aliquo, aut Tubulo, aut P. Clodio causam dicere. non scilicet parendum; quoniam accedente aliquo turpitudinis numero desinunt esse per sese hæc media atque indifferentia. Non ergo integra est propositio dicenda; aut honesta sunt, quæ imperat pater, aut turpia: neque ὑγιὲς νόμιμον

διεζευγμένον videri potest. deest enim disjunctioni isti tertium: aut neque honesta sunt neque turpia. quod si additur, potest ita concludi: nonnunquam est igitur patri parendum.

CAP. VIII.

Quod parum æqua reprehensio Epicuri à Plutarcho peracta sit in syllogismi disciplina.

PLutarchus secundo librorum, quos de Homero composuit, imperfectè atque præposterè atque insciтè syllogismo esse usum Epicurum dicit: verbaque ipsa Epicuri ponit: ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ μὲν διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. nam prætermisit, inquit, quod in prima parte sumere debuit: ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. tum deinde eodem ipso, quòd omiserat, quasi posito concessoque ad confirmandum aliud utitur. progredi autem hic, inquit, syllogismus, nisi illo priùs posito, non potest. Verè hoc quidem Plutarchus de forma & ordine syllogismi scripsit. nam si, ut in disciplinis traditur, ita colligere & ratiocinari velis, sic dici oportet. ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Sed Epicurus, cuicuimodi homo est, non insciтia videtur partem illam syllogismi prætermisisse. neque id ei negotium fuit syllogismum, tamquam in scholis philosophorum cum numeris omnibus & cum suis finibus dicere. & profectò, quia separatio animi & corporis in morte evidens est, non est ratus necessariam esse ejus admonitionem, quòd omnibus prorsus erat obvium. sicuti etiam quòd conclusionem syllogismi non in fine posuit, sed in principio: nam id quoque non imperitè factum quis non videt? apud Platonem quoque multis in locis reperias syllogismos repudiato converso ordine isto, qui in docendo traditur

tur, cum eleganti quadam reprehensionis contentione positos esse.

CAP. IX.

Quod Plutarchus evidenti calumnia verbum ab Epicuro dictum insectatus sit.

IN eodem libro idem Plutarchus eumdem Epicurum reprehendit, quòd verbo usus sit parum proprio & alienæ significationis. ita enim scripsit Epicurus: ὄρῳ τὸ μεγέθος τῶν ἡδονῶν, ἢ παντὸς τοῦ ἀλγεῖν ὑπεξαίρεσις. non, inquit, παυλὸς τοῦ ἀλγεῖν, sed παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ dicere oportuit. detractio enim significanda est doloris, inquit, non dolentis. Nimis minutè ac propè etiam subfrigidè Plutarchus in Epicuro accusando λέξεις τηρεῖ. has enim curas vocum verborumque elegantias non modò non sectatur Epicurus, sed etiam insectatur.

CAP. X.

Quid sint faviſſæ Capitolinæ: & quid super eo verbo M. Varro Servio Sulpicio quærenti rescripserit.

SErvius Sulpicius juris civilis auctor, vir bene litteratus, scripsit ad M. Varronem; rogavitque, ut rescriberet, quid significaret verbum, quod in censoriis libris scriptum esset. id erat verbum, *faviſſæ Capitolinæ*. Varro rescripsit, in memoria sibi esse, quòd Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset; Voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret: sed facere id non quisse, quoniam faviſſæ impediſſent. id esse cellas quasdam & cisternas, quæ in area sub terra essent; ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiosa è donis consecratis. ac deinde eadem epistola ne-

gat quidem se in litteris inveniſſe, cur faviſſæ dictæ ſint? ſed Q. Valerium Soranum ſolitum dicere ait, quos theſauros Græco nomine appellaremus, priſcos Latinos *flaviſſas* dixiſſe: quòd in eos non rude æs argentumque, ſed flata ſignataque pecunia conderetur. Conjectare igitur ſe detractam eſſe ex eo verbo ſecundam literam, & *faviſſas* eſſe dictas cellas quaſdam & ſpecus, quibus æditui Capitolini uterentur ad cuſtodiendum res veteres religioſas.

CAP. XI.

De Siccio Dentato egregio bellatore multa memoratu digna.

L. Siccium Dentatum, qui trib. plebi fuit, Sp. Tarpejo, A. Haterio conſulibus, ſcriptum eſt in libris annalibus, plus, quam credi debeat, ſtrenuum bellatorem fuiſſe, nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem: appellatumque eſſe Achillem Romanum. Is pugnaſſe in hoſtem dicitur centum & XX prœliis; cicatricem averſam nullam, adverſas quinque & XL tuliſſe; coronis eſſe donatus aureis octo, obſidionali una, muralibus tribus, civicis XIV. torquibus tribus & LXXX. armillis plus centum LX. haſtis duodeviginti. phaleris item donatus eſt quinquies vicieſque. Spolia (militaria dona) habuit multijuga: in his provocatoria pleraque, triumphavit cum imperatoribus ſuis triumphos novem.

CAP. XII.

Conſiderata perpenſaque lex quædam Solonis ſpeciem habens primorem iniquæ injuſtæque legis, ſed ad uſum emolumentumque ſalubritatis penitus reperta.

IN legibus Solonis illis antiquiſſimis, quæ Athenis axibus ligneis inciſæ ſunt, quaſque latas ab eo Athenienſes, ut ſempiternæ manerent, pœnis & religioni-

bus

bus sanxerant, legem esse Aristoteles refert scriptam ad hanc sententiam: Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partis fieret, & ob eam causam irritatis animis utrimque arma caperentur, pugnareturque, tum qui, in eo tempore in eoque casu civilis discordiæ, non alterutræ parti sese adjunxerit, sed solitarius separatusque à communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto: exsul extorrisque esto. Quum hanc legem Solonis singulari sapientia præditi legissemus; tenuit nos gravis quædam in principio admiratio, requirentes quam ob causam dignos esse pœna existimaverit, qui se procul à seditione & civili pugna removissent. Tum, qui penitus atque altè usum ac sententiam legis inspexerat, non ad augendam sed ad desinendam seditionem legem hanc esse dicebat, & res prorsum se sic habet: nam si boni omnes, qui in principio coërcendæ seditioni impares fuerint, populumque partitum & amentem non deterruerint, ad alterutram partem divisi sese adjunxerint: tum eveniet, ut quum socii partis seorsum utriusque fuerint, eæque partes ab iis, ut majoris auctoritatis viris temperari ac regi cœperint, concordia per eos potissimùm restitui conciliarique possit: dum & suos, apud quos sunt, regunt atque mitificant, & adversarios sanatos magis cupiunt quàm perditos. Hoc idem Favorinus philosophus inter fratres quoque aut amicos dissidentes oportere fieri censebat: ut, qui in medio sunt utriusque partis benevoli, si in concordia annitenda parum auctoritatis quasi ambigui amici habuerint, tum alteri in alteram partem discedant: ac per id meritum viam sibi ad utriusque concordiam mœniant. Nunc autem pleraque, inquit, pars utriusque amici, quasi probè faciant, duo litigantes destituunt & relinquunt; deduntque eos advocatis malevolis aut avaris, qui lites animasque eorum inflamment, aut odii studio, aut lucri.

CAP. XIII.

Liberos *in multitudinis numero etiam unum filium filiamve veteres dixisse.*

ANtiqui oratores, historiæque aut carminum scriptores, etiam unum filium filiamve *liberos* multitudinis numero appellarunt. id quoque nos quum in complurium veterum libris scriptum aliquotiens adverterimus, nunc quoque in libro Sempronii Asellionis rerum gestarum quinto, ita positum esse offendimus. Is Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit: resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. ejus verba de Tiberio Graccho tribuno plebi, quo in tempore interfectus in Capitolio est, hæc sunt: *Nam Gracchus domo quum proficisceretur, nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur.* atque inde infrà de eodem Graccho ita scripsit: *Orare cœpit, ut se defenderent liberosque suos: eum quem virilis sexus tum in eo tempore habebat, produci jussit, populoque commendavit propè flens.*

CAP. XIV.

Quòd M. Cato in libro, qui inscriptus est, CONTRA TIBERIUM EXSULEM, *stitisses vadimonium, per, i, litteram dicit, non, stetisses: ejusque verbi ratio reddita.*

IN libro vetere M. Catonis, qui inscribitur, CONTRA TIBERIUM EXSULEM, scriptum quidem sic erat, *Quid si vadimonium capite obvoluto stitisses?* Rectè quidem ille *stitisses* scripsit: sed falsi & audaces emendatores, *e*, scripto per libros *stetisses* fecerunt, tamquam *stitisses* vanum & nihili verbum esset. quin potius ipsi nequàm & nihili sunt, qui ignorant, *stitisses*, dictum

ctûm à Catone, quoniam *sisteretur vadimonium*, non *staretur*.

CAP. XV.

Quòd antiquitus ætati senectæ potissimum habiti sunt ampli honores, & cur postea ad maritos & patres iidem isti honores delati sint: atque ibi quædam de capite legis Juliæ septimo.

APud antiquissimos Romanorum neque generi neque pecuniæ præstantior honos tribui quàm ætati solitus: majoresque natu à minoribus colebantur, ad deûm propè & parentum vicem. atque in omni loco, inque omni specie honoris, priores potioresque habiti. à convivio quoque, ut scriptum est in antiquitatibus, seniores à minoribus domum deducebantur: eumque morem accepisse Romanos à Lacedæmoniis traditum est: apud quos, Lycurgi legibus, major rerum omnium honos majori ætati habebatur. Sed postquam suboles civitati necessaria visa est: & ad prolem populi frequentandam, præmiis atque invitamentis usus fuit: tum antelati quibusdam in rebus, qui uxorem quique liberos haberent, senioribus neque liberos neque uxores habentibus. sic capite septimo legis Juliæ priori ex consulibus fasces sumendi potestas fit, non qui pluris annos natus est, sed qui pluris liberos quàm collega aut in sua potestate habet, aut bello amisit. sed si par utrique numerus liberorum est, maritus, aut qui in numero maritorum est, præfertur. si verò ambo & mariti & patres totidem liberorum sunt, tum ille pristinus honos instauratur: & qui major natu est, prior fasces sumit. Super his autem, qui aut cælibes ambo sunt, aut parem numerum filiorum habent, aut mariti sunt & liberos non habent, nihil scriptum in lege de ætate est. solitos tamen audio, qui lege potiores essent, fasces primi mensis

sis collegis concedere aut longè ætate prioribus, aut nobilioribus multo, aut secundum consulatum ineuntibus.

CAP. XVI.

Quod Cæsellius Vindex à Sulpicio Apollinari reprehensus est in sensus Virgiliani enarratione.

VIrgilii versus sunt è libro sexto:

Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca. primus ad auras
Ætherias Italo commistus sanguine surget
Silvius Albanum nomen, tua postuma proles;
Quem tibi longævo serum Lavinia conjunx
Educet silvis regem regumque parentem.
Unde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Videbantur hæc nequaquàm convenire,

Tua postuma proles, &,
Quem tibi longævo serum Lavinia conjunx
Educet silvis regem.

nam si hic Silvius, ita ut in omnium fermè annalium monumentis scriptum est, post mortem patris natus est, ob eamque causam prænomen ei Postumo fuit: qua ratione subjectum est?

Quem tibi longævo serum Lavinia conjunx
Educet silvis.

Hæc enim verba significare videri possunt, Ænea vivo ac jam sene, natum ei Silvium & educatum. Itaque hanc sententiam esse verborum istorum Cæsellius opinatus in commentario lectionum antiquarum, *Postuma*, inquit, *proles non eum significat, qui patre mortuo, sed qui postremo loco natus est. sicuti Silvius; qui Ænea jam sene, tardo seroque partu est editus.* Sed hujus historiæ auctorem nullum idoneum nominat. Silvium autem post Æneæ mortem, sicuti diximus, natum multi tradiderunt.

idcirco

idcirco Apollinaris Sulpicius inter cætera, in quibus Cæsellium reprehendit, hoc quoque ejus quasi erratum animadvertit: erroriſque iſtius hanc eſſe cauſam dixit, quod ſcriptum ita ſit: *Quem tibi longævo. longævo*, inquit, non *ſeni* (ſignificatio enim eſſet contra hiſtoriæ fidem) ſed in longum jam ævum perpetuum recepto immortalique facto. Anchiſes enim, qui hæc dicit ad filium, ſciebat eum, quum hominum vita diſceſſiſſet, immortalem atque indigetem futurum, & longo perpetuoque ævo potiturum. Hoc ſanè Apollinaris argutè. ſed aliud tamen eſt longum ævum, aliud perpetuum. neque dii longævi appellantur, ſed immortales.

CAP. XVII.

Cujuſmodi naturam eſſe quarumdam præpoſitionum M. Cicero animadverterit: diſceptatumque ibi ſuper eo ipſo, quod Cicero obſervaverat.

OBſervatè curioſeque animadvertit M. Tullius *in* & *con* præpoſitiones verbis aut vocabulis præpoſitas tunc produci atque protendi, quum litteræ ſequerentur, quæ primæ ſunt in *ſapiente* atque *felice*: in aliis autem omnibus correptè pronunciari. Verba Ciceronis hæc ſunt; *Quid verò hoc elegantius, quod non ſit natura, ſed quodam inſtituto? indoctus dicimus brevi prima littera, inſanus producta: inhumanus brevi, infelix longa. &, ne multis, quibus in verbis eæ primæ litteræ ſunt, quæ in ſapiente atque felice, productè dicuntur: in cæteris vero omnibus breviter. itemque compoſuit, concrepuit, confecit: conſule veritatem: reprehendet. refer ad auris: probabunt. quære cur ita? ſe dicent juvari. voluptati autem aurium morigerari debet oratio.* Manifeſta quidem ratio ſuavitatis eſt in his vocibus, de quibus Cicero locutus eſt. ſed quid dicemus de præpoſitione, *pro?* quæ, quum produci & corripi ſoleat, obſervationem hanc tamen

men M. Tullii aspernata est. non enim semper producitur quum sequitur ea littera, quæ prima est in verbo *felix*: quam Cicero hanc habere vim significat, ut propter eam rem, *in* & *con* præpositiones producantur. nam *proficisci* & *profundere* & *profugere* & *profanum* & *profestum* correptè dicimus; *proferre* autem & *profligare* & *proficere* productè. Cur igitur ea littera, quam Cicero productionis causam facere observavit, non in omnibus consimilibus eandem vim aut rationis aut suavitatis tenet; sed aliam vocem produci facit, aliam corripi? neque verò, *con*, particula tum solùm producitur, quum ea littera, de qua Cicero dicit, insequitur. nam & Cato & Sallustius, *fœnoribus*, inquiunt, *coopertus est*. Præterea *coligatus* & *conexus* productè dicuntur, sed tamen videri potest in iis, quæ posui, ob eam causam particula hæc produci, quoniam eliditur ex eâ *n* littera. nam detrimentum litteræ productione syllabæ compensatur. quod quidem etiam in eo servatur quod est, *cogo*. neque repugnat quod, *coëgi*, correptè dicimus; non enim salva σωζαιρέσει dicitur à verbo, quod est, *cogo*.

CAP. XVIII.

Quòd Phædon Socraticus servus fuit, quodque item alii compluſculi servitutem servierunt.

PHædon Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit: Socratique & Platoni per fuit familiaris. ejus nomini Plato illum librum divinum de immortalitate animæ dedit. Is Phædon servus fuit forma atque ingenio liberali, &, ut quidam scripserunt, à lenone domino puer ad merendum coactus. Eum Cebes Socraticus hortante Socrate emisse dicitur, habuisseque in philosophiæ disciplinis. atque is postea philosophus illustris fuit; sermonesque ejus de Socrate admodum elegantes leguntur.

Alii

Alii quoque non pauci servi fuerunt qui pòst philosophi clari extiterunt. ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros M. Varro in Satiris æmulatus est, quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas. Sed & Theophrasti Peripatetici servus Pompylus, & Zenonis Stoici servus, qui Perseus vocatus est, & Epicuri, cui nomen Mys fuit, philosophi non incelebres vixerunt. Diogenes etiam Cynicus servitutem servivit: sed is ex libertate in servitutem venum ierat; quem quum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificii novisset percunctatus; Novi, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. tum Xeniades responsum ejus demiratus emit & manumisit; filiosque suos ei tradens, Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. De Epicteto autem philosopho nobili, quòd is quoque servus fuit, recentior est memoria, quàm ut scribi quasi oblitteratum debuerit. Ejus Epicteti etiam de se scripti duo versus feruntur: ex quibus latenter intelligas non omnes omnimodis diis exosos esse, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas.

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην ἴρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

CAP. XIX.

Rescire *verbum quid sit, & quam habeat veram atque propriam significationem.*

VErbum *rescire*, observavimus vim habere propriam quandam, non ex communi significatione cæterorum verborum, quibus eadem præpositio, *re*, imponitur, neque ut, *rescribere, relegere, restituere*, dicimus; itidem, *rescire*. nam qui factum aliquod occultius aut inopinatum insperatumque cognoscit, is dicitur proprie *rescire*. cur autem in hoc uno verbo, *re*, particula hujus sententiæ

tiæ vim habeat, equidem adhuc quæro. aliter enim dictum esse, *rescivi*, aut *rescire*, apud eos, qui diligenter loquuti sunt, nondum invenimus, quàm super his rebus, quæ aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemve usu venerint. Quanquam ipsum *scire* de omnibus communiter rebus dicatur vel adversis vel prosperis vel exspectatis. Nævius in Triphallo ita scripsit:

Si unquam quicquam filium rescivero
Argentum amoris causa sumpse mutuum:
Extemplo illo te ducam, ubi non despuas.

Claudius Quadrigarius in primo annali: *Ea Lucani ubi resciverunt, sibi per fallacias verba data esse.* idem Quadrigarius in eodem libro in re tristi & inopinata verbo isto ita utitur: *Id ubi resciverunt propinqui obsidum, quos Pontio traditos supra demonstravimus, eorum parentes cum propinquis capillo passo in viam provolarunt.* M. Cato in quarto Originum: *Deinde Dictator jubet postridie magistrum equitum arcessi. Mittam te, si vis, cum equitibus. Serò est, inquit magister equitum: jam rescivere.*

CAP. XX.

Quæ vulgo dicuntur vivaria, *id vocabulum veteres non dixisse: & quid pro eo P. Scipio in oratione ad populum, quid postea M. Varro in libris de re rustica dixerit usurpatum.*

VIvaria, quæ nunc dicuntur sæpta quædam loca, in quibus feræ vivæ pascuntur, M. Varro in libro de re rustica tertio dicit *leporaria* appellari. Verba Varronis subjeci: *Villaticæ pastionis genera sunt tria, ornithones, leporaria, piscinæ. nunc ornithones dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ solent pasci. Leporaria te accipere volo, non ea quæ tritavi nostri dicebant, ubi soli lepores sint: sed omnia sæpta afficta ædificia villæ quæ sunt,*

&

& habent incluſa animalia quæ paſcuntur. is item infrà in eodem libro ita ſcribit: *Quum emiſti fundum Tuſculanum à M. Piſone, in leporario apri fuere multi. Vivaria* quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos παραδείσους Græci appellant: quæ autem *leporaria* Varro dicit, haud uſquam memini apud vetuſtiores ſcriptum: ſed quòd apud Scipionem omnium ætatis ſuæ puriſſimè loquutum legimus *roboraria*; aliquot Romæ doctos viros dicere audivi id ſignificare, quod nos *vivaria* dicimus: appellataque eſſe à tabulis roboreis, quibus ſæpta eſſent: quod genus ſæptorum vidimus in Italia locis pleriſque. Verba ex oratione ejus contra Claudium Aſellum quinta hæc ſunt: *Ubi agros optimè cultos & villas expolitiſſimas vidiſſet, in his regionibus excelſiſſimo locorum murum ſtatuere ajebat: inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis per roborarium atque piſcinam, aliis per villam.* Lacus verò & ſtagna, quæ piſcibus vivis coërcentur clauſa, ſuo atque proprio nomine *piſcinas* nominaverunt. *Apiaria* quoque vulgus dicit loca, in quibus ſiti ſint alvei apum: ſed neminem eorum fermè, qui incorruptè loquuti ſunt, aut ſcripſiſſe memini aut dixiſſe. Marcus autem Varro de re ruſtica tertio, μελισσῶνας, inquit, *ita facere oportet, quæ quidam mellaria appellant.* ſed hoc verbum, quo Varro uſus eſt, Græcum eſt: nam μελισσῶνες ita dicuntur, ut ἀμπελῶνες & δαφνῶνες.

CAP. XXI.

Super eo ſidere, quod Græci ἅμαξαν, nos ſeptemtriones *vocamus: ac de utriuſque vocabuli ratione & origine.*

AB Ægina in Piræum compluſculi earundem diſciplinarum ſectatores Græci Romanique homines eadem in navi tramittebamus. nox fuit, & clemens mare, & anni æſtas, cælumque liquidè ſerenum. ſedebamus ergo in puppi ſimul univerſi, & lucentia ſidera conſideraba-

siderabamus. tum quispiam ex iis, qui eodem in numero Græcas res eruditi erant, quid ἅμαξα esset, quid ἄρκτος, quid βοώτης, & quænam major ἄρκτος, & quæ minor, cur ita appellata, & quam in partem procedentis noctis spatio moverentur, & quamobrem Homerus solam eam non occidere dicat, quum & quædam alia non occidant; scitè ista omnia ac peritè disserebat. Hic ego ad nostros juvenes convertor, &, Quid, inquam, vos opici dicitis mihi? quare quod ἅμαξαν Græci vocant, nos *septemtriones* vocamus? non enim satis est, quod septem stellas videmus; sed quid hoc totum, quod *septemtriones* dicimus, significet, scire, inquam, id prolixius volo. Tum quispiam ex iis, qui se ad litteras memoriasque veteres dediderant, Vulgus, inquit, grammaticorum *septemtriones* à solo numero stellarum dictum putat. *triones* enim per se nihil significare ajunt, sed vocabuli esse supplementum: sicut in eo quod *quinquatrus* dicimus, quod quinque ab idibus dierum numerus sit; *atrus* nihil significet: sed ego quidem cum L. Ælio & M. Varrone sentio, qui *triones* rustico certo vocabulo boves appellatos scribunt, quasi quosdam *terriones*, hoc est, arandæ colendæque terræ idoneos. itaque hoc sidus, quod à figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoque veteres à bobus junctis *septemtriones* appellarunt, id est, à septem stellis, ex quibus quasi juncti *triones* figurantur. præter hanc, inquit, opinionem id quoque Varro addit, dubitare se, an propterea magis hæ septem stellæ *triones* appellatæ sint, quia ita sunt sitæ, ut ternæ stellæ proximæ quæque inter se faciant trigona, id est, triquetras figuras. Ex his duabus rationibus, quas ille dixit, quod posterius est, subtilius elegantiusque visum est. intuentibus enim nobis in illud, ita propemodum res erat, ut ea forma esse triquetra videretur.

CAP.

CAP. XXII.

De vento Japyge, deque aliorum ventorum vocabulis regionibusque, accepta è Favorini sermonibus.

APud mensam Favorini in convivio familiari legi solitum erat aut vetus carmen melici poëtæ, aut historia partim Græcæ linguæ, aliàs Latinæ. Legebatur ergo tunc ibi in carmine Latino *Japyx* ventus. quæsitum est, quis hic ventus, & quibus ex locis spiraret, & quæ tam infrequentis vocabuli ratio esset: atque etiam petebamus, ut super cæterorum nominibus regionibusque ipse nos docere vellet, quia vulgo neque de appellationibus eorum, neque de finibus, neque de numero conveniret. Tum Favorinus ita fabulatus est: Satis, inquit, notum est, limites regionesque esse cœli quatuor, *exortum*, *occasum*, *meridiem*, *septemtrionem*. *exortus* & *occasus* mobilia & varia sunt: *meridies septemtrioneſque* statu perpetuo stant & manent. oritur enim sol non indidem semper; sed aut *æquinoctialis oriens* dicitur, quum in circulo currit, qui appellatur ἰσημερινός, aut ἰσημερινὸς; aut *solstitialis*, aut *brumalis*, quæ sunt θερειναὶ τροπαὶ καὶ χειμερινά. item cadit sol non in eundem semper locum. fit enim similiter *occasus* ejus aut *æquinoctialis*, aut *solstitialis*, aut *brumalis*. qui ventus igitur ab oriente verno, id est, æquinoctiali venit, nominatur *Eurus*, ficto vocabulo, ut isti ἐτυμολογικοὶ ajunt ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων. is alio quoque a Græcis nomine ἀπηλιώτης, à Romanis nauticis *Subsolanus* cognominatur. sed qui ab æstiva & solstitiali orientis meta venit, Latinè *Aquilo*, *Boreas* Græcè dicitur: eumque propterea quidam dicunt ab Homero αἰθρηγενέτην appellatum. Boream autem putant dictum ἀπὸ τῆς βοῆς; quoniam sit violenti flatus & sonori. tertium ventum, qui ab oriente hiberno spirat, *Vulturnum* Romani vocant. eum

plerique Græci mixto nomine, quod inter *Notum* & *Eurum* sit, εὐρόνοτον appellant. Hi sunt igitur tres venti orientales, *Aquilo*, *Vulturnus*, *Eurus*, quorum medius *Eurus* est. his oppositi & contrarii sunt alii tres occidui; *Caurus*, quem solent Græci ἀργέστην vocare; is adversus Aquilonem flat: item alter *Favonius*, qui Græcè vocatur ζέφυρος; is adversus *Eurum* flat: tertius Africus, qui Græce vocatur λίψ; is adversus *Vulturnum* flat. eæ duæ regiones cœli *orientis occidentisque* inter sese adversæ sex habere ventos videntur. meridies autem, quoniam certo atque fixo limite est, unum meridialem ventum habet: is Latinè *Auster*, Græcè νότος nominatur, quoniam est nebulosus atque humectus: νότις enim Græcè *humor* nominatur. *Septemtriones* autem habent ob eandem causam unum. is objectus directusque in Austrum, Latinè *Septemtrionarius*, Græce ἀπαρκτίας appellatus. ex his octo ventis alii quatuor detrahunt ventos; atque id facere se dicunt Homero auctore qui solos quatuor ventos noverit, *Eurum*, *Austrum*, *Aquilonem*, *Favonium*, versus Homeri sunt:

Σὺν δ' εὖρος τ' ἔπεσε, ζέφυρός τε, νότις τε δυσκλής,
Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

à quatuor cœli partibus, quas quasi primas nominavimus, oriente scilicet atque occidente latioribus atque simplicibus, non tripertitis. Partim autem sunt, qui pro octo duodecim faciunt: inter hos quatuor, in media loca inserentes, cum meridie septemtriones: eadem ratione, qua secundi quatuor intersiti sunt inter primores duos apud orientem occidentemque. Sunt porrò alia quædam nomina quasi peculiarium ventorum, quæ incolæ in suis quisque regionibus fecerunt, aut locorum vocabulis in quibus colunt, aut ex aliqua causa, quæ ad faciendum vocabulum acciderat. nostri namque Galli ventum ex sua terra flantem, quem sæviſſimum patiuntur, *Circium* appellant, à turbine, opinor, ejus ac

vertigi-

vertigine. Japygiæ ipsius ore proficiscentem quasi finibus Apuli eodem, quo ipsi sunt, nomine Japygem dicunt. eum esse propemodum *Caurum* existimo: nam est occidentalis, & videtur adversus *Eurum* flare. itaque Virgilius Cleopatram è nauali prœlio in Ægyptum fugientem vento Japyge ferri ait. Equum quoque Apulum, eodem quo ventum vocabulo, *Japygem* appellavit. est etiam ventus nomine *Cæcias*, quem Aristoteles ita flare dicit, ut nubes non procul propellat, sed ut ad sese vocet, ex quo versum istum proverbialem factum ait:

—— κακὰ
ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ Καικίας νέφος.

Præter hos autem, quos dixi, sunt alii plurifariam venti commentitii suæ quisque regionis indigenæ; ut est Horatianus quoque ille *Atabulus*, quos ipse quoque exsequuturus fui; addidissemque eos, qui *Etesiæ* & *Prodromi* appellantur, qui certo tempore anni, quum canis oritur, ex alia atque alia parte cœli spirant; rationesque omnium vocabulorum, quia plus paulò adbibi, effudissem, nisi multa jam prorsus omnibus vobis reticentibus verba feciſſem, quasi fieret à me ἀκροάσις ἐπιδεικτική. in convivio autem frequenti loqui solum unum neque honestum est, inquit, neque commodum. Hæc nobis Favorinus in eo, quo dixi, tempore apud mensam suam summa cum elegantia verborum, totiusque sermonis comitate atque gratia denarravit. Sed quod ait ventum, qui ex terra Gallia flaret, *Circium* appellari; M. Cato tertio libro Originum eum ventum *Cercium* dicit, non *Circium*. nam quum de Hispanis scriberet, qui citra Hiberum colunt, verba hæc posuit: *Sunt in his regionibus ferrariæ, argenti-fodinæ pulcherrimæ, mons ex sale mero magnus: quantum demas, tantum adcrescit. ventus Cercius, quum loquare, buccam implet: armatum hominem, plaustrum oneratum percellit.* Quod suprà autem

dixi, etesias ex alia atque alia cœli parte flare, haud scio an sequutus opinionem multorum temerè dixerim. P. Nigidii in secundo librorum, quos de vento composuit, verba hæc sunt: *Etesiæ & Austri anniversarii secundo Sole flant.* considerandum igitur est quid sit *secundo Sole.*

CAP. XXIII.

Consultatio dijudicatioque locorum facta ex comœdia Menandri & Cæcilii, quæ Plocium *inscripta est.*

COmœdias lectitamus nostrorum poëtarum sumtas ac versas de Græcis, Menandro ac Posidio aut Apollodoro aut Alexide & quibusdam item aliis comicis. atqui quum legimus eas, nihil sane displicent, quin lepidè quoque & venustè scriptæ videantur, prorsus ut melius posse fieri nihil censeas. at enim si conferas & componas Græca ipsa, unde illa venerunt, ac singula consideratè atque aptè junctis & alternis lectionibus committas, oppidò quàm jacere atque sordere incipiunt, quæ Latina sunt; ita Græcarum, quas æmulari nequiverunt, facetiis atque luminibus obsolescunt. Nuper adeo usus hujus rei nobis venit. Cæcilii Plocium legebamus: haudquaquam mihi & qui aderant displicebat. Libitum est Menandri quoque Plocium legere, à quo istam comœdiam verterat. sed enim postquam in manus Menander venit, à principio statim, di boni! quantum stupere atque frigere, quantumque mutare à Menandro Cæcilius visus est? Diomedis hercle arma & Glauci non dispari magis pretio existimata sunt. accesserat dehinc lectio ad eum locum, in quo maritus senex super uxore divite atque deformi querebatur, quod ancillam suam, non inscito puellam ministerio, & facie non inliberali, coactus erat venundare suspectam uxori quasi pellicem: nihil dicam ego quantum differat versus utriusque eximius;

mius : ſit ſatis aliis ad judicium faciendum exponi. Menander ſic :

Ἐπ' ἀμφοτέραν ἵν' ἐπίκληρος ἢ μέλλειν καθευδήσειν
Κατεργάσασα μέγα καὶ περιβόητον ἔργον
Ἐκ τῆς οἰκίας ἐξέβαλε τὴν λυποῦσαν, ἣν βούλετο.
Ἵν' ἐπιβλέπωσι πάντες εἰς τὸ Κρεωβύλης πρόσωπον.
Ἡ γ' εὔγνωστος εἶχέ με γυνὴ δέσποινα,
Καὶ τὴν ὄψιν ὢν ἐκτήσατο ὄνος ἐν πιθήκοις
Τὶ τὸ λεγόμενόν ἐστι δὴ τοῦτο σιωπᾶν βούλομαι.
Τὴν νύκτα τὴν πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν
Οἴμοι Κρεωβύλην λαβεῖν ἐμέ, καὶ δέκα τάλαντα;
Γυναῖον οὖσα πηχέως. εἶτ' ἐστὶ τὸ φρύαγμα
Εἴπως ἀνυπόστατον. Δία τὴν ὀλύμπιον,
Καὶ Ἀθηνᾶν, οὐδαμῶς παιδισκάριον, θεραπευτικὸν δὲ
Λόγου τάχιον. ἀπαγέσθω δέ τις ἢ ἄρ' ἀντεισαγάγοι.

Cæcilius autem ſic :

SEN. *Is demum miſer eſt, qui ærumnam ſuam nequit*
Occultare. MA. *Ferè ita me uxor forma & factis facit.*
Si taceam; tamen indicium eſt. quæ, niſi dotem, omnia
Quæ nolis, habet; qui ſapit, de me diſcet. qui, quaſi
Ad hoſtes captus, liberè ſervio, ſalva urbe atque arce.
Quæ mihi quidquid placet : eo privatu' vin' me ſervatum?
Dum ejus mortem inhio, egomet vivo mortuus
Inter vivos. ea me, clam ſe, cum mea ancilla ait
Conſuetum. id me arguit. ita plorando, orando,
Inſtando atque objurgando me obtudit, uti eam
Venumdarem. nunc credo inter ſuas æqualis
Et cognatas ſermonem ſerit : Quæ voſtrum fuit
Integra ætatula, quæ hoc itidem a viro
Impetrarit ſuo, quod ego anus modo
Effeci, pellice ut meum privarem virum?
Hæc erunt concilia hodie. differor ſermone miſer.

Præter venuſtatem autem rerum atque verborum in duobus libris nequaquam parem, in hoc equidem ſoleo animum attendere; quòd quæ Menander præclarè &

appositè & facetè scripsit, ea Cæcilius nequaquam potuit, ne quidem conatus est, enarrare; sed quasi minimè probanda prætermisit; & alia nescio quæ mimica inculcavit, & illud Menandri de vita hominum media sumtum simplex & verum & delectabile, nescio quo pacto, omisit. idem enim ille maritus senex cum altero sene vicino colloquens, & uxoris locupletis superbiam deprecans, hæc ait:

Ἔχω δ' ἐπίκληρον, λαμία οὐκ εἰρηκά σοι.
Τῆτ' ἐχὲ κυρίαν τ' οἰκίας καὶ τ' ἀγρῶν,
Καὶ πάντων αὐτ' ἐκείνης ἔχομαι ἀφ' ὅλων χαλεπῶν
Χαλεπώταλον. ἅπασι δ' ἀγαλία ἐστὶν οὐκ ἐμοὶ μόνῳ,
Τἰῷ, πολὺ μᾶλλον θυγατρί, πρᾶγμα ἄμαχον λέγεις,
Εὖ οἶδα.

Cæcilius verò hoc in loco ridiculus magis quam personæ isti, quam tractabat, aptus atque conveniens videri maluit. sic enim hæc corrupit:

SE. *Sed tua morosane uxor quæso est?* MA. *Quam? rogas?*
SE. *Quî tandem:* MA. *Tædet mentionis, quæ mihi,*
Ubi domum adveni ac sedi, extemplo savium
Dat jejuna anima. SE. *Nihil peccat de savio.*
Ut devomas volt quod foris potaveris.

Quid de illo quoque loco in utraque comœdia posito existimari debeat manifestum est. cujus loci hæc fermè sententia: Filia hominis pauperis in pervigilio vitiata est. ea res clam patre fuit: & habebatur pro virgine. ex eo vitio gravida mensibus exactis parturit. servus bonæ frugi, quum pro foribus domus staret, & propinquare partum herili filiæ, atque omnino vitium esse oblatum ignoraret, gemitum & ploratum audit puellæ in puerperio enitentis: timet, irascitur, suspicatur, miseretur, dolet. hi omnes motus ejus, affectionesque animi, in Græca quidem comœdia mirabiliter acres & illustres: apud Cæcilium autem pigra hæc omnia, & à rerum dignitate

gnitate atque gratia vacua ſunt. Poſt, ubi idem ſervus percunctando quod acciderat repperit, has apud Menandrum voces facit:

Ὦ τρὶς κακοδαίμων ὅστις ὢν πένης γαμεῖ,
Καὶ παιδοποιεῖ. ὡς ἀλόγιστος ἔστ' ἀνὴρ,
Ὃς μήτε φυλακὴν τῶν ἀναγκαίων ἔχει,
Εἰ μήτε ἀνατείχιση εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου,
Ἐπαμφίεσθαι δύναται τοῦτο χρήμασιν,
Ἀλλ' ἐν ἀνακαλακύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ
Χειμαζόμενον, ζητῶν μὲν, ἀνιαρὸν δ' ἔχων τὸ μέρος
Ἁπάντων ἀγαθῶν οὐ δυνάμενος.
Ὑπὲρ γὰρ ἑνὸς ἀλεγῶν, ἅπαντας νουθετῶ.

Ad horum autem ſinceritatem veritatemque verborum an adſpiraverit Cæcilius conſideremus. verſus ſunt hi Cæcilii trunca quædam ex Menandro dicentis, & conſarcinantis verba tragici tumoris:

—— *Is demum infortunatus eſt homo*
Pauper, qui educit in egeſtate liberos:
Fortuna & res eſt ut continuo pareat.
Nam opulento famam facilè occultat factio.

Itaque, ut ſuprà dixi, quum hæc Cæcilii verba ſeorſum lego, neutiquam videntur ingrata ignavaque: quum autem Græca comparo & contendo, non puto Cæcilium ſequi debuiſſe quod aſſequi nequiret.

CAP. XXIV.

De veteri parſimonia, deque antiquis legibus ſumptuariis.

PArſimonia apud veteres Romanos & victus atque cœnarum tenuitas non domeſtica ſolum obſervatione ac diſciplina, ſed publica quoque animadverſione, legumque complurium ſanctionibus, cuſtodita eſt. Legi adeò nuper in Capitonis Atei conjectaneis ſenatus decretum vetus C. Fannio & M. Valerio Meſſala Coſſ. factum; in quo jubentur principes civitatis, qui ludis

Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter sese dominia agitarent, jurare apud Consules verbis conceptis, non amplius in singulas cœnas sumtus esse facturos, quàm centenos vicenosque æris, præter olus & far & vinum; neque vino alienigena, sed patrio, usuros; neque argenti in convivio plus pondo, quàm libras centum illaturos. Sed post id senatusconsultum lex Fannia lata est, quæ ludis Romanis, item ludis plebejis & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos; cæteris autem omnibus diebus denos. hanc Lucilius poëta legem signat, quum dicit:

—— *Fanni centussisque misellos.*

in quo erraverunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quòd putaverunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos æris statutos. centum enim æris Fannius constituit, sicuti suprà dixi, festis quibusdam diebus, eosque ipsos dies nominavit. aliorum autem dierum omnium in singulos dies sumtus incluſit intra æris aliàs tricenos, aliàs denos. Lex deinde Licinia rogata est; quæ quum certis diebus, sicuti Fannia, centenos æris impendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit; cæterisque diebus statuit æris tricenos; quùm & carnis aridæ & salsamenti certa pondera in singulos dies constituerit: si quicquam esset natum è terra, vite, arbore; promiscè atque indefinitè largita est. Hujus legis Lævius poëta meminit in Erotopægniis. Verba Lævii hæc sunt, quibus significat hœdum, qui ad epulas fuit allatus, dimissum, cœnamque ita, ut lex Licinia sanxisset, pomis oleribusque instructam.

Lex Licinia, inquit, *introducitur:*
Lux liquida hœdo redditur.

Lucilius quoque legis istius meminit in his verbis: *Legem vitemus Licini.* Postea L. Sulla dictator, quum legibus

gibus istis situ atque senio oblitteratis plerique in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent, legem ad populum tulit, qua cautum est ut kalendis, idibus, nonisque, diebus ludorum, & feriis quibusdam sollemnibus sestertios tricenos in cœnam insumere jus potestasque esset; ceteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternos. Præter has leges Æmiliam quoque legem invenimus; qua lege non sumtus cœnarum, sed ciborum genus & modus præfinitus est. Lex deinde Antia præter sumtum æris id etiam sanxit, ut, qui magistratus esset, magistratumve capturus esset, ne quò ad cœnam, nisi ad certas personas, itaret. Postremò lex Iulia ad populum pervenit Cæsare Augusto imperante: qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur; kalendis, idibus, nonis, & aliis quibusdam festivis trecenti; nuptiis autem & repotiis HS. mille. Esse etiam dicit Capito Atejus edictum, Divine Augusti, an Tiberii Cæsaris, non satis commemini: quo edicto per dierum varias sollemnitates à trecentis HS. adusque duo milia sumtus cœnarum propagatus est; ut his saltem finibus luxuriæ efferveſcentis æstus coërceretur.

CAP. XXV.

Quid Græci ἀναλογίαν, quid contrà ἀνωμαλίαν vocent.

IN Latino sermone, sicut in Græco, alii ἀναλογίαν sequendam putaverunt, alii ἀνωμαλίαν. Ἀναλογία est similium similis declinatio, quam quidem Latinè proportionem vocant. Ἀνωμαλία est inæqualitas declinationum consuetudinem sequens. Duo autem Græci Grammatici illustres Aristarchus & Crates summa ope, ille Ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν defensitavit. M. Varronis ad Ciceronem de lingua Latina liber octavus nullam esse observationem similium docet, inque omnibus pæ-

nè verbis consuetudinem dominari ostendit. *Sicuti quum dicimus*, inquit, *lupus lupi, probus probi, & lepus leporis: item paro paravi, lavo lavi, pungo pupugi, tundo tutudi, & pingo pinxi. quumque*, inquit, *à cœno & prandeo & poto, & cœnatus sum, & pransus sum, & potus sum dicamus: & ab adstringor tamen & extergeor & lavor, adstrinxi & extersi & lavi dicimus. item quum dicamus ab Osco, Tusco, Græco; Oscè, Tuscè, Græcè: à Gallo tamen & à Mauro Gallicè & Mauricè dicimus. item à probus probè, à doctus doctè, sed à rarus non dicitur rarè, sed alii rarò dicunt, alii rarenter.* Idem M. Varro in eodem libro. *Sentior*, inquit, *nemo dicit, & id per se nihil est: assentior tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus assentio in senatu dicebat: & eum postea multi secuti neque tamen vincere consuetudinem potuerunt.* sed idem Varro in aliis libris, multa pro ἀναλογία tuenda scripsit. Sunt igitur hi tamquam loci quidam communes contra ἀναλογίαν dicere, & item rursus pro ἀναλογίᾳ.

CAP. XXVI.

Sermones M. Frontonis & Favorini philosophi de generibus colorum, vocabulisque eorum Græcis & Latinis: atque inibi color spadix cujusmodi sit.

FAvorinus philosophus, quum ad M. Frontonem consularem pedibus ægrum viseret, voluit me quoque ad eum secum ire. ac deinde, quum ibi apud Frontonem plerisque viris doctis præsentibus sermones de coloribus vocabulisque eorum agitarentur, quod multiplex colorum facies, appellationes autem incertæ & exiguæ forent: Plura sunt, inquit Favorinus, in sensibus oculorum, quàm in verbis vocibusque colorum discrimina. nam, ut alias eorum concinnitates omittamus, simplices isti & rufi & virides colores singula quidem vocabula, multas autem species differentes habent. Atque eam vocum inopiam in lingua magis Latina video, quàm

in Græca. quippe qui rufus color, à rubore quidem appellatus est: sed quum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocum; has singulas rufi varietates Latina oratio singulis propriisque vocabulis non demonstrat, omniaque ista significat una ruboris appellatione, quum tamen ex ipsis rebus vocabula colorum mutuetur, & igneum aliquid dicit & flammeum & sanguineum & croceum & ostrinum & aureum. Russus enim color & ruber nihil à colore rufi differunt: neque proprietates ejus omnes declarant, ξανθὸς autem & ἐρυθρὸς & πυῤῥὸς & φοινίξ habere quasdam distantias coloris rufi videntur vel augentes eum, vel remittentes, vel mista quadam specie temperantes. Tum Fronto ad Favorinum; Non inficias, inquit, imus, quin lingua Græca, quam tu videre legisse, prolixior susiorque sit, quàm nostra. sed in iis tamen coloribus, quibus modò dixisti, denominandis, non proinde inopes sumus, ut tibi videmur. non enim hæc sunt sola vocabula rufum colorem demonstrantia, quæ tu modò dixisti, *russus* & *ruber*; sed alia quoque habemus plura, quàm quæ producta abs te Græca sunt: fulvus enim & flavus & rubidus & phœniceus & rutilus & luteus & spadix appellationes sunt rufi coloris, aut acuentes eum quasi incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes, aut virenti sensim albo illuminantes. nam phœniceus, quem tu Græce φοινικὸν dixisti, noster est, & rutilus, & spadix phœnicei συνώνυμος, qui factus Græcè noster est. exuberantiam splendoremque significat ruboris; quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti, unde spadicis & phœnicei nomen est. spadica enim Dorici vocant avulsum è palma termitem cum fructu. fulvus autem videtur de rufo atque viridi mixtus in aliis plus viridis, in aliis plus rufi habere: sicut poëta verborum diligentissimus, *fulvam aquilam* dicit & *jaspidem*, *fulvos galeros*, L. 1. c. 14.

galeros, *fulvum aurum*, *& arenam fulvam*, & *fulvum leonem*. sic Q. Ennius in annalibus *ære fulvo* dixit. *flavus* contrà videtur ex viridi & rufo & albo concretus, sic *flaventes comæ*, &, quod mirari quosdam video, *frondes olearum* à Virgilio dicuntur *flavæ*. sic multo antè Pacuvius *aquam flavam* dixit, & *flavum pulverem*. cujus versus, quoniam sunt jucundissimi, libens commemini:

Cedo tamen pedem lymphis flavis: flavum ut pulverem
Manibus isdem, quibus Ulyssi sæpè permulsi, abluam;
Lassitudinemque minuam manuum mollitudine.

Rubidus autem est rufus atrior & nigrore multo mixtus: *luteus* contrà rufus color est delutior; unde ei quoque nomen esse factum videtur. Non ergo, inquit, mi Favorine, species rufi coloris plures apud Græcos, quàm apud nos nominantur. Sed ne viridis quidem color pluribus ab illis, quam à nobis vocabulis dicitur. neque non potuit Virgilius, colorem equi significare viridem volens, cæruleum magis dicere equum quàm glaucum: sed maluit verbo uti notiore Græco, quàm inusitato Latino. Nostris autem Latinis veteribus cæsia dicta est, quæ à Græcis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait, de colore cæli, quasi cælia. Postquam hæc Fronto dixit, tum Favorinus scientiam rerum uberem, verborumque ejus elegantiam exosculatus, Absque te, inquit, uno forsitan lingua profectò Græca longè anteisset: sed tu, mi Fronto, quod in versu Homerico est, id facis;

Καὶ νίκλω ἔπ' ἀρείῃ ἀμφήλιγον ἔθηκας.

Sed quum omnia libens audivi, quæ peritissimè dixisti, tum maximè quòd varietatem flavi coloris enarrasti, fecistique ut intelligerem verba illa ex annali quartodecimo Ennii amœnissima, quæ minimè intelligebam:

Verrunt extemplò placidè mare marmore flavo,
Cæruleum spumat mare conferta rate pulsum.

non enim videbatur cæruleum mare cum marmore flavo convenire. Sed quum sit ita ut dixisti, flavus color viri-

di

di & albo mixtus, pulcherrimè prorsus spumas virentis maris flavum marmor appellavit.

CAP. XXVII.

Quid T. Castricius existimaverit super Sallustii verbis & Demosthenis; quibus alter Philippum descripsit, alter Sertorium.

VErba sunt hæc gravia atque illustria de rege Philippo Demosthenis: ἑώρων δ' αὐτὸν Φίλιππον, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ ἀγὼν ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας, τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν καπεπόντα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον, πᾶν ὅ, τι ἂν βουληθῇ μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, τοῦτο προϊέμενον, ὥστε τὸ λοιπὸν μὴ τιμῆς καὶ δόξης ζῆν. Hæc æmulari volens Sallustius de Sertorio duce in historiis ita scripsit: *Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperatore, magno usu, bello Marsico, paratu militum & armorum fuit: multaque tum ductu ejus curata, primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celata sunt: quæ eminus facie sua ostentabat, aliquot advorsis cicatricibus & effosso oculo. quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur: neque illis anxius, quia reliqua glorioſius retinebat.* De utriusque his verbis T. Castricius quum pensitaret, Nonne, inquit, ultra naturæ modum humanæ est dehonestamento corporis lætari? siquidem lætitia dicitur exsultatio quædam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum. quanto illud sincerius & humanis magis rationibus conveniens? πᾶν ὅ, τι ἂν βουληθῇ μέρος, ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, τοῦτο προϊέμενον. Quibus verbis, inquit, ostenditur Philippus non, ut Sertorius, corporis dehonestamento lætus, quod est, inquit, insolens & immodicum; sed, præ studio laudis & honoris, jacturarum damnorumque corporis contemptor, qui singulos artus suos fortunæ

tunæ producendos daret quæstu atque compendio gloriarum.

CAP. XXVIII.

Non esse compertum cui deo rem divinam fieri oporteat, quum terra movet.

QUænam esse causa videatur, quamobrem terræ tremores fiant, non modò his communibus hominum sensibus opinionibusque compertum non est, sed ne inter physicas quidem philosophias satis constitit, ventorumne vi accidant specus hiatusque terræ subeuntium, an aquarum subter in terrarum cavis undantium fluctibus pulsibusque, ita uti videntur existimasse antiquissimi Græcorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον καὶ σεισίχθονα appellaverunt, an cujus aliæ rei causa, alteriusve dei vi ac numine, nondum etiam, sicut diximus, pro certo creditum. propterea veteres Romani, quum in omnibus aliis vitæ officiis, tum in constituendis religionibus, atque in diis immortalibus animadvertendis, castissimi cautissimique, ubi terram moviſse senserant, nunciatumve erat, ferias ejus rei causa edicto imperabant; sed dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant; ne, alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent. eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam, SI. DEO. SI. DEAE. immolabat. idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit: quoniam & qua vi & per quem deorum dearumve terra tremeret incertum esset. sed de Lunæ motibus solisque defectibus, non minus in ejus rei causa reperienda sese exercuerunt. quippe M. Cato, vir in cognoscendis rebus multi studii, incerta tamen & incuriosa super ea re opinatus est. Verba Catonis ex Originum quarto hæc sunt: *Non libet scribere quod in tabula*

apud

apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens Lunæ aut Solis lumini caligo aut quid obstiterit. usque adeo parvifecit rationes veras Solis & Lunæ deficientium vel scire vel dicere.

CAP. XXIX.

Apologus Æsopi Phrygis memoratu non inutilis.

Æsopus ille è Phrygia fabulator haud immeritò sapiens existimatus est; quum quæ utilia monitu suasuque erant, non severè, non imperiosè præcepit & censuit, ut philosophis mos est, sed festivos delectabilesque apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animadversas, in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit. velut hæc ejus fabula de aviculæ nidulo lepidè atque jucunde præmonet, spem fiduciamque rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in alio, sed in semet ipso habendam. Avicula, inquit, est parva. nomen est cassita. habitat nidulaturque in segetibus, id ferme temporis, ut appetit messis, pullis jam jam plumantibus. Ea cassita in sementes fortè congesserat tempestiviores. propterea frumentis flavescentibus pulli etiam tunc involucres erant. Quum igitur ipsa iret cibum pullis quæsitum, monet eos, ut, siquid ibi rei novæ fieret diceretur ve, animadverterent; idque uti sibi, ubi rediisset, nunciarent. Dominus postea segetum illarum filium adolescentem vocat: & Videsne, inquit, hæc ematuruisse, & manus jam postulare? iccirco die crastini, ubi primùm diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant, operamque mutuam dent, & messem hanc nobis adjuvent. Hæc ubi ille dixit, discessit. atque, ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere, orareque matrem ut statim jam properet, atque alium in locum sese adsportet: nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, uti luce oriente veniant & metant.

mater

mater jubet eos à metu otiosos esse. si enim dominus, inquit, messem ad amicos rejicit, crastino seges non metetur. neque necesse est, hodie uti vos auferam. die igitur postero mater in pabulum volat. dominus, quos rogaverat, operitur. sol fervit, & fit nihil: & amici nulli erant. tum ille rursum ad filium, Amici isti, inquit, magnam partem cessatores sunt. quàm potius imus, & cognatos affinesque & vicinos nostros oramus, ut assint cras tempori ad metendum? itidem hoc pulli pavefacti matri nunciant. mater hortatur ut tum quoque sine metu ac sine cura sint: cognatos affinesque nullos fermè tam esse obsequibiles, ut ad laborem capessendum nihil contentur, & statim dicto obediant. vos modò, inquit, advertite, si modò quid denuò dicetur. Alia luce orta avis in pastum profecta est. cognati & affines operam quam dare rogati sunt supersederunt. ad postremum igitur dominus filio, Valeant, inquit, amici cum propinquis. afferes prima luce falces duas, unam egomet mihi & tu tibi capies alteram; & frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit; Tempus, inquit, est cedendi & abeundi. fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. in ipso enim jam vertitur, cuja est res; non in alio, unde petitur. atque ita cassita nidum migravit. seges à domino demessa est. Hæc quidem est Æsopi fabula de amicorum & propinquorum levi plerumque & inani fiducia. sed quid aliud sanctiores libri philosophorum monent, quàm ut in nobis tantùm ipsis nitamur; alia autem omnia, quæ extra nos, extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris neque pro nobis ducamus. Hunc Æsopi apologum Q. Ennius in satiris scitè admodum & venustè versibus quadratis composuit: quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi & memoriæ operæ pretium esse herclè puto.

Hos

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm;
Néquid exspectes amicos, quod tute agere possies.

CAP. XXX.

Quid observatum sit in undarum motibus, qui in mari alio atque alio modo fiunt, Austris flantibus Aquilonibusque.

HOc sæpenumero in undarum motu observatum est, quas Aquilones venti, quique ex eadem cœli regione aër fluit, quasve faciunt in mari Austri atque Africi. nam fluctus qui flante Aquilone maximi & crebrissimi excitantur, simul ac ventus posuit, sternuntur & conflacescunt; & mox fluctus esse desinunt. at non idem fit flante Austro vel Africo: quibus jam nihil spirantibus undæ tamen factæ diutius tument, & à vento quidem jamdudum tranquillæ sunt; sed mare est etiam atque etiam undabundum. Ejus rei causa esse conjectatur, quòd venti à septemtrionibus ex altiore cæli parte in mare incidentes deorsum in aquarum profunda quasi præcipites deferuntur, undasque faciunt non prorsus impulsas, sed vi intus commotas, quæ tantisper erutæ volvuntur, dum illius infusi desuper spiritus vis manet. Austri verò & Africi ad meridianum orbis circulum atque ad partem axis infimam depressi, inferiores & humiles, per suprema æquoris euntes protrudunt magis fluctus quàm eruunt: & idcirco non desuper læsæ, sed propulsæ in adversum aquæ etiam desistente flatu retinent aliquantisper de pristino pulsu impetum. id autem ipsum, quod dicimus, ex illis quoque Homericis versibus, si quis non incuriosè legat, admiculari potest: nam de Austri flatibus ita scripsit;

Ἔνθα νότος πάντοιο κλυδῶνα εἰς λάαν ὤθει.

Contrà autem de Borea, quem Aquilonem appellamus, alio dicit modo;

Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων·

ab Aquilonibus enim, qui alti supernique sunt, fluctus excitatos quasi per prona volvi dicit: ab Austris autem iis, qui humiliores sunt, majore vi quadam propelli rursum atque subjici. id enim significat verbum λάαν ὠθεῖ; sicut in alio loco λάαν ἄνω ὠθεῖ. Id quoque à peritissimis rerum philosophis observatum est, Austris spirantibus mare fieri glaucum & cæruleum, Aquilonibus obscurius atriusque: cujus rei causam, quum Aristotelis libros problematum percerpsimus, notavi. *Cur Austro spirante mare cæruleum fiat; Aquilone obscurius atriusque? An propterea quòd Aquilo minus mare perturbat; omne autem, quod tranquillius est, atrum esse videtur?*

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quæsitum ac tractatum, quam ob causam Sallustius avaritiam dixerit non animum modo virilem, sed corpus quoque ipsum effeminare.

HIeme jam discedente apud balneas Sitias in area sub calido sole cum Favorino philosopho ambulabamus: atque ibi inter ambulandum legebatur Catilina Sallustii, quem in manu amici conspectum legi jusserat. quumque hæc verba ex eo libro lecta essent; *Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit. ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat: semper infinita & insatiabilis est: neque copia neque inopia minuitur.* Tum Favorinus me adspiciens, Quo, inquit, pacto corpus hominis avaritia effeminat? quid enim istuc sit quod animum virilem ab ea effeminari dixit, videor ferme assequi. sed, quonam modo corpus quoque hominis effeminet, nondum repperio. Et ego, inquam, longè

longè jamdiu in eo ipso quærendo fui, ac, nisi tu occupasses, ultro te hoc rogassem. Vix ego hæc dixeram cunctabundus; atque inibi quispiam de sectatoribus Favorini, qui videbatur esse in litteris veterator, Valerium, inquit, Probum audivi hoc dicere; usum esse Sallustium circumloquutione quadam poëtica, &, quum dicere vellet hominem avaritia corrumpi, corpus & animum dixisse, quæ duæ res hominem demonstrarent: namque homo ex anima & corpore est. Nunquam, inquit Favorinus, quod equidem scio, tam importuna tamque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium vel subtilissimum brevitatis artificem periphrasin poëtarum facere diceret. Erat tum nobiscum in eodem ambulacro homo quispiam sanè doctus. Is quoque à Favorino rogatus, & quid haberet super ea re dicere, hujuscemodi verbis usus est. Quos, inquit, avaritia minuit & corrumpit, quique sese in quærenda undique pecunia dediderunt, eos plerosque tali genere vitæ occupatos videmus; ut, sicuti alia in his omnia præ pecunia, ita labor quoque virilis, exercendique corporis studium relictui sit: negotiis se plerumque umbraticis & sellulariis quæstibus intentos habent; in quibus omnis eorum vigor animi corporisque elanguescit, &, quod Sallustius ait, effeminatur. Tum Favorinus legi denuo verba eadem Sallustii jubet; atque, ubi lecta sunt, Quid igitur dicemus, inquit, quòd multos videre est pecuniæ cupidos, & eosdem tamen corpore esse vegeto & valenti? tum ille ita respondit, non herclè inscitè, Quisquis est, inquit, pecuniæ cupiens, & corpore tamen est benè habito ac strenuo, aliarum quoque rerum vel studio vel exercitio eum teneri necessarium est; atque in sese colendo non æquè esse parcum. nam si avaritia sola summa omnes hominis partes affectionesque occupet, & si ad incuriam usque corporis grassetur, ut per illam unam neque virtutis, neque virium, neque corporis, neque animi cura

adsit; tum denique is verè dici potest effeminato esse & animo & corpore, qui neque sese, neque aliud curet, nisi pecuniam. Tum Favorinus, Aut hoc, inquit, quod dixisti probabile est, aut Sallustius odio avaritiæ plus, quàm potuit, eam criminatus est.

CAP. II.

Quemnam esse natalem diem M. Varro dicat eorum, qui ante noctis horam sextam, postve eam nati sunt: atque inibi de temporibus terminisque dierum qui civiles nominantur, & usquequaque gentium variè observantur: & præterea quid Q. Mucius scripserit super ea muliere quam maritus non jure usurpavisset, quia rationem civilis anni non habuerit.

QUæri solitum est, qui noctis hora tertia, quartave, sive qua alia nati sunt, uter dies natalis haberi appellarique debeat, isne quem nox ea consequuta est, an qui dies noctem consequutus est. M. Varro in libro rerum humanarum, quem de diebus scripsit, *Homines*, inquit, *qui ex media nocte ad proximam mediam noctem in his horis vigintiquatuor nati sunt, una die nati dicuntur.* Quibus verbis ita videtur dierum observationem divisisse, ut, qui post solem occasum ante mediam noctem natus sit, is ei dies natalis sit, à quo die ea nox cœperit: contrà verò, qui in sex noctis horis posterioribus nascatur, eo die videri natum qui post eam noctem diluxerit. Athenienses autem aliter observare idem Varro in eodem libro scripsit: eosque à sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse dicere; Babylonios porrò aliter; à sole enim exorto ad exortum ejusdem incipientem totum id spatium unius diei nomine appellare: multos verò in terra Umbria unum & eumdem diem esse dicere à meridie ad insequentem meridiem. *Quod quidem*, inquit, *nimis absurdum est. nam qui kalendis hora sexta natus est apud*

Umbros,

Umbros, dies ejus natalis videri debebit & kalendarum dimidiatus, & qui est post kalendas dies ante horam ejusdem diei sextam. Populum autem Romanum ita, uti Varro dixit, dies singulos annumerare à media nocte usque ad mediam proximam multis argumentis ostenditur. Sacra sunt Romana partim diurna, partim nocturna: sed ea, quæ inter noctem fiunt, diebus addicuntur, non noctibus. quæ igitur sex posterioribus noctis horis fiunt, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illuxerit. ad hoc, ritus quoque & mos auspicandi eandem esse observationem docet. nam magistratus, quando una die eis auspicandum est, & id super quo auspicaverunt agendum, post mediam noctem auspicantur, & post meridiem sole magno; auspicatique esse & egisse ex eodem die dicuntur. Præterea tribuni plebei, quos nullum diem abesse Roma licet, quum post mediam noctem proficiscuntur, & post primam facem ante mediam sequentem revertuntur, non dicuntur afuisse unum diem; quando ante horam noctis sextam regressi parte aliqua illius in urbe Roma sunt. Quintum quoque Mucium jurisconsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quæ kalendis Januariis apud virum causa matrimonii esse cœpisset, & ante diem quartum kalendas Januarias sequentis usurpatum isset. non enim posse impleri trinoctium, quod abesse à viro usurpandi causa ex duodecim tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex kalendis. Isthæc autem omnia de dierum temporibus & finibus ad observationem disciplinamque juris antiqui pertinentia quum in libris veterum inveniremus, non dubitabamus, quin Virgilius quoque id ipsum ostenderit, non expositè atque apertè, sed, ut hominem decuit poëticas res agentem, recondita & quasi operta veteris ritus significatione.

——— *Torquet*, inquit, *medios nox humida cursus:*

Et me ſævus equis oriens afflavit anhelis.

his enim verſibus oblique ſicuti dixi, admonere voluit diem, quem Romani civilem appellaverint, à ſexta noctis hora oriri.

CAP. III.

De noſcendis explorandiſque Plauti comœdiis, quoniam promiſce veræ atque falſæ nomine ejus inſcriptæ ferun-tur: atque inibi quod Plautus in piſtrino, & Nævius in cærcere fabulas ſcriptitarint.

VErum eſſe comperior, quod quoſdam bene litteratos homines dicere audivi, qui pleraſque Plauti comœdias curioſè atque contentè lectitaverunt, non indicibus Ælii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii ſuper his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, crediturosſed ipſi Plauto moribuſque ingenii atque linguæ ejus. hac enim indicii norma Varronem quoque eſſe uſum videmus. nam præter illas unam & viginti, quæ Varronianæ vocantur, quas iccirco à ceteris ſegregavit, quoniam dubioſæ non erant, ſed conſenſu omnium Plauti eſſe cenſebantur; quaſdam item alias probavit adductus ſtylo atque facetia ſermonis Plauto congruentis: eaſque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit; ſicuti iſtam quam nuperrimè legebamus, cui eſt nomen, *Bœotia*. nam quum in illis una & viginti non ſit, & eſſe Aquilii dicatur: nihil tamen Varro dubitavit quin Plauti foret; neque alius quiſquam non infrequens Plauti lector dubitaverit, ſi vel hos ſolos verſus ex ea fabula cognoverit: qui quoniam ſunt, ut de illius more dicam, Plautiniſſimi, propterea & meminimus eos & deſcripſimus. paraſitus ibi eſuriens hæc dicit:

Ut illum di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeò primus ſtatuit hic ſolarium.
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem,

Nam

Nam me puero uterus erat solarium
Multo omnium istorum optumum & verissimum,
Ubi ubi iste monebat esse, nisi quum nihil erat.
Nunc etiam quod est, non est, nisi Soli lubet.
Itaque adeo jam oppletum est oppidum solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

Favorinus quoque noster, quum Nervolariam Plauti legerem, quæ inter incertas est habita, & audisset ex ea comœdia versum hunc,

Strateæ, scrupedæ, strativolæ, sordidæ:

delectatus faceta verborum antiquitate meretricum vitia atque deformitates significantium, Vel unus hercle, inquit, hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest fidei fecisse. Nos quoque ipsi nuperrimè quum legeremus *Fretum* (nomen id est comœdiæ, quam Plauti esse quidam non putant) haud quicquam dubitavimus quin Plauti foret, & omnium maxime genuina. ex qua duos hos versus exscripsimus, ut historiam quæreremus oraculi arietini.

—— *nunc illud est*
Quod arietinum responsum magnis ludis dicitur:
Peribo, si non fecero: si faxo, vapulabo.

Marcus autem Varro in libro de comœdiis Plautinis primo Accii verba hæc ponit: *Nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compressa, nec Bœotia unquam fuit, neque adeò ἄγροικος, neque Commorientes, sed M. Aquilii.* In eodem libro Varronis id quoque scriptum est, Plautium fuisse quempiam poëtam comœdiarum, cujus quoniam fabulæ Plauti inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas, quum essent non à Plauto Plautinæ, sed à Plautio Plautianæ. Feruntur autem sub Plauti nomine comœdiæ circiter centum atque triginta. sed homo eruditissimus L. Ælius quinque & viginti esse ejus solas existimavit. non tamen dubium est, quin istæ & quæ scriptæ à Plauto non videntur,

dentur, & nomini ejus addicuntur, veterum poëtarum fuerint, & ab eo retractatæ & expolitæ sint; ac propterea resipiant dictum Plautinum. Sedenim Saturionem & Addictum & tertiam quandam, cujus nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro & plerique alii memoriæ tradiderunt, quum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediisset; & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset: sicuti de Nævio quoque accepimus fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum & Leontem; quum ob assiduam maledicentiam & probra in principes civitatis de Græcorum poëtarum more dicta, in vincula Romæ à triumviris conjectus esset. unde post à tribunis plebei exemptus est, quum in iis, quas supra dixi, fabulis delicta sua & petulantias dictorum, quibus multos ante læserat, diluisset.

CAP. IV.

Quod P. Africano & aliis tunc viris nobilibus ante ætatem senectam barbam & genas radere moris fuit.

IN libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animadvertimus P. Scipioni Pauli f. postquam de Pœnis triumphaverat, censorque fuerat, eidem diem dictum esse ad populum à Claudio Asello tribuno plebei, cui equum in censura ademerat: eumque, quum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum. Sed, quum in eo tempore Scipionem minorem quadraginta annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset, mirabamur. comperimus autem cæteros quoque in isdem temporibus nobiles viros barbam in ejusmodi ætate rasitavisse; iccircoque ple-

rasque

raſque imagines veterum non admodùm ſenum ſed in medio ætatis ita factas videmus.

CAP. V.

Delitiarum vitium & mollicies oculorum & corporis ab Arceſilao philoſopho cuidam opprobata acerbè ſimul & feſtiviter.

PLutarchus refert Arceſilaum philoſophum vehementi verbo uſum eſſe de quodam nimis delicato divite; qui incorruptus tamen & caſtus & perinteger dicebatur, nam quum vocem ejus infractam capillumque arte compoſitum & oculos ludibundos atque illecebræ voluptatiſque plenos videret: Nihil intereſt, inquit, quibus membris cinædi ſitis, poſterioribus an prioribus.

CAP. VI.

De vi atque natura palmæ arboris; quod lignum ex ea ponderibus impoſitis renitatur.

PEr hercle rem mirandam Ariſtoteles in ſeptimo Problematum & Plutarchus in octavo Sympoſiacorum dicit. Si ſuper palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat; non deorſum palma cedit nec intra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recurvaturque. propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ; quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus opprimentibuſque non cedat.

CAP. VII.

Historia ex annalibus sumta de Q. Cædicio tribuno militum : verbaque ex Originibus M. Catonis appositа, quibus Cædicii virtutem cum Spartano Leonidа æquiparat.

PUlchrum, dii boni! facinus Græcarumque facundiarum magniloquentia condignum, M. Cato in libris Originum de Q. Cædicio tribuno militum scriptum reliquit. id profectò est ad hanc fermè sententiam. Imperator Pœnus in terra Sicilia, bello Karthaginiensi primo, obviam Romano exercitui progreditur, colles locosque idoneos prior occupat. milites Romani, uti res nata est, in locum insinuant fraudi & perniciei obnoxium. tribunus ad consulem venit: ostendit exitium de loci importunitate & hostium circumstantia. Maturum censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquot milites ad verrucam illam (sic enim M. Cato locum editum asperumque appellat) ire jubeas; eamque uti occupent imperes horterisque. hostes profectò ubi id viderint, fortissimus quisque & promtissimus ad occursandum pugnandumque in eos prævertentur; unoque illo negotio sese alligabunt: atque illi omnes quadringenti proculdubio obtruncabuntur. tu interea, occupatis in ea cæde hostibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. alia nisi hæc, salutis via nulla est. consul tribuno respondit, consilium quidem fidum atque providens sibi viderier: sed istos, inquit, milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat? Si alium, inquit tribunus, neminem reperis; me licet ad hoc periculum utare. ego hanc tibi & reipublicæ animam do. consul tribuno gratias laudesque egit. tribunus & quadringenti ad moriendum proficiscuntur. hostes eorum audaciam demiran-

mirantur: quorsum ire pergant, in exspectando sunt. sed ubi apparuit ad eandem verrucam occupandam iter intendere; mittit adversum illos Imperator Karthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumveniuntur; circumventi repugnant. fit prælium diu anceps. tandem superat multitudo. quadringenti omnes tum unà perfossi gladiis, aut missilibus operti cadunt. consul interibi dum ea pugna fit, se in locos tutos atque editos subducit. Sed quod illi tribuno duci militum quadringentorum divinitus in eo prælio usus venit, non jam nostris sed ipsius Catonis verbis subjecimus verba Catonis: *Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute ejus dedere. nam ita evenit: quum saucius multifariam ibi factus esset; tum vulnus capiti nullum evenit: cumque inter mortuos defatigatum vulneribus ægreque spirantem, quòd sanguem defluxerat, cognovere, eum sustulere. isque convaluit: sæpeque post illa operam reipublicæ fortem atque strenuam perhibuit: illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum cæterum servavit. Sed idem benefactum in quo loco ponas, nimium interest. Leonidas Lacedæmonius laudatur, qui simile apud Thermopylas fecit. propter ejus virtutes omnis Græcia gloriam atque gratiam præcipuam claritudinis inclutissimæ decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, historiis, aliisque rebus gratissimum id ejus factum habuere. at tribuno militum parva laus pro factis relicta, qui idem fecerat, atque rem servaverat.* Hanc Q. Cædicii virtutem M. Cato tali suo testimonio decoravit. Claudius autem Quadrigarius, annali tertio, non Cædicio nomen fuisse refert, sed Valerio.

CAP.

CAP. VIII.

Litteræ eximiæ consulum C. Fabricii & Æmilii ad regem Pyrrhum à Q. Claudio scriptore historiarum in memoriam datæ.

QUum Pyrrhus rex in terra Italia esset, & unam atque alteram pugnam prosperè pugnasset, satisque agerent Romani, & pleraque Italia ad regem descivisset: tum Ambracienſis quispiam Timochares, regis Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium consulem furtim venit, ac præmium petivit; &, si de præmio conveniret, promisit regem venenis necare: idque facile esse factu, quoniam filii sui pocula in convivio regi ministrarent. eam rem Fabricius ad senatum scripsit. senatus legatos ad regem misit; mandavitque ut de Timochare nihil proderent, sed monerent uti rex circumspectiùs ageret, atque à proximorum insidiis salutem tutaretur. hoc ita, uti diximus, in Valerii Antiatis historia scriptum est. Quadrigarius autem in libro tertio non Timocharem sed Niciam adisse ad consulem scripsit; neque legatos à senatu missos sed à consulibus, & regem populo Romano laudes atque gratias scripsisse, captivosque omnes, quos tum habuerit, restituisse & reddidisse. consules tum fuerunt C. Fabricius & Q. Æmilius. Litteras, quas ad regem Pyrrhum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo: *Consules Romani salutem dicunt Pyrrho regi. Nos pro tuis injuriis continuo animo strenui, commoti inimiciter tecum bellare studemus. sed communis exempli & fidei visum est, uti te salvum velimus; ut esset quem vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi precium à nobis peteret, si te clam interfeciſſet. id nos negavimus velle; neve ob eam rem quicquam commodi exspectaret: & simul visum est, ut te certiorem faceremus;*

ne

ne quid ejusmodi, si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum. & quòd nobis non placet precio aut præmio aut dolis pugnare. tu, nisi caves, jacebis.

CAP. IX.

Quis & cujusmodi fuerit, qui in proverbio fertur, equus Sejanus, & qualis color equorum sit qui spadices vocantur: deque istius vocabuli ratione.

GAbius Bassus in commentariis suis, item Julius Modestus in secundo quæstionum confusarum historiam de equo Sejano tradunt dignam memoria atque admiratione. Cn. Sejum quempiam scribunt fuisse; eumque habuisse equum natum Argis in terra Græcia: de quo fama constans esset, tamquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuissent; quos Hercules Diomede occiso è Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse dicunt magnitudine invisitata, cervice ardua, colore phœniceo, flora & comanti juba; omnibusque aliis equorum laudibus quoque longè præstitisse: sed eumdem equum tali fuisse fato sive fortuna ferunt, ut, quisquis haberet eum possideretque, ut is cum omni domo, familia, fortunisque omnibus suis ad internecionem deperiret. itaque primum illum Cn. Sejum dominum ejus à M. Antonio, qui postea III VIR. R. P. C. fuit, capitis damnatum miserando supplicio affectum esse: eodem tempore Cornelium Dolabellam consulem, in Syriam proficiscentem fama istius equi adductum Argos devertisse; cupidineque habendi ejus exarsisse; emisseque HS. centum milibus: sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello civili obsessum atque interfectum esse: mox eumdem equum, qui Dolabellæ fuerat, C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse. eum Cassium postea satis notum est victis partibus fusoque exercitu suo miseram mortem oppetiisse:

petiisse: deinde Antonium post interitum Cassii, parta victoria, equum illum nobilem Cassii requisisse; &, quum eo potitus esset, ipsum quoque postea victum atque desertum detestabili exitio interisse. hinc proverbium de hominibus calamitosis ortum, dicique solitum; *ille homo habet equum Sejanum.* Eadem sententia est illius quoque veteris proverbii, quod ita dictum accepimus, *aurum Tholosanum.* nam quum oppidum Tholosanum in terra Gallia Q. Cæpio consul diripuisset, multumque auri in ejus oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit. Hunc equum Gabius Bassus vidisse se Argis refert haud credibili pulchritudine, vigoreque & colore exuberantissimo. quem colorem nos, sicuti dixi, phœniceum, Græcè partim φοίνικα, alii φοινίκια appellant: quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu avulsus spadix dicitur.

CAP. X.

Quod est quædam septenarii numeri vis & facultas, in multis naturæ rebus animadversa; de qua M. Varro in Hebdomadibus disserit copiose.

M. Varro in primo librorum, qui inscribuntur *Hebdomades vel de Imaginibus*, septenarii numeri, quem Græci ἑβδομάδα appellant, virtutes potestatesque multas variasque dicit. *is namque numerus*, inquit, *septentriones majores minoresque facit in cœlo, item vergilias, quas πλειάδας vocant. facit etiam stellas, quas alii erraticas*, P. *Nigidius errones appellat.* circulos quoque ait in cœlo circum longitudinem axis septem esse; è quis duos minimos, qui axem extimum tangunt, πόλους appellari dicit; sed eos in sphæra, quæ κεκλώτη vocatur, propter brevitatem non inesse. Atque neque ipse Zodiacus septenario numero caret. nam in septimo signo fit solsti-

solstitium à bruma; in septimo bruma à solstitio. in septimo æquinoctium ab æquinoctio. dies deinde illos, quibus halcyones hieme anni in aqua nidulantur, eos quoque septem esse dicit. præterea scribit lunæ curriculum confici integris quater septenis diebus. *nam duodetricesimo luna*, inquit, *ex quo vestigio profecta est, eodem redit:* auctoremque opinionis hujus Aristidem esse Samium: in qua re non id solùm animadverti debere dicit, quod quater septenis, id est, octo & viginti diebus conficeret iter luna suum; sed quòd is numerus septenarius, si ab uno profectus dum ad semetipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumque se addat, facit numerum octo & viginti: quot dies sunt curriculi lunaris. ad homines quoque nascendos vim numeri istius porrigi pertinereque ait: *nam quum in uterum*, inquit, *mulieris genitale semen datum est; primis septem diebus conglobatur coagulaturque, fitque ad capiendum figuram idoneum. post deinde quarta hebdomade, quod ejus virile secus futurum est, caput & spinam, quæ est in dorso, informatur. septima autem fere hebdomade, id est, nono & quadragesimo die totus*, inquit, *homo in utero absolvitur.* Illam quoque vim numeri hujus observatam refert, quòd ante mensem septimum neque masculus neque femina salubriter ac secundùm naturam nasci potest; & quod hi, qui justissimè in utero sunt, post ducentos octuaginta dies, postquam sunt concepti, quadragesima denique hebdomade ita nascuntur. pericula quoque vitæ fortunarumque hominum quos climacteras Chaldæi appellant, gravissimos quosque fieri affirmat septenariis. præter hoc modum esse dicit summum adolescendi humani corporis septem pedes. quod esse magis verum arbitramur, quàm quod Herodotus, homo fabulator, in primo historiarum, inventum esse sub terra scripsit Oresti corpus cubita longitudinis habens septem; quæ faciunt pedes duodecim

&

& quadrantem: nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. dentes quoque & in primis septem mensibus & septenos ex utraque parte gigni ait, & cadere annis septimis, & genuinos annasci annis ferè bis septenis. venas etiam in hominibus, vel potiùs arterias, medicos musicos dicere ait numero moveri septenario: quod ipsi appellant, τὴν διὰ πασῶν συμφωνίαν, quæ fit in collatione quaternarii numeri. discrimina etiam periculorum in morbis majore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarii: eosque dies omnium maximè, ita ut medici appellant, κελικὰς ἢ κεσίμους cuique videri primam hebdomadam & secundam & tertiam. Nec non id etiam est ad vim facultatesque ejus numeri augendas, quod, quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem oppetunt. Hæc Varro de numero septenario scripsit admodum conquisite. sed alia quoque ibidem congerit frigidiuscula; veluti septem opera esse in orbe terrarum miranda, & sapientes item veteres septem fuisse, & curricula ludorum circensium solemnia septem esse, ad oppugnandas Thebas duces septem delectos. tum ibi addit se quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse: ex quibus aliquam multos, quum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse.

CAP.

CAP. XI.

Quibus & quâm frivolis argumentis Accius in Didascalicis utatur: quibus docere nititur Hesiodum esse quam Homerum natu antiquiorem.

SUper ætate Homeri atque Hesiodi non consentitur. alii Homerum quàm Hesiodum majorem natu fuisse scripserunt; in quis Philochorus, & Xenophanes. alii minorem; in quis L. Accius poëta & Ephorus historiæ scriptor. Marcus autem Varro, in primo de imaginibus, uter natus prior sit parum constare dicit; sed non esse dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint; idque ex epigrammate ostendi, quod in tripode scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur. Accius autem in primo Didascalico levibus admodum argumentis utitur, per quæ ostendit Hesiodum natu priorem. *Quod Homerus*, inquit, *quum in principio carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus non addidit. quam rem procul*, inquit, *dubio dixisset, nisi ab Hesiodo jam dictum videretur. de Cyclope itidem*, inquit, *vel maximè quòd unoculus fuit, rem tam insignem non præterisset, nisi æque prioris Hesiodi carminibus vulgatum esset.* De patria quoque Homeri multo maximè dissensum est. alii Colophonium, alii Smyrnæum, sunt qui Athenienſem, sunt qui Ægyptium dicant fuisse, Aristoteles tradit ex insula Jo natum. M. Varro in libro de Imaginibus primo, Homeri imagini hoc epigramma apposuit:

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,
Quod hac Iëtæ mortuo faciunt sacra.
Ἑπτὰ πόλις διεμάζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου.
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίς, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

CAP. XII.

Largum atque avidum bibendi à P. *Nigidio doctissimo viro novo & propemodum absurdo vocabulo* biboſum *dictum.*

BIbendi avidum P. Nigidius in commentariis grammaticis *bibacem* & *biboſum* dicit. *bibacem* ego, ut *edacem* à pleriſque aliis dictum lego. *biboſum* dictum etiam nuſquam reperi, niſi apud Laberium; neque aliud eſt quod ſimili inclinatu dicatur. non enim ſimile eſt, ut, *vinoſus*, aut *vitioſus*, ceteraque, quæ hoc modo dicuntur: quoniam à vocabulis, non à verbis, inclinata ſunt. Laberius in mimo (vel primo) qui Salinator inſcriptus eſt, verbo hoc ita utitur.

Ita legit Rubenius. Cf. II. xx.

Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax.

CAP. XIII.

Quod Demoſthenes etiam tum adoleſcens, quum Platonis philoſophi diſcipulus foret, audito fortè Calliſtrato rhetore in concione populi deſtitit à Platone, & ſectatus eſt Calliſtratum.

HErmippus hoc ſcriptum reliquit, Demoſthenem admodum adoleſcentem ventitare in Academiam, Platonemque audire ſolitum. atque is, inquit, Demoſthenes domo egreſſus, ut ei mos erat, quum ad Platonem pergeret, complureſque populos concurrentis videret; percontatur ejus rei cauſam, cognoſcitque currere eos auditum Calliſtratum. is Calliſtratus Athenis orator in republica fuit. illi δημαγωγὸς appellant. viſum eſt paulum devertere, experirique an ad digna auditu tanto properatum ſtudio foret. venit, inquit, atque audit Calliſtratum nobilem illam τὴν περὶ Ὠρωποῦ δίκην dicentem: atque ita motus & demulctus & captus eſt, ut

ut Calliſtratum jam inde ſectari cœperit; Academiam cum Platone reliquerit.

CAP. XIV.

Dimidium librum legi, *aut*, dimidiam fabulam audivi; *aliaque ejuſcemodi qui dicat, vitiosè dicere, ejuſque vitii cauſas reddere M. Varronem: nec quemquam veterum iiſce verbis ita uſum eſſe.*

DImidium librum legi, aut *dimidiam fabulam audivi*, vel quid aliud hujuſcemodi, malè ac vitiosè dici exiſtimat Varro; *oportet enim*, inquit, *dicere dimidiatum librum, non dimidium. &, dimidiatam fabulam, non dimidiam. contra autem ſi è ſextario hemina fuſa eſt, dimidium, non dimidiatum ſextarium fuſum dicendum eſt. & qui ex mille nummûm, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepiſſe dicemus, ſed dimidium. at ſi ſcyphus*, inquit, *argenteus mihi cum alio communis in duas partes disjectus ſit; dimidiatum eum dicere eſſe ſcyphum debeo, non dimidium: argenti autem, quod in eo ſcypho ineſt, dimidium meum eſſe, non dimidiatum.* Diſſerit ac dividit ſubtiliſſimè, quid *dimidium dimidiato* interſit. & Q. Ennium ſcienter hoc in annalibus dixiſſe ait:

Sicuti ſiquis ferat vas vini dimidiatum.

ſicuti pars, quæ deeſt ei vaſi, non *dimidiata* dicenda eſt, ſed *dimidia*. Omnis autem diſputationis ejus, quam ſubtiliter quidem, ſed ſubobſcurè explicat, ſumma hæc eſt, *Dimidiatum* eſt quaſi *diſmediatum*, & in partis duas pares diviſum. *dimidiatum* ergo niſi ipſum quod diviſum eſt dici haud convenit. *dimidium* verò eſt non quod ipſum *dimidiatum* eſt, ſed quæ ex *dimidiato* pars altera eſt. quum igitur partem libri dimidiam legiſſe volumus dicere, aut partem dimidiam fabulæ audiſſe: ſi *dimidiam fabulam*, aut *dimidium librum* dicimus, peccamus. to-

tum enim ipsum quod *dimidiatum* atque divisum est, *dimidium* dicis. itaque Lucilius eadem sequutus,

Uno oculo, inquit, *pedibusque duobus dimidiatus*
Ut porcus.

& alio loco:

Quid ni? & scruta quidem ut vendat scrutarius laudat,
Præfractam strigilem, oleam improbus dimidiatam.

Jam in vicesimo manifestiùs *dimidiam horam* dicere studiosè fugit: sed pro, *dimidia*, *dimidium* ponit in hisce versibus:

Tempestate sua atque eodem uno tempore & horæ
Dimidio, tribus confectis dumtaxat eamdem
Et quartam.

nam quum obvium proximumque esset dicere:

—— *& horæ*
Dimidia tribus confectis:

vigilate atque attente verbum non probum mutavit. per quod satis apparet ne *horam* quidem *dimidiam* rectè dici, sed vel *dimidiatam horam*, vel *dimidiam partem horæ*. propterea Plautus in Bacchidibus *dimidium auri* dicit, non, *dimidiatum aurum*. item in Aulularia *dimidium obsonii*, non *dimidiatum obsonium* in hoc versu:

Eì adeò obsonii hinc jussit dimidium dari.

In Menæchmis autem *dimidiatum diem*, non, *dimidium* in hoc versu:

Dies quidem jam ad umbilicum dimidiatus mortuu-st.

M. Cato in libro, quem de agricultura conscripsit: *Semen cupressi serito crebrum, ita uti linum seri solet. eo crebro terram insternito, dimidiatum digitum. jam id bene tabula aut pedibus aut manibus complanato. dimidiatum* autem, inquit, *digitum*, non, *dimidium*. nam digiti quidem *dimidium*, digitum autem *dimidiatum* dici oportet. Item M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit: *Homines defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumposuerunt. ita interfecerunt.* neque quisquam

omnium,

omnium, qui probè locuti sunt, his verbis secus, quàm dixi, usus est.

CAP. XV.

Exstare in litteris perque hominum memorias traditum, quòd repentè multis mortem attulit gaudium ingens insperatum, intercluſa anima, & vim magni novique motus non sustinente.

COgnito repentè insperato gaudio expirasse animam refert Aristoteles philosophus Polycritam nobilem feminam Naxo insula. Philippides quoque comœdiarum poëta haud ignobilis, ætate jam edita, quum in certamine poëtarum præter spem vicisset, & lætissime gauderet, inter illud gaudium repentè mortuus est. De Rhodio etiam Diagora celebrata historia est, is Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem; eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiæ die: & quum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, saviarentur, quumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret: ibi in stadio, inspectante populo, in osculis atque in manibus filiorum animam efflavit. Præterea in nostris annalibus scriptum legimus, quâ tempestate apud Cannas exercitus populi Romani cæsus est, anum matrem nuncio de morte filii allato, luctu atque mærore affectam esse. sed is nuncius non verus fuit: atque is adolescens non diu post ex ea pugna in urbem rediit. anus repentè filio viso, copia atque turba & quasi ruina incidentis inopinati gaudii oppressa exanimataque est.

CAP. XVI.

Temporis varietas in puerperiis mulierum quænam sit & à medicis & à philosophis tradita: atque inibi poëtarum quoque veterum super eadem re opiniones: multaque alia auditu atque memoratu digna, verbaque ipsa Hippocratis medeci ex libro illius sumta, qui inscriptus est περὶ τροφῆς.

ET medici & philosophi illustres de tempore humani partus quæsiverunt: πόσος ὁ τῆς τῶν ἀνθρώπων κυήσεως χρόνος. & multa opinio est, eaque jam pro vero recepta, postquam mulieris uterus conceperit semen, gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, sæpe nono, sæpius numero decimo mense: eumque esse hominem gignendi summum finem, decem menses non inceptos, sed exactos. idque Plautum veterem poëtam dicere videmus in comœdia Cistellaria his verbis:

—— *tum illa quam compresserat,*
Decimo post mense exacto hic peperit filiam.

Hoc idem tradit etiam Menander poëta vetustior, humanarum opinionum vel peritissimus. Versus ejus super ea re de fabula Plocio posui,

Γυνὴ κυεῖ δεκάμηνον.

Sed noster Cæcilius, quum faceret eodem nomine & ejusdem argumenti comœdiam, ac pleraque à Menandro sumeret; in mensibus tamen genitalibus nominandis, non prætermisit octavum, quem præterierat Menander. Cæcilii versus hicce sunt:

Insoletne mulier decimo mense parere?
Pol nono, etiam septimo, atque octavo.

eam rem Cæcilium non inconsideratè dixisse, neque temere à Menandro atque à multorum opinionibus desciviſse M. Varro uti credamus facit. nam mense nonnunquam octavo editum esse partum in libro quartodecimo

rerum

rerum divinarum ſcriptum reliquit. quo in libro etiam undecimo menſe aliquando naſci poſſe hominem dicit: ejuſque ſententiæ, tam de octavo quàm de undecimo menſe, Ariſtotelem laudat auctorem. Sed hujus de menſe octavo diſſenſionis cauſa cognoſci poteſt in libro Hippocratis, qui inſcriptus eſt περὶ τροφῆς, ex quo libro verba hæc ſunt: ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις. id tam obſcurè atque præcisè tamque adversè dictum Sabinus medicus, qui Hippocratem commodiſſimè commentatus eſt, his verbis enarravit: ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα, μετὰ τὴν ἔκτρωσιν. οὐκ ἔστι δὲ, ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα. καὶ ἔστιν οὖν φαντασίᾳ μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ οὐκ ἔστι. Antiquos autem Romanos Varro dicit non recepiſſe hujuſcemodi quaſi monſtruoſas raritates; ſed nono menſe aut decimo, neque præter hos aliis partionem mulieris ſecundùm naturam fieri exiſtimaſſe: iccircoque eos nomina Fatis tribus feciſſe à pariendo & à nono atque decimo menſe. nam *Parca*, inquit, *immutata littera una à partu nominata: item Nona & Decima à partus tempeſtivi tempore*, Cæſellius autem Vindex in lectionibus ſuis antiquis, *Tria*, inquit, *nomina Parcarum ſunt, Nona, Decima, Morta*, & verſum hunc Livii antiquiſſimi poëtæ ponit ex Ὀδυσσεία:

Quando dies adveniet, quem profata Morta eſt?

ſed homo minimè malus Cæſellius, *Mortam*, quaſi nomen accepit, quum accipere quaſi Mœram deberet. Præterea ego de partu humano, præterquam quæ ſcripta in libris legi, hoc quoque veniſſe uſu Romæ comperi. Feminam bonis atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia, in undecimo menſe, poſt mariti mortem, peperiſſe; factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet, quoniam decemviri in decem menſibus gigni hominem, non in undecimo ſcripſiſſent: ſed Divum Hadrianum, cauſa cognita, decreviſſe in undecimo

quoque menſe partum edi poſſe: idque ipſum ejus rei decretum nos legimus. in eo decreto Hadrianus id ſtatuere ſe dicit requiſitis veterum philoſophorum & medicorum ſententiis. Hodie quoque in ſatira M. Varronis quæ inſcribitur, *teſtamentum*, legimus verba hæc: *Si quis mihi filius unus pluresve in decem menſibus genuntur; ei ſi erunt ὅσοι λύεσις, exheredes ſunto: quod ſiquis undecimo menſe, καὶ Δεκατέλη, natus eſt; Accio idem quod Titio jus eſto apud me.* Per hoc vetus proverbium Varro ſignificat, ſicuti vulgo dici ſolitum erat de rebus inter ſe nihil diſtantibus, *idem Accii quod Titii:* ita pari eodemque jure eſſe in decem menſibus natos & in undecim. quod ſi ita; neque ultra decimum menſem fœtura mulierum protolli poteſt: quæri oportet, cur Homerus ſcripſerit Neptunum dixiſſe puellæ à ſe recens compreſſæ:

Χαῖρε νεῦ φιλότητι. τελεσσομένῳ δ' ἐνιαυτῷ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα· ἐπεὶ οὐκ ἀκοφώλιοι ὧδαὶ
Ἀθανάτων.

Id quum ergo ad compluris grammaticos attuliſſem; partim eorum diſputabant Homeri quoque ætate, ſicuti Romuli, annum fuiſſe non duodecim menſium, ſed decem. alii conveniſſe Neptuno majeſtatique ejus dicebant, ut longiore tempore fœtus ex eo grandeſceret. alii alia quædam nugalia. Sed Favorinus mihi ait τελεσσομένῳ ἐνιαυτῷ non confecto eſſe anno ſed affecto. in qua re uſus eſt verbo non vulgariæ ſignificationis. *affecta* enim, ſicuti M. Cicero & veterum elegantiſſimi locuti ſunt, ea propriè dicebantur, quæ non ad finem ipſum, ſed proximè finem progreſſa deductave erant. hoc verbum ad hanc ſententiam in Ciceronis oratione fuit, quam dixit de provinciis conſularibus. Hippocrates autem in eo libro de quo ſuprà ſcripſi, quum & numerum dierum, quibus conceptum in utero coagulum conformatur, & tempus ipſius partionis nono aut decimo menſe definiſſet, neque id tamen ſemper eadem eſſe

fini

fini dixisset, sed aliàs ocius fieri, alias serius, hisce ad postremum verbis usus est. γίνεται δὲ ἐν τούτοις καὶ πλείω καὶ ἐλάσσω καὶ ὅλου μετὰ μέρος καὶ εἴπομεν δὲ καὶ πλείω πλείονων, καὶ ἐλάσσω ἐλασσόνων. quibus verbis significat quod aliquando ociùs fieret, non multo tamen fieri ociùs; neque, quod serius, multo serius. Memini ego Romæ accuratè hoc atque solicitè quæsitum, negotio non rei tunc parvæ postulante, an octavo mense infans ex utero vivus editus & statim mortuus jus trium liberorum supplevisset; quum abortio quibusdam, non partus, videretur mensis octavi intempestivitas. Sed quoniam de Homerico annuo partu ac de undecimo mense diximus quæ cognoveramus; visum est non prætereundum, quod in Plinii Secundi libro septimo naturalis historiæ legimus. id autem quia extra fidem esse videri potest, verba ipsius Plinii posuimus: *Massurius auctor est, L. Papirium prætorem, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, quum mater partum se tredecim mensibus tulisse diceret, quoniam nullum certum tempus pariendi statum ei videretur.* in eodem libro Plinii Secundi verba hæc scripta sunt: *Oscitatio in nixu lethalis est, sicut sternuisse a coitu abortivum.*

CAP. XVII.

Id quoque esse à gravissimis viris memoriæ mandatum, quod tres libros Plato Philolai Pythagorici, Aristoteles pauculos Speusippi philosophi, mercati sunt preciis fidem non capientibus.

Memoriæ mandatum est Platonem philosophum tenui admodum pecunia familiari fuisse; atque eum tamen tris Philolai Pythagorici libros decem millibus denariûm mercatum. id ei pretium donasse quidam scripserunt amicum ejus Dionem Syracusanum. Aristotelem quoque traditum libros pauculos Speusippi philo-

sophi, post mortem ejus, emisse talentis Atticis tribus. ea summa fit numi nostri HS. duo & septuaginta. Timon amarulentus librum maledicentissimum conscripsit, qui σίλλος inscribitur. in eo libro Platonem philosophum, quem dixeramus tenui admodum pecunia familiari fuisse, contumeliosè appellat, quòd impenso pretio librum Pythagoricæ disciplinæ emisset, exque eo Timæum nobilem illum dialogum concinnasset. Versus super ea re Timonis hi sunt:

Καὶ σὺ Πλάτων. καὶ γάρ σε μαθητὴν ὁ πόθος ἔχε.
Πολλῶν δ' ἀργυρίων ὀλίγων ἠλάξας βίβλον.
Ὅθεν ἀπαρχόμενος γεφύρειν ἐδιδάχθης.

CAP. XVIII.

Quid sint pedarii senatores, *& quam ob causam ita appellati: quamque habeant originem verba hæc ex edicto tralatitio consulum:* SENATORES. QUIBUS. Q. IN. SENATU. SENTENTIAM. DICERE. LICET.

Fest. v. Pedarius p. 331.

NOn pauci sunt qui opinantur *pedarios senatores* appellatos, qui sententiam in senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent. Quid igitur? quum senatusconsultum per discessionem fiebat, nonne universi senatores sententiam pedibus ferebant? atque hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam Gabius Bassus in commentariis suis scriptam reliquit. senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi. in quo curru sella esset, supra quam considerent; quæ ob eam causam *curulis* appellaretur: sed eos senatores, qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itavisse in curiam: propterea senatores nondum majoribus honoribus functos *pedarios* nominatos. Marcus autem Varro in satira Menippea, quæ Γηρυόνου inscripta

pta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos: videturque eos significare, qui nondum à censoribus in senatum lecti erant, senatores quidem non erant; sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum veniebant & sententiæ jus habebant. nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum à censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant: & quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed, quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque consules, quum senatores in curiam vocant, servandæ consuetudinis causa tralatitio utuntur. Verba edicti hæc sunt: SENATORES, QUIBUS. Q. IN. SENATU. SENTENTIAM. DICERE. LICET. versum quoque Laberii, in quo id vocabulum positum est, notari jussimus, quem legimus in mimo, qui *Scriptura* inscriptus est:

Caput sine lingua pedaria sententia est. Hoc vocabulum à plerisque barbarè dici animadvertimus. nam pro *pedariis pedaneos* appellant.

CAP. XIX.

Qua ratione Gabius Bassus scripserit parcum hominem *appellatum, & quam ejus vocabuli causam putarit: & contra, quem in modum, quibusque verbis Favorinus hanc traditionem ejus eluserit.*

APud cœnam Favorini philosophi quum discubitum fuerat, cœptusque erat apponi cibus: servus assistens mensæ ejus legere inceptabat, aut Græcarum quid litterarum aut nostratium: velut eo die, quo affui ego, legebatur Gabii Bassi eruditi viri liber de origine verborum & vocabulorum, in quo ita scriptum fuit: *Parcus compositio vocabulo dictus est, quasi par arcæ: quoniam sicut in arca omnia reconduntur, ejusque custodia servantur & continentur; ita homo tenax parvoque contentus omnia custodita*

stodita & recondita habet sicuti arca. quam ob causam parcus, quasi par arcæ nominatus est; tum Favorinus ubi hæc audivit, Superstitiosè, inquit, & nimis molestè atque odiosè confabricatus commolitusque magis est originem vocabuli Gabius iste Bassus quam enarravit. nam, si licet res dicere commentitias, cur non probabilius videatur ut accipiamus *parcum* ob eam causam dictum, quòd pecuniam consumi atque impendi arceat & prohibeat, quasi *pecuniarcus*. Quin potius, quod simplicius, inquit, veriusque est id dicimus. *Parcus* enim neque ab arca, neque ab arcendo, sed ab eo quod est *parum*, & *parvum*, denominatus est.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Sermo quidam Favorini philosophi cum grammatico jactantiore factus in Socraticum modum: atque inibi in sermone dictum quibus verbis penus *a Q. Scævola definita sit.*

IN vestibulo ædium Palatinarum omnis ferè ordinum multitudo opperientes salutationem Cæsaris cònstiterant. atque ibi, in circulo doctorum hominum, Favorino philosopho præsente, ostentabat quispiam grammaticæ rei doctor scholica quædam nugalia, de generibus & casibus vocabulorum differens, cum arduis superciliis vocisque & vultus gravitate composita, tanquam interpres & arbiter Sibyllæ oraculorum: tum adspiciens ad Favorinum, quamquam ei etiam nondum satis notus esset, *Penus quoque*, inquit, *variis generibus dictum & varie declinatum est. nam & hoc penus & hæc penus, & hujus peni & peneris & peniteris & penoris veteres dictaverunt.*

mundum

mundum quoque muliebrem Lucilius in Satirarum sexto-decimo non virili genere, ut ceteri, sed neutro appellavit his versibus:

Legavit quidam uxori mundum omne penumque.

Quid mundum; quid non? nam quis dijudicet isthuc?

atque omnium horum & testimoniis & exemplis constrepebat. quumque nimis odiosè sibi placeret, intercessit placidè Favorinus, &, jam bone, inquit, magister, quicquid est nomen tibi, abundè multa docuisti, quæ quidem ignorabamus, & scire haud sanè postulabamus. quid enim refert mea, ejusque quicum loquor, quo genere *penum* dicam aut in quas extremas litteras declinem, si nemo id non nimis barbarè fecerit? sed hoc planè indigeo addiscere, quid sit *penus*, & quo sensu id vocabulum dicatur, ne rem cotidiani usus, tamquam qui in venalibus Latinè loqui tentant, alia, quam oportet, voce appellem. Quæris, inquit, rem minimè obscuram. quis adeò ignorat *penum* esse vinum & triticum & oleum & lentem & fabam atque hujuscemodi cætera? Etiamne, inquit Favorinus, milium & panicum & glans & ordeum *penus* est? sunt enim propemodum hæc quoque ejusmodi. cùmque ille reticens hæreret: Nolo, inquit, hoc jam labores, an ista, quæ dixi, *penus* appellentur. sed potesne mihi, non speciem aliquam de penu dicere, sed definire genere proposito & differentiis appositis quid sit *penus*? Quæ genera & quas differentias dicas, non hercle, inquit, intelligo. Rem, inquit Favorinus, planè dictam postulas, quod est difficillimum, dici planius. nam hoc quidem pervulgatum est, definitionem ex genere & differentia consistere. sed si item mihi præmandere, quod ajunt, postulas; faciam sanè id quoque honoris tui habendi gratia. atque deinde ita exorsus est. Si, inquit, ego te nunc rogem, uti mihi dicas & quasi circumscribas verbis, quid *homo* sit; non, opinor, respondeas hominem esse te atque me.

hoc enim, quis homo sit, ostendere est; non, quid homo sit, dicere. sed si, inquam, peterem ut ipsum illud, quod homo est, definires, tum profecto mihi diceres, hominem esse mortale animal rationis & scientiæ capiens; vel quo alio modo diceres, ut eum à cæteris animalibus omnibus separares. proinde igitur nunc te rogo, ut, quid sit *penus*, dicas, non ut aliquid ex *penu* nomines. Tum ille ostentator voce jam molli atque demissa, Philosophias, inquit, ego non didici nec discere appetivi; &, si ignoro an ordeum ex *penu* sit, aut quibus verbis *penus* definiatur, non ea re litteras quoque alias nescio. Scire, inquit ridens jam Favorinus, quid *penus* sit, non ex nostra magis est philosophia quàm grammatica tua. meministi enim credo quæri solitum, quid Virgilius dixerit, *penum instruere* vel *longam* vel *longo ordine*. utrumque enim profecto scis legi solitum, sed, ut faciam æquiore animo ut sis; ne illi quidem veteris juris magistri, qui Sapientes appellati sunt, definisse satis rectè existimantur quid sit *penus*. nam Q. Scævolam, ad demonstrandum *penum*, his verbis usum audio: *Penus est*, inquit, *quod esculentum aut poculentum est. quod enim ipsius patris familias, liberorum patris familias ejusque familiæ, quæ circum eum aut liberos ejus est & opus eorum facit, causa paratum est, ut Mucius ait, penus videri debet. nam quæ ad edendum bibendumque in dies singulos prandii aut cœnæ caussa parantur, penus non sunt: sed ea potius, quæ hujusce generis longæ usionis gratia contrahuntur & reconduntur, ex eo quod non in promtu sint, sed intus & penitus habeantur, penus dicta sunt.* hæc ego, inquit, quum philosophiæ me dedissem, non insuper tamen habui discere: quoniam civibus Romanis Latinè loquentibus rem non suo vocabulo demonstrare non minus turpe esset, quàm hominem non suo nomine appellare. Sic Favorinus sermones in genus communes à rebus parvis & frigidis abducebat ad

ea,

ea, quæ esset magis utile audire ac discere, non allata extrinsecus, non per ostentationem, sed indidem nata acceptaque. Præterea de penu adscribendum hoc etiam putavi, Servium Sulpicium in reprehensis Scævolæ capitibus scripsisse, Seio Ælio placuisse non quæ esui tantùm & potui forent, sed tus quoque & cereos in *penu* esse; quodque esset ejus ferme rei causa comparatum. Massurius autem Sabinus, in libro juris civilis secundo, etiam quod jumentorum causa apparatum esset, quibus dominus uteretur, *penori* attributum dicit. Ligna quoque & virgas & carbones, quibus conficeretur *penus*, quibusdam ait videri esse in *penu*. ex his autem, quæ promercalia & usuaria in locis iisdem essent, ea sola esse *penoris* putat, quæ sint usui annuo.

CAP. II.

Quid differat morbus & vitium, & quam vim habeant vocabula ista in edicto ædilium; & an eunuchus & steriles mulieres redhiberi possint, diversæque super ea re sententiæ.

IN edicto ædilium curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum est, scriptum sic fuit: TITULUS. SERVORUM. SINGULORUM. UTEI. SCRIPTUS. SIT. COERATO. ITA. UTEI. INTELLEGI. RECTE. POSSIT. QUID. MORBI. VITII. VE. QUOI. Q. SIT. QUIS. FUGITIVUS. ERRO. VE. SIT. NOXA. VE. SOLUTUS. NON. SIT. propterea quæsierunt jureconsulti veteres, quod *mancipium morbosum* quodve *vitiosum* rectè diceretur; quantumque *morbus* à *vitio* differret. Cæcilius Sabinus, in libro quem de edicto ædilium curulium composuit, Labeonem refert, quid esset *morbus*, hisce verbis definisse. *Morbus est habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus facit deteriorem.* sed *morbum*

alias

alias in toto corpore accidere dicit, aliàs in parte corporis. totius corporis *morbum* esse, veluti phthisis aut febris; partis autem, veluti cæcitas aut pedis debilitas. *balbus autem*, inquit, *& atypus vitiosi magis quàm morbosi sunt: ut equus mordax, calcitro, vitiosus non morbosus est. sed cui morbus est, id etiam vitiosum est. neque id tamen contra fit. potest enim, qui vitiosus est, non morbosus esse. quamobrem, quum de homine morboso ageretur, nequaquam*, inquit, *ita diceretur*: QUANTI. OB. ID. VITIUM. MINORIS. ERIT. De eunucho quidem quæsitum est, an contra edictum ædilium videretur venundatus, si ignorasset emtor eum eunuchum esse. Labeonem respondisse ajunt, redhiberi posse quasi morbosum: sues autem feminas, si steriles essent, & venum issent, ex edicto ædilium posse agi Labeonem scripsisse. De sterili autem muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam quum redhiberi eam Labeo, quasi minus sanam, putasset necesse: *non oportere* ajunt Trebatium ei edicto apposuisse, *si ea mulier a principio genitali sterilitate esset*. at si valetudo ejus offendisset, exque ea vitium factum esset, ut concipere fœtus non posset; tum sanam non videri, & esse in causa redhibitionis. De myope quoque, qui *luscitiosus* Latinè appellatur, & περὶ νωδῶν dissensum est. alii enim redhiberi omnimodis debere, alii contra, nisi id vitium morbo contractum esset. eum verò, cui dens deesset, Servius redhiberi posse respondit: Labeo in causa esse redhibendi negavit. *nam & magna*, inquit, *pars dente aliquo carent: neque eo magis plerique homines morbosi sunt. & absurdum admodum est dicere, non sanos nasci homines; quoniam cum infantibus non simul dentes gignuntur.* Non prætereundum est, id quoque in libris veterum jurisperitorum scriptum esse *morbum* & *vitium* distare: quòd *vitium* perpetuum, *morbus* cum accessu discessuque sit. sed hoc si ita est; neque cæcus neque eunuchus

nuchus morbosus est, contra Labeonis, quàm suprà dixi, sententiam. Verba Massurii Sabini apposui ex libro juris civilis secundo: *Furiosus mutusve, cuive quod membrum lacerum læsumque est, aut obest quominus ipse aptus sit, morbosi sunt. qui non longe videt, tam sanus est, quam qui tardius currit.*

CAP. III.

Quòd nullæ fuerint rei uxoriæ actiones in urbe Roma ante Carvilianum divortium: atque inibi quid sit propriè pellex: quæque ejus vocabuli ratio sit.

MEmoriæ traditum est, quingentis ferè annis post Romam conditam, nullas rei uxoriæ neque actiones neque cautiones in urbe Romana aut in Latio fuisse: quia profectò nihil desiderabantur, nullis etiam tunc matrimoniis divertentibus. Servius quoque Sulpicius in libro, quem composuit de dotibus, tùm primùm cautiones rei uxoriæ necessarias esse visas scripsit, quum Sp. Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis divortium cum uxore fecit; quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, anno urbis conditæ IↃXXIII M. Attilio P. Valerio COSS. atque is Carvilius traditur uxorem, quam dimisit, egregiè dilexisse, carissimamque morum ejus gratia habuisse; sed jurisjurandi religionem animo atque amori prævertisse; quòd jurare à censoribus coactus erat uxorem se liberûm quærendorum gratia habiturum. *Pellicem* autem appellatam, probrosamque habitam eam, quæ juncta consuetaque esset cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii causa foret, hac antiquissima lege ostenditur, quam Numæ regis fuisse accepimus: PELLEX. ASAM. JUNONIS. NE. TAGITO. SI. TAGET. JUNONI. CRINIBOUS. DEMISSIS. ARNUM. FEMINAM. CAIDITO. pellex autem

quam Rav. de auct. stud. c. 1. explicat.

tem quasi πάλαξ, id est, quasi παλλακὶς: ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Græco flexum est.

CAP. IV.

Quid Servius Sulpicius in libro, qui est de dotibus, scripserit de jure atque more veterum sponsaliorum.

SPonsalia in ea parte Italiæ, quæ *Latium* appellatur, hoc more atque jure solita fieri scripsit Servius Sulpicius in libro, quem scripsit de dotibus: *Qui uxorem*, inquit, *ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem spondebat daturum. is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. tum, quæ promissa erat, sponsa appellabatur; qui spoponderat ducturum, sponsus. sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui stipulabatur ex sponsu agebat, judices cognoscebant. judex, quamobrem data acceptave non esset uxor, quærebat. si nihil justæ causæ videbatur; litem pecunia æstimabat: quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum, qui spoponderat aut qui stipulatus erat, condemnabat.* hoc jus sponsaliorum observatum dicit Servius ad id tempus, quo civitas universo Latio, lege Julia, data est. hæc eadem Neratius scripsit in libro, quem de nuptiis composuit.

CAP. V.

Historia narrata de perfidia haruspicum Etruscorum: quodque ob eam rem versus hic à pueris Romæ urbe tota cantatus est; Malum consilium consultori pessimum est.

STatua Romæ in comitio posita Horatii Coclitis fortissimi viri de cœlo tacta est. ob id fulgur piaculis luendum, haruspices ex Etruria acciti, inimico atque hostili

hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperàm transponi, quem sol oppositu circum undique aliarum ædium nunquam illustraret. quod quum ita fieri persuasissent, delati ad populum proditique sunt; &, quum de perfidia confessi essent, necati sunt: constititque eam statuam, proinde ut veræ rationes pòst compertæ monebant, in locum editum subducendam, atque ita in area Volcani sublimiori loco statuendam: eaque res benè & prosperè reipubl. cessit. tunc igitur, quòd in Etruscos haruspices malè consulentes animadversum vindicatumque fuerat, versus hic scitè factus cantatusque esse à pueris urbe tota fertur.

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de haruspicibus ac de versu isto senario scripta est in Annalibus Maximis libro undecimo, & in Verrii Flacci libro primo rerum memoria dignarum. videtur autem hic versus de Græco illo Hesiodi versu expressus:

Ἡ δ' ϰαϰὴ βυλὴ τῷ βυλεύσαντι ϰαϰίστη.

CAP. VI.

Verba veteris S. C. in quo decretum est hostiis majoribus expiandum, quòd in sacrario hastæ Martiæ movissent: atque inibi enarratum quid sint hostiæ succidaneæ: *quid item* tempora præcidanea: *quòdque Capito Atejus* ferias *quasdam* præcidaneas *appellavit.*

UT *terram movisse* nunciari solet; eaque res procuratur: ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nunciatum esse senatui, in sacrario, in regia, hastas Martias movisse. ejus rei causa senatusconsultum factum est M. Antonio A. Postumio coss. ejusque ex-

emplum hoc est: QUOD. C. JULIUS. L. F. PONTIFEX. NUNCIAVIT. IN. SACRARIO. IN. REGIA. HASTAS. MARTIAS. MOVISSE. DE. EA. RE. ITA. CENSUERUNT. UTI. M. ANTONIUS. CONSUL. HOSTIIS. MAJORIBUS. JOVI. ET. MARTI. ET. CAETERIS. DIS. QUIBUS. VIDERETUR. PLACANDIS. UTI. PROCURASSET. SATIS. HABENDUM. CENSUERUNT. SI. QUID. SUCCIDANEIS. OPUS. ESSET. ROBIGUS. ACCEDERET. Quòd *succidaneas hostias* senatus appellavit, quæri solet quid verbum id significet. in Plauti quoque comœdia, quæ Epidicus inscripta est, super eodem ipso verbo requiri audio in his versibus:

Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?

Succidaneæ autem *hostiæ* dicuntur, *e*, littera per morem compositi vocabuli in, *i*, litteram commutata. nam quasi *succædaneæ* appellatæ: quoniam, si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur. quæ, quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratia, subdebantur & succidebantur: ob id *succidaneæ* nominatæ, littera, *i*, scilicet tractim pronunciata. audio enim quosdam eam litteram in hac voce barbare corripere. Eadem autem ratione verbi *præcidaneæ* quoque hostiæ dicuntur, quæ ante sacrificia solemnia pridie cæduntur. *porca* etiam *præcidanea* appellata, quam piaculi gratia, ante fruges novas captas immolari Cereri mos fuit, siqui familiam funestam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quàm oportuerat, procuraverant. Sed porcam & hostias quasdam præcidaneas, sicuti dixi, appellari, vulgo notum est: *ferias præcidaneas* dici, id, opinor, à vulgo remotum est. Propterea verba Ateii Capitonis ex quinto librorum, quos de pontificio jure composuit, scripsi. *Tib. Coruncanio pontifici maximo*

feriæ

feriæ præcidaneæ in atrum diem inauguratæ sunt. collegium decrevit non habendum religioni, quin eo die feriæ præcidaneæ essent.

CAP. VII.

De epistola Valerii Probi grammatici ad Marcellum scripta super accentu nominum quorumdam Pœnicorum.

VAlerius Probus grammaticus inter suam ætatem præstanti scientia fuit. is *Hannibalem* & *Hasdrubalem* & *Hamilcarem* ita pronunciabat, ut penultimam circumflecteret; ut testis est epistola ejus scripta ad Marcellum, in qua Plautum & Ennium multosque alios veteres eo modo pronunciasse affirmat. solius tamen Ennii versum unum ponit, ex libro, qui *Scipio* inscribitur. eum versum quadrato numero factum subjecimus: in quo, nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexa ponatur, numerus claudus est. versus Ennii, quem dixit, ita est:

Qui propter Hannibalis copias considerant.

CAP. VIII.

Quid C. Fabricius de Cornelio Rufino homine avaro dixerit: quem quum odisset inimicusque esset, designandum tamen consulem curavit.

FAbricius Luscinus magna gloria vir magnisque rebus gestis fuit. P. Cornelius Rufinus manu quidem strenuus & bellator bonus, militarique disciplina peritus admodum fuit; sed furax homo & avaritia acri erat. hunc Fabricius non probabat, neque amico utebatur, osusque eum morum causa fuit. Sed quum in temporibus reipubl. difficillimis consules creandi forent, & is Rufinus peteret consulatum, competitoresque ejus essent imbelles quidam & futiles: summa ope adnisus est

Fabricius, uti Rufino consulatus deferretur. eam rem plerisque ammirantibus, quòd hominem avarum, cui esset inimicissimus, creari consulem peteret, quem hostiliter oderat: Fabricius inquit, *Nihil est quod miremini; si malui compilari quam venire.* Hunc Rufinum postea bis consulatu & dictatura functum censor Fabricius senatu movit, ob luxuriæ notam; quòd decem pondo libras argenti facti haberet. id autem, quod supra scripsi, Fabricium de Cornelio Rufino ita, ut in pleraque historia est, dixisse, M. Cicero non aliis à Fabricio, sed ipsi Rufino gratias agenti, quòd ejus gratias dedignatus consul esset, dictum esse refert in libro secundo de Oratore. Verba Ciceronis hæc sunt: *Arguta etiam significatio est, quum parva re & sæpe verbo res obscura & latens illustratur: ut quum C. Fabricio P. Cornelius homo, ut existimatur, avarus & furax, sed egregiè fortis & bonus imperator gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello præsertim magno & gravi: Nihil est quo mihi gratias agas*, inquit, *si malui compilari quam venire.*

CAP. IX.

Quid significet propriè, religiosus, *& in quæ diverticula significatio vocabuli istius flexa sit, & verba Nigidii Figuli ex commentariis ejus super ea re sumta.*

NIgidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta M. Varronem doctissimus, in undecimo commentariorum grammaticorum refert versum ex antiquo carmine memoria hercle dignum,

Religentem esse oportet; religiosum nefas.

Cujus autem id carmen sit, non scribit. atque in eodem loco Nigidius, *Hoc*, inquit, *inclinamentum semper hujuscemodi verborum, ut vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus, signat copiam quamdam immoditam rei, super*

per quæ dicitur. quocirca religiosus is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione sese alligaverat, eaque res vitio assignabatur. Sed præter ista, quæ Nigidius dicit, alio quodam diverticulo significationis *religiosus* pro casto atque observanti cohibentique sese certis legibus finibusque dici cœptus. simili autem modo illa quoque vocabula, ab eadem profecta origine, diversum significare videntur, *religiosi dies*, & *religiosa delubra*. *religiosi* enim *dies* dicuntur tristi omine infames impeditique: in quibus & res divinas facere & rem quampiam novam exordiri temperandum est. quos multitudo imperitorum pravè & perperam *nefastos* appellant. itaque M. Cicero in libro epistolarum nono ad Atticum, *Majores*, inquit, *nostri funestiorem diem esse voluerunt Aliensis pugnæ, quàm urbis captæ; quòd hoc malum ex illo. itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* idem tamen M. Tullius in oratione de accusatore constituendo, *religiosa delubra* dicit, non ominosa nec tristia, sed majestatis venerationisque plena. Massurius autem Sabinus, in commentariis quos de indigenis composuit, *Religiosum*, inquit, *est quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est. verbum à relinquendo dictum, tamquam cærimoniæ à carendo.* Secundùm hanc Sabini interpretationem templa quidem ac delubra, quia horum cumulus in vituperationem non cadit, ut illorum, quorum laus immodesta est, *religiosa* sunt, quæ non vulgo ac temere, sed cum castitate cærimoniaque adeunda & reverenda & reformidanda sunt magis quàm invulganda. sed dies *religiosi* dicti, quos ex contraria causa, propter ominis diritatem, relinquimus. iccirco ait Terentius in Heautontimorumeno:

Tum, quod dem ei, rectè est. nam, nihil esse mihi, relligio est dicere.

Quòd si, ut ait Nigidius, omnia istiusmodi inclinamenta nimium ac præter modum significant, & iccirco

in culpas cadunt, ut, *vinosus*, *mulierosus*, *verbosus*, *morosus*, *famosus*: cur *ingeniosus*, *formosus & officiosus & speciosus*, quæ pariter ab ingenio & forma & officio inclinata sunt; cur etiam *disciplinosus*, *consiliosus*, *victoriosus*, quæ M. Cato ita effiguravit; cur item *facundiosa*, quod Sempronius Asellio tertio decimo rerum gestarum ita scripsit, *Facta sua spectari oportere*; *dicta non*, *si minus facundiosa essent*: cur, inquam, ista omnia nunquam in culpam, sed in laudem dicuntur; quamquam hæc quoque incrementum sui nimium demonstrent? an propterea, quia illis quidem, quæ suprà posuit, adhibendus est modus quidam necessarius? nam & *gratia*, si nimia quidem atque immodica, & *mores*, si multi atque varii, & *verba*, si perpetua atque infrunita & obtundentia, & *fama*, si magna & inquieta & invidiosa sit, neque laudabilia neque utilia sunt. *ingenium* autem & *officium* & *forma* & *disciplina* & *consilium* & *victoria* & *facundia*, sicut ipsæ virtutum amplitudines, nullis finibus cohibentur, sed quanto majora auctioraque sint, etiam tanto laudatiora sunt.

CAP. X.

Quid observatum de ordine rogandarum sententiarum in senatu, jurgiorumque in senatu C. Cæsaris Consulis & M. Catonis diem dicendo eximentis.

ANte legem, quæ nunc de senatu habendo observatur, ordo rogandi sententias varius fuit. aliàs primus rogabatur, qui à censoribus princeps in senatum lectus fuerat; aliàs qui designati consules erant. quidam è consulibus studio aut necessitudine aliqua adducti, quem iis visum erat, honoris gratia, extra ordinem sententiam primum rogabant. Observatum tamen est, quum extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio quàm ex consulari loco sententiam primum rogaret. C. Cæ-

Suet. Jul. 26.

sar

sar in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quatuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur. ex iis quatuor principem rogabat M. Crassum. sed, postquam filiam Cn. Pompejo desponderat, primum cœperat Pompejum rogare. ejus rei rationem reddidisse eum senatui Tiro Tullius M. Ciceronis libertus refert: itaque se ex patrono suo audisse scribit. id ipsum Capito Atejus in libro, quem de officio senatorio composuit, scriptum reliquit. in eodem libro Capitonis id quoque scriptum est. *Cajus*, inquit, *Cæsar consul M. Catonem sententiam rogavit. Cato rem quam consulebatur, quoniam non è rep. videbatur, persici nolebat. ejus rei gratia ducendæ, longa oratione utebatur; eximebatque dicendo diem. erat enim jus senatori, ut, sententiam rogatus, diceret antè quicquid vellet alii rei & quoad vellet. Cæsar consul viatorem vocavit; eumque, quum finem non faceret, prehendi loquentem & in carcerem duci jussit. senatus consurrexit: prosequebatur Catonem in carcerem. hac*, inquit, *invidia facta Cæsar destitit, & mitti Catonem jussit.*

CAP. XI.

Quæ qualiaque sint, quæ Aristoxenus, quasi magis comperta, de Pythagora memoriæ commendavit, & quæ item Plutarchus eumdem in modum de eodem Pythagora scripsit.

OPinio vetus falsa occupavit & convaluit, Pythagoram philosophum non esitavisse ex animalibus; item abstinuisse fabulo, quem κύαμον Græci appellant. ex hac opinione Callimachus poëta scripsit:

Καὶ κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεν ἀνιώντων ἔδεσθαι
Κἀγὼ Πυθαγόρας ὡς ἐκέλευε λέγω.

Ex eadem item opinione M. Cicero in libro de divinatione primo, hæc verba posuit; *Jubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit quod*

errorem animis perturbationemque afferat. ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne faba vescerentur; quod habet inflationem magnam is cibus tranquillitatem mentis quærentibus contrariam. hæc quidem M. Cicero. Sed Aristoxenus musicus vir litterarum veterum diligentissimus, Aristotelis philosophi auditor, in libro, quem de Pythagora reliquit, nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum quàm fabis. quoniam is cibus & subduceret sensim alvum & lævigaret. Verba ista Aristoxeni subscripsi: Πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρίων μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασε λίαν κινητικόν τε ὂν εἶναι, καὶ διαφορητικόν. διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῷ. Porculis quoque minusculis & hœdis tenerioribus victitasse idem Aristoxenus refert. quam rem videtur cognovisse ex Xenophilo Pythagorico familiari suo, & ex quibusdam aliis natu majoribus, qui ab ætate Pythagoræ haud multum aberant. ac de animalibus Alexis etiam poëta in comœdia, quæ Pythagoræ vita inscribitur, docet. videtur autem de κυάμῳ non esitato causam erroris fuisse, quia in Empedocli carmine, qui disciplinas Pythagoræ secutus est, versus hic invenitur:

Δειλοί, παύδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθε.

opinati enim sunt plerique κύαμον legumentum vulgo dici. sed qui diligentius anquisitiusque carmina Empedocli arbitrati sunt, κυάμους hoc in loco testiculos significare dicunt; eosque more Pythagoræ opertè atque symbolicè κυάμους appellatos, quia sint εἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ καὶ ἄπτοι τοῦ κυεῖν; & genituræ humanæ vim præbeant, iccircoque in Empedocli versu isto non à fabulo edendo, sed à rei venereæ proluvio voluisse homines deducere. Plutarchus quoque homo in disciplinis gravi auctoritate in primo librorum quos de Homero composuit Aristotelem philosophum scripsit eadem ipsa de Pythagoricis scripsisse; quòd non abstinuerunt edundis animalibus, nisi pauca carne quadam. verba ipsa Plutarchi, quoniam

res

res inopinata est, subscripsi: Ἀ ελυσπέλης δὲ μήτρας, καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλύφης, καὶ τινῶν ἄλλων ἀπέχεσθαί φησι τὺς Πυθαγορικὺς. χρῆσθαι δὲ τῆς ἄλοις. Ἀκαλύφη autem est animal marinum, quod urtica appellatur. sed & piscibus nonnullis abstinere Pythagoricos Plutarchus in Symposiacis dicit: Pythagoram verò ipsum sicuti celebre est Euphorbum primo se fuisse dictitasse; ita hæc remotiora sunt his, quæ Clearchus & Dicæarchus memoriæ tradiderunt, fuisse eum postea Pyrandrum, deinde Callicleam, deinde feminam pulchra facie meretricem, cui nomen fuerat Alce.

CAP. XII.

Notæ & animadversiones censoriæ in veteribus monumentis repertæ memoria dignæ.

SI quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat, neque purgaverat; sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id sine pœna fuit: sed erat opus censorium, censoresque ærarium faciebant. item si quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, *impolitiæ* notabatur. id verbum significat quasi si tu dicas, *incuriæ*: cujus rei utriusque auctoritates sunt: & M. Cato id sæpe numero attestatus est.

CAP. XIII.

Quòd incentiones quædam tibiarum certo modo factæ ischiacis mederi possint.

PRoditum hoc plerisque est & memoriæ mandatum; ischiaci quum maximè doleant, tum, si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores. ego nuperrimè in libro Theophrasti scriptum inveni viperarum morsibus tibicinem scitè modulateque adhibitum mederi. refert

fert etiam idem Democriti liber, qui inscribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν. in quo docet plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum. tanta prorsus est affinitas corporibus hominum mentibusque; & propterea quoque vitiis aut medelis animorum & corporum.

CAP. XIV.

Narratur historia de Hostilio Mancino ædili & Mamilia meretrice; verbaque decreti tribunorum ad quos à Mamilia provocatum est.

QUum librum nonum Atei Capitonis Conlectaneorum legeremus, qui inscriptus est *de judiciis publicis*; decretum tribunorum visum est gravitatis antiquæ plenum. propterea id meminimus; idque ob hanc causam & in hanc sententiam scriptum est. A. Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit, is Mamiliæ meretrici diem ad populum dixit, quòd de tabulato ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebei provocavit. apud eos dixit comissatorem Mancinum ad ædes suas venisse; eum sibi fas recipere non fuisse in æde sua; sed quum vi irrumperet, lapidibus depulsum. tribuni decreverunt ædilem ex eo loco jure dejectum, quo eum venire cum coronario non decuisset: propterea, ne cum populo ædilis ageret, interceſſerunt.

CAP. XV.

Defensa à culpa sententia ex historia Sallustii, quam inimici ejus cum insectatione malignè reprehenderint.

ELegantia orationis Sallustii verborumque facundia & novandi studium cum multa prorsus invidia fuit: multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere

hendere pleraque & obtrectare. in quibus plura inscitè aut malignè vellicant: nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione. quale illud in Catilinæ historia repertum est; quod habeat eam speciem, quasi parum attentè dictum. Verba Sallustii hæc sunt. *Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem & auctorem rerum, tamen inprimis arduum videtur res gestas scribere. primùm, quod facta dictis exæquanda sunt: dein, quòd plerique, quæ delicta reprehenderis, malivolentia & invidia dicta putant. ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores; quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra, veluti ficta pro falsis ducit.* Proposuit, inquiunt, dicturum causas, quamobrem videatur esse arduum, res gestas scribere: atque ibi non primum causam, sed querelas dicit. non enim causa videri debet, cur historiæ opus arduum sit, quod ii, qui legunt, aut inique interpretantur quæ scripta sunt, aut vera esse non credunt. obnoxiam quippe & objectam falsis existimationibus eam rem dicendam magis ajunt quàm arduam. quia, quod arduum est, sui operis difficultate est arduum, non opinionis alienæ erroribus. Hæc illi malivoli reprehensores dicunt; sed, *arduum*, Sallustius non pro difficili tantùm, sed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant: quod est tum difficile tum molestum quoque & incommodum & intractabile. quorum verborum significatio à sententia Sallustii suprà scripta non abhorret.

CAP.

CAP. XVI.

De vocabulis quibusdam a Varrone & Nigidio contra quotidiani sermonis consuetudinem declinatis: atque inibi id genus quædam cum exemplis veterum relata.

M. Varronem & P. Nigidium, viros Romani generis disertissimos, comperimus non aliter locutos esse & scripsisse, quàm *senatuis*, & *domuis*, & *fluctuis*: qui est patrius casus, ab eo quod est, *senatus*, *domus*, & *fluctus*. hinc *senatui*, *domui*, *fluctui*, cæteraque his consimilia pariter dixisse. Terentii quoque comici versus in libris veteribus itidem scriptus est:

Ejus anuis, opinor, causa, quæ est mortua.

Hanc eorum auctoritatem quidam è veteribus grammaticis ratione etiam firmare voluerunt, quòd omnis dativus singularis littera finitus, *i*, si non similis est genitivi singularis, littera addita genitivum singularem facit. ut, *patri patris*, *duci ducis*, *cædi cædis*. Quum igitur, inquiunt, in casu dandi, *huic senatui*, dicamus; genitivus ex eo singularis *senatuis* est, & non *senatus*. Sed non omnes concedunt in casu dativo *senatui* magis dicendum, quàm *senatu*. sicut Lucilius in eodem casu, *victu* & *anu*, dicit, non, *victui* & *anui*, in hisce versibus,

Quod sumptum atque epulas victu præponis honesto.

& alio in loco

Anu noceo, inquit,

Virgilius quoque in casu dandi, *aspectu*, dicit, non *aspectui*.

—— *Teque aspectu ne subtrahe nostro.*

& in Georgicis:

Quòd nec concubitu indulgent.

Cajus etiam Cæsar gravis auctor linguæ Latinæ in Anticatone, *Unius*, inquit, *arrogantiæ superbiæque dominatuque*.

minatuque. item in Dolabellam actionis III. *ibi isti quorum in ædibus fanisque posita & honori erant & ornatu.* in libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine, *i*, littera dicenda censet.

CAP. XVII.

De natura quarumdam particularum, quæ præpositæ verbis intendi atque produci barbarè atque inscitè videntur, exemplis rationibusque pluscùlis disceptatum.

LUcilii ex undecimo versus sunt:

Scipiadæ magno improbus objiciebat Asellus,
Lustrum, illo censore, malum infelixque fuisse.

objiciebat, o, littera producta multos legere audio; idque eo facere dicunt, ut ratio numeri salva sit. idem infra:

—— & jam
Conjicere in versus dictum præconis volebam
Grani.

in hoc quoque prima verbi præpositio ob eandem causam producitur. item quintodecimo.

Subjicit hinc humilem, & sufferctus posteriorem.

subjicit, u, littera longa legunt; quia primam syllabam brevem esse in versu heroico non convenit. item apud Plautum in Epidico, *con*, syllabam productam pronunciant,

Age nunc jam, orna te Epidice & pallium in collum conjice.

Apud Virgilium quoque, *subjicit*, verbum produci à plerisque audio.

—— etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.

Sed neque, *ob*, neque, *sub*, præpositio producendi habent naturam; neque item, *con*; nisi quum eam litteræ sequuntur, quæ in verbis, *constituit*, &, *confecit*, secundùm

secundùm eam primæ sunt, vel quum eliditur ex ea, *n* littera: sicut Sallustius, *Facinoribus*, inquit, *coopertus*. in his autem, quæ suprà posui, & metrum esse integrum potest, & præpositiones istæ possunt non barbarè protendi: secunda enim littera in his verbis per duo *ii*, non per unum scribenda est. nam verbum istud, cui suprà dictæ particulæ præpositæ sunt, non *icio* est sed *iacio*, & præteritum non *icit* facit sed *iecit*. idque ubi compositum est ex *a* littera, *a* in *i* mutatur; sicuti fit in verbis *insilio* & *incipio*: atque ita vim consonantis capit. & idcirco ea syllaba productius latiusque paulò pronunciata priorem syllabam brevem esse non patitur; sed reddit eam positu longam; proptereaque & numerus in versu & ratio in pronunciatu manet. hæc, quæ diximus, eò etiam conducunt, ut, quod apud Virgilium in sexto positum invenimus.

Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terram
Iniice:

sic esse, *iniice*, ut supra dixi, & legendum & scribendum sciamus: nisi quis tam indocilis est, ut in hoc quoque verbo, *in* præpositionem metri causa protendat: quærimus igitur in *obicibus*, *o*, littera qua ratione intendatur, quum id vocabulum factum sit à verbo, *obicio*; & nequaquam simile sit, quod à verbo *moveo motus*, *o*, littera longa dicitur. Equidem memini Sulpicium Apollinarem, virum præstanti litterarum scientia, *obices* & *obicibus*, *o*, littera correpta dicere; in Virgilio quoque sic eum legere;

—— *qua vi maria alta tumescant*
Obicibus ruptis.

sed ita, ut diximus, *i*, litteram quæ in vocabulo quoque gemina esse debet, paullo uberius largiusque pronunciabat. congruens igitur est, ut *subices* etiam, quod proinde ut *obices* compositum est, *u*, littera brevi dici oporteat. Ennius in tragœdia, quæ Achilles inscribitur,

subices

subices pro aëre alto ponit, qui cœlo subjectus est, in his versibus:

Per ego deûm sublimes subices, humidus
Unde oritur imber sonitu sævo & spiritus.

plerosque homines tamen legere audias, *u*, littera producta. id ipsum autem verbum M. Cato sub alia præpositione dicit, in oratione, quam de consulatu suo habuit. *Ita hos*, inquit, *fert ventus ad priorem Pyrenæum quos projicit in altum.* & Pacuvius item in Chryse: *promontorium, cujus linguam in altum projicit.*

CAP. XVIII.

De Africano superiore sumta quædam ex annalibus memoratu dignissima.

SCipio Africanus antiquior quanta virtutum gloria præstiterit, quàm fuerit altus animo atque magnificus, & qua sui conscientia nixus; pluribus rebus quæ dixerit quæque fecerit declaratum est. ex quibus sunt hæc duo exempla ejus fiduciæ atque exsuperantiæ ingentis. Quum M. Nævius tribunus plebei accusaret eum ad populum; diceretque à rege Antiocho accepisse pecuniam, ut conditionibus gratiosis ac mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret; & quædam item alia crimini daret indigna tali viro: tum Scipio pauca præfatus, quæ dignitas vitæ suæ atque gloria postulabat, *Memoria*, inquit, *Quirites, repeto diem esse hodiernum, quo Hannibalem Pœnum imperio nostro inimicissimum, magno prælio vici in terra Africa: pacemque & victoriam vobis peperi insperabilem. non igitur simus adversum deos ingrati: sed censeo relinquamus nebulonem hunc; eamus nunc protinus Jovi optimo maximo gratulatum.* id quum dixisset, avertit, & ire in Capitolium cœpit. tum concio universa, quæ ad sententiam de Scipione ferendam convenerat, relicto tribuno, Scipionem in Capitolium

l. 1. c. 14.

comitata, atque inde ad ædes ejus, cum lætitia & gratulatione sollemni prosecuta est. Fertur etiam oratio, quæ videtur habita eo die à Scipione, &, qui dicunt eam non veram, non eunt inficias, quin hæc quidem verba fuerint, quæ dixi, Scipionis. Item aliud est factum ejus præclarum, Pœtilii quidam tribuni plebei à Marco, ut ajunt, Catone inimico Scipionis comparati in eum atque immissi desiderabant in senatu instantissimè, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque, quæ eo in bello capta erat, rationem redderet. fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo imperatori in ea provincia legatus. ibi Scipio exsurgit; & prolato è sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ omnisque prædæ. Illi tum ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. sed enim id jam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia. eumque librum statim coram discidit suis manibus, & concerpsit; ægrè passus, quòd cui salus imperii ac reip. accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædaticiæ poscceretur.

CAP. XIX.

Quid M. Varro in logistorico scripserit de moderando victu puerorum impubium.

PUeros impuberes compertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri, veterni usque aut eluci tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adolescere. idem plerique alii medicorum philosophorumque, & M. Varro in logistorico scripsit; quæ inscripta est *Capys aut de liberis educandis.*

CAP.

CAP. XX.

Notati à censoribus, qui audientibus iis dixerant joca quædam intempestiviter: ac de ejus nota deliberatum, qui steterat fortè apud eos oscitabundus.

INter censorias severitates tria hæc exempla in litteris sunt castigatissimæ disciplinæ. unum est hujusmodi. Censor adigebat de uxoribus sollemne jusjurandum. verba ita erant concepta: UT. TU. EX. ANIMI. TUI. SENTENTIA. UXOREM. HABES. qui jurabat, cavillator quidam & canalicula & nimis ridicularius fuit. is locum esse sibi joci dicendi ratus, quum ita, uti mos erat, censor dixisset; ET. TU. EX. ANIMI. TUI. SENTENTIA. UXOREM. HABES? *Habeo equidem*, inquit, *uxorem, sed non ex animi tui sententia.* tum censor eum, quòd intempestivè lasciviisset, in ærarios retulit; causamque hanc joci scurrilis apud se dicti subscripsit. Altera severitas ejusdem sectæ disciplinæque est. Deliberatum est de nota ejus, qui ad censores ab amico advocatus est, &, in jure stans, clarè nimis ac sonorè oscitavit. atque inibi prope ut plecteretur fuit; tamquam illud indicium vagi animi foret & allucinantis, & fluxæ atque apertæ securitatis. sed quum ille dejerasset invitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio quod *oscedo* appellatur; tum notæ jam destinatæ exemtus est. P. Scipio Africanus Pauli F. utramque historiam posuit in oratione, quam dixit in censura, quum ad majorum mores populum hortaretur. Item aliud refert Sabinus Massurius in septimo memoriali severè factum, *Censores.* inquit, *P. Scipio Nasica & M. Popillius quum equitum censum agerent; equum nimis strigosum & malè habitum, sed equitem ejus uberrimum & habitissimum viderunt. Et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis quam equus curatior?*

quoniam, inquit, ego me curo; equum Statius meus servus: visum est parum reverens esse responsum. relatusque in ærarios, ut mos est. Statius autem servile nomen fuit. plerique apud veteres servi eo nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille comœdiarum poëta inclutus servus fuit: & propterea nomen habuit *Statius*. sed postea versum est quasi in cognomentum; appellatusque *Cæcilius Statius*.

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Quòd Musonius philosophus reprehendit improbavitque laudari philosophum differentem à vociferantibus & in laudando gestientibus.

MUsonium philosophum solitum dicere accepimus: quum philosophus, inquit, hortatur, monet, suadet, objurgat, aliudve quid disciplinarum differit; tum, qui audiunt, si summo & soluto pectore obvias vulgatasque laudes effutiunt, si clamitant etiam, si vocum ejus festivitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis moventur, exagitantur, & gestiunt; tum scias & qui dicit & qui audit frustra esse: neque illic philosophum loqui, sed tibicinem canere. animus is, inquit, audientis philosophum, si, quæ dicuntur, utilia ac salubria sunt & errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atque otium prolixè profuséque laudandi non habet: quisquis ille est qui audit, nisi ille est planè deperditus, inter ipsam philosophi orationem & perhorrescat necesse est & pudeat tacitus & pœniteat & gaudeat & admiretur. varios adeò vultus disparilesque sensus gerat, proinde ut eum conscientiamque ejus affecerit utrarumque animi partium aut sincera-

sincerarum aut ægrarum philosophi pertrectatio. præterea dicebat magnam laudem non abesse ab admiratione: admirationem autem, quæ maxima est, non parere verba sed silentium: iccirco, inquit, poëtarum sapientissimus auditores illos Ulyxi labores suos illustrissimè narrantis, ubi loquendi finis factus, non exsultare nec strepere nec vociferari facit, sed consuluisse universos dicit, quasi attonitos & obstupidos delenimentis aurium ad origines usque vocis permanentibus.

CAP. II.

Super equo Alexandri regis, qui Bucephalas appellatus est.

EQuus Alexandri regis & capite & nomine *Bucephalas* fuit. emptum Cares scripsit talentis tredecim & regi Philippo donatum: æris nostri summa est HS. CCCXII. Super hoc equo dignum memoria visum; quòd, ubi ornatus erat armatusque ad prœlium, haud umquam inscendi sese ab alio nisi à rege passus sit. Id etiam de isto equo memoratum est; quod, quum in eo insidens Alexander, bello Indico, & facinora faciens fortia, in hostium cuneum non satis sibi providens immisisset, conjectis undique in Alexandrum telis vulneribus altè in cervice atque in latere equus perfossus est: moribundus tamen ac prope jam exsanguis è mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit: atque, ubi eum extra tela extulerat, illico concidit, & domini jam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio, animam exspiravit. tum rex Alexander, parta ejus belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit; atque, ob equi honores, Bucephalon appellavit.

CAP. III.

Quæ causa, quodque initium fuisse dicatur Protagoræ ad philosophiæ litteras adeundi.

PROTAGORAM, virum in studiis doctrinarum egregium, cujus nomen Plato libro illi suo incluto inscripsit, adolescentem ajunt, victus quærendi gratia, in mercedem missum; vecturasque onerum corpore suo factitavisse. quod genus Græci βαστάζοντας vocant; Latinè *bajulos* appellamus. is de proximo rure in Abderam oppidum, cujus popularis fuit, caudices ligni plurimos funiculo brevi circumdatos portabat. tum fortè Democritus civitatis ejusdem civis, homo ante alios virtutis & philosophiæ gratia venerandus, quum egrederetur extra urbem, videt eum cum illo genere oneris tam impedito ac tam incohibili facilè atque expeditè incedentem: & propè accedit; & vincturam posituramque ligni scitè peritèque factam considerat; petitque ut paulum acquiescat. quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit, atque itidem Democritus acervum illum & quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit; interrogavit quis id lignum ita composuisset: &, quum ille à se compositum dixisset, desideravit uti solveret, ac denuo in modum eumdem collocaret. at postquam ille solvit, ac similiter composuit: tum Democritus, animi aciem sollertiamque hominis non docti demiratus, Mi adolescens, inquit, quum ingenium benefaciendi habeas, sunt majora melioraque quæ facere mecum possis: abduxitque eum statim, secumque habuit, & sumtum ministravit, & philosophias docuit, & esse eum fecit, quantus postea fuit. is tamen Protagoras insincerus quidem philosophus, sed acerrimus sophistarum fuit, pecuniam quippe ingentem quum

à discipu-

à discipulis acciperet annuam, pollicebatur se id docere, quanam verborum industria causa infirmior, fieret fortior. quam rem Græcè ita dicebat, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν.

CAP. IV.

De verbo, duoetviceſimo, *quod vulgo incognitum, à viris doctis multifariam in libris ſcriptum eſt.*

APud Sigillaria forte in libraria ego & Julius Paulus vir memoria noſtra doctiſſimus conſederamus: atque ibi expoſiti erant Fabii annales, bonæ atque ſinceræ vetuſtatis libri, quos venditor ſine mendis eſſe contendebat. Grammaticus autem quiſpiam de nobilioribus, ab emtore ad ſpectandos libros adhibitus, reperiſſe unum in libro mendum dicebat, ſed contra librarius in quodvis pignus vocabat, ni in una nuſpiam littera delictum eſſet. oſtendebat grammaticus ita ſcriptum in libro quarto: *Quapropter tum primum ex plebe alter conſul factus eſt, duoetviceſimo anno, poſtquam Romam Galli ceperunt.* non, inquit, *duoetviceſimo*, ſed, *duodeviceſimo* ſcribi oportuit. quid enim eſt, *duoetviceſimo?* alio quoque loco hic ita ſcripſit, *mortuus eſt anno duoetviceſimo. rex fuit annos viginti & unum.*

CAP. V.

Cujuſcemodi joco cavillatus ſit Antiochum regem Pœnus Hannibal.

IN libris veterum memoriarum ſcriptum eſt Hannibalem Karthaginienſem apud regem Antiochum facetiſſimè cavillatum eſſe. ea cavillatio hujuſcemodi fuit. Oſtendebat ei Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparaverat: convertebatque exercitum inſignibus argenteis & aureis flo-

rentem. inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus; equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem. atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem adspicit: &, Putasne, inquit, conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia? tum Pœnus eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum; Satis planè, inquit, satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi avariſſimi sunt. Nihil prorsus neque tam lepidè neque tam acerbè dici potest. rex de numero exercitus sui ac de æquiparatione æstimanda quæsierat: respondit Hannibal de præda.

CAP. VI.

De coronis militaribus; quæ sit earum triumphalis, *quæ* obsidionalis, *quæ* civica, *quæ* muralis, *quæ* castrensis, *quæ* navalis, *quæ* ovalis, *quæ* oleaginea.

MIlitares coronæ multifariæ sunt, quarum quæ nobiliſſimæ sunt, has fermè esse accepimus, *triumphalem*, *obsidionalem*, *civicam*, *muralem*, *castrensem*, *navalem*. est ea quoque corona quæ *ovalis* dicitur. est item postrema *oleaginea*, qua uti solent qui in prœlio non fuerunt, sed triumphum procurant. *Triumphales* coronæ sunt aureæ, quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. id vulgo dicitur *aurum coronarium*. hæ antiquitus è lauru erant, post fieri ex auro cœptæ. *Obsidionalis* est, quam ii, qui liberati sunt obsidione, dant ei duci, qui liberavit. ea corona graminea est: observarique solitum, ut fieret è gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant, qui obsidebantur. Hanc coronam gramineam senatus populusque Romanus Q. Fabio Maximo dedit bello Pœnorum secundo, quòd urbem Romanam obsidione hostium liberasset,

tasset. *Civica* corona appellatur, quam civis civi à quo servatus est in prœlio testem vitæ salutisque perceptæ dat. ea fit è fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit: etiam ex ilice; quod genus superiori proximum est, sicut scriptum est in quadam comœdia Cæcilii:

Advehuntur, inquit, *cum ilignea corona & chlamyde. Di vostram fidem!*

Massurius autem Sabinus, in undecimo librorum memorialium, civicam coronam tum dari solitam dicit, quum is, qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat; neque locum in ea pugna reliquerat; aliter jus civicæ coronæ negat concessum: Tiberium tamen Cæsarem consultum, an civicam coronam capere posset, qui civem in prœlio servasset & hostes ibidem duos interfeciisset, sed locum, in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent; rescripsisse dicit eum quoque civica dignum videri; quòd appareret tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiverit. hac corona civica L. Gellius vir censorius in senatu Ciceronem consulem donari è republica censuit; quod ejus opera esset atrociissima illa Catilinæ conjuratio detecta vindicataque. *Muralis* est corona, qua donatur ab imperatore qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim escendit. iccirco quasi muri pinnis decorata est. *Castrensis* est corona, qua donat eum imperator, qui primus hostium castra pugnans introivit. ea corona insigne valli habet. *Navalis* est, qua donari solet, maritimo prœlio, qui primus in hostium navem armatus vi transiluit. ea quasi navium rostris insignita est. & *muralis* autem & *castrensis* & *navalis* fieri ex auro solent. *ovalis* verò corona myrtea est. ea utebantur imperatores, qui ovantes introibant urbem. ovandi autem ac non triumphandi causa est, quum aut bella non ritè indicta, neque cum justo hoste

gesta sunt; aut hostium nomen humile & non idoneum est, ut servorum piratarumque: aut, deditione repente facta, impulverea, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit. cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quòd non Martius, sed quasi Venerius quidam triumphus foret. Hanc myrteam coronam M. Crassus, quam bello fugitivorum confecto ovans rediret, insolenter aspernatus est: senatusque consultum faciendum per gratiam curavit, ut lauro, non myrto, coronaretur. M. Cato objecit M. Fulvio Nobiliori, quòd milites per ambitionem coronis de causis levissimis donasset. de qua re verba ipsa appositi Catonis. *Nam principio quis vidit corona donari quemquam, quum oppidum captum non esset: aut castra hostium non incensa essent?* Fulvius autem, in quem hoc à Catone dictum est, coronis donaverat milites, quia vallum curaverant, aut quia puteum strenuè foderant. Prætereundum non est, quod ad ovationes attinet; super quo dissensisse veteres scriptores scio. partim enim scripserunt, qui ovaret introire solitum equo vehentem: at Sabinus Massurius pedibus ingredi ovantes dicit, sequentibus eos non militibus sed universo senatu.

CAP. VII.

Personæ *vocabulum quàm lepidè interpretatus sit, quamque esse vocis ejus originem dixerit Gabius Bassus.*

LEpidè mehercules & scitè Gabius Bassus in libris, quos de origine vocabulorum composuit, unde appellata *persona* sit interpretatur: à *personando* enim id vocabulum factum esse conjectat. *Nam caput*, inquit, *& os cooperimento personæ tectum undique, tantum vocis emittendæ via pervium, quoniam non vaga neque diffusa est, in unum tantummodò exitum collectam coactamque*

que vocem, & magis claros canoroſque ſonitus facit. quoniam igitur indumentum illud oris clareſcere & reſonare vocem facit; ob eam cauſam perſona dicta eſt, o, littera, propter vocabuli formam, productiore.

CAP. VIII.

Defenſus error à Virgilii verſibus, quos arguerat Julius Higinus grammaticus: & ibidem quid ſit lituus; *déque etymologia vocis ejus.*

IPſe Quirinali lituo parvaque ſedebat
Succinctus trabea: lævaque ancile gerebat.

in his verſibus erraſſe Virgilium Higinus ſcripſit, tanquam non animadverterit deeſſe aliquid hiſce verbis:

Ipſe Quirinali lituo.

nam, ſi nihil, inquit, deeſſe animadvertimus, videtur ita dictum ut fiat, *lituo & trabea ſuccinctus*, quod eſt, inquit, abſurdiſſimum. quippe quum *lituus* ſit virga brevis, in parte, qua robuſtior eſt, incurva; qua augures utuntur: quonammodo *lituo ſuccinctus* videri poteſt? immo ipſe Higinus parum animadvertit ſic hoc eſſe dictum, ut pleraque dici per defectionem ſolent. veluti quum dicitur, *M. Cicero homo magna eloquentia*, & *Q. Roſcius hiſtrio ſumma venuſtate.* non plenum hoc utrumque, non perfectum eſt: ſed enim pro pleno atque perfecto auditur. ut Virgilius alio in loco dixit:

Victorem Buten immani corpore,

id eſt, corpus immane habentem. & item alibi:

In medium geminos immani pondere cæſtus
Projecit.

ac ſimiliter:

—— domus ſanie dapibuſque cruentis,
Intus opaca, ingens.

ſic igitur id quoque videri dictum debet, *Picus Quirinali lituo erat*: ſicuti dicimus, *ſtatua grandi capite erat. eſt* autem,

autem, *erat*, & *fuit*, plerumque absunt, cum elegantia, sine detrimento sententiæ. Et, quoniam facta *litui* mentio est, non prætermittendum est, quod posse quæri animadvertimus, utrum lituus auguralis à tuba, quæ *lituus* appellatur, an tuba à lituo augurum *lituus* dicta sit. utrumque enim pari forma & pariter incurvum est. sed si, ut quidam putant, tuba à sonitu lituus appellata est ex illo Homerico versu, Αἰγὲ βιὸς; necesse est ita accipi ut virga auguralis à tubæ simili tudine *lituus* vocetur. utitur autem vocabulo isto Virgilius & pro tuba:

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

CAP. IX.

Historia de Crœsi filio sumta ex Herodoti libris.

FIlius Crœsi regis, quum jam per ætatem fari posset, infans erat, &, quum jam multum adolevisset, item nihil fari quibat. mutus adeò & elinguis diu habitus est. quum verò in patrem ejus bello magno victum, & urbe, in qua erat, capta, hostis gladio deducto regem esse ignorans invaderet; diduxit adolescens os clamare nitens, eoque nisu & impetu spiritus vitium nodumque linguæ rupit, planeque & articulatè elocutus est, clamans in hostem, ne rex Crœsus occideretur. tum & hostis gladium reduxit, & rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsum deinceps incœpit. Herodotus in historiis hujus memoriæ scriptor est: ejusque verba sunt, quæ prima dixisse filium Crœsi refert: Ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Sed & quispiam Samius athleta, nomen illi fuit Αἴγλης, quum antea non loquens fuisset, ob similem dicitur causam loqui cœpisse. nam quum in sacro certamine sortitio inter ipsos & adversarios non bona fide fieret; & sortem nominis falsam subjici animadvertisset: repente in eum, qui id faciebat, sese videre, quid

quid faceret, magnum inclamavit. atque is oris vinculo solutus, per omne inde vitæ tempus, non turbidè neque adhæsè locutus est.

CAP. X.

De argumentis quæ Græcè ἀντιστρέφοντα appellantur, à nobis reciproca dici possunt.

INter vitia argumentorum longè maximum esse vitium videtur eorum, quæ ἀντιστρέφοντα Græci dicunt. ea quidam ex nostris non Hercules nimis absurdè *reciproca* appellaverunt. id autem vitium accidit hoc modo. Quum argumentum propositum referri contrà convertique potest in eum à quo dictum est: & utrumque pariter valet: quale est pervulgatum illud, quo Protagoram sophistarum acerrimum usum esse ferunt adversus Euathlum discipulum suum. lis namque inter eos & controversia super pacta mercede hæc fuit: Euathlus adolescens dives eloquentiæ discendæ causarumque orandi cupiens fuit. is in disciplinam Protagoræ sese dedit, daturumque promisit mercedem grandem pecuniam, quantam Protagoras petiverat, dimidiumque ejus jam tunc dedit statim prius quàm disceret: pepigitque ut reliquum dimidium daret, quò primo die causam apud judices orasset & vicisset. postea quum diutule auditor assectatorque Protagoræ fuisset: & in studio quidem facundiæ abundè promovisset, causas tamen non reciperet: tempusque jam longum transcurreret: & facere id videretur ne reliquum mercedis daret: capit consilium Protagoras, ut tum existimabat, astutum. petere instituit ex pacto mercedem: litem cum Euathlo contestatur. & quum ad judices, conjiciendæ consistendæque causæ gratia, venissent: tum Protagoras sic exorsus est, Disce, inquit, stultissime adolescens, utroque id modo fore ut reddas quod peto. sive contra te pronunciatum

i. e. breuiter exponendæ Olim enim causarum patroni Romæ orationis summam initio causæ breuiter iudici exponere solebant, ut meritis eiusdem perspectis, æquiorem sententiam ferre posset. Lege Bronchorst. ad Tit. de R. S. l. 1. obs. 2. p. m. 4. Walth. Misc. L. 1. c. 21 Turneb. L. XIII. Adv. c. 27. Alciat. Parerg. L. V. c. 1.

tum erit, sive pro te. nam, si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero: sin verò secundùm te judicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. ad ea respondit Euathlus: Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obviam, si verba non ipse facerem, atque alio patrono uterer. sed majus mihi in ista victoria prolubium est, quum te non in causa tantùm sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fieri, uti non reddam quod petis: sive contra me pronunciatum erit, sive pro me. nam, si judices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero. sin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero. Tum judices dubiosum hoc inexplicabileque esse, quod utrimque dicebatur, rati, ne sententia sua, utramcumque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem injudicatam reliquerunt, causamque in diem longissimam distulerunt. sic ab adolescente discipulo magister disciplinæ eloquentiæ inclutus suo sibi argumento confutatus est, & captionis versutè excogitatæ frustratus fuit.

CAP. XI.

Biantis de re uxoria syllogismum non videri posse ἀντιστρέφοντα.

Existimavit quidam etiam illud Biantis, viri sapientis ac nobilis, responsum consimile esse atque est Protagorion illud, de quo dixi modò, antistrephon. nam quum rogatus esset à quodam Bias, deberetne uxorem ducere, an vitam vivere cælibem. ἤτοι, inquit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχρὰν. καὶ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν. εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις πονηρὰν. ἑκάτερον δὲ ἐκ ἀγαθόν. ἐ λητέον ἄρα. Sic autem hoc responsum convertunt: εἰ μὲν καλὴν ἕξω, ἐκ ἕξω πονηρὰν.

πονηρὸν. εἰ δὲ αἱρεῖσθαι, οὐκ ἔξω κοινὴν. γαμητέον ἄρα. sed minime hoc esse videtur ἀνυπερφόρον, quoniam ex altero latere conversum frigidius est infirmiusque. nam Bias proposuit non esse ducendam uxorem propter alterutrum incommodum, quod necessariò patiendum erit ei qui duxerit. qui convertit autem, non ab se defendit incommodum quod adest: sed carere se altero dicit quod non adest. satis est autem tuendæ sententiæ, quam Bias dixit; quòd eum, qui duxit uxorem, pati necesse est ex duobus incommodis alterum, ut aut κοινὴν habeat aut πονηρὸν. sed Favorinus noster, quum facta esset forte mentio syllogismi istius, quo Bias usus est, cujus prima μετάπτωσις est, ἢ τὴν καλὴν ἕξεις, ἢ αἱρεῖσθαι; non ratum id neque justum disjunctum esse ait: quoniam non necessarium est alterum ex duobus, quæ disjunguntur, verum esse. quod in proloquio disjunctivo necessarium est. eminentia enim quadam significari formarum turpes & pulchræ videntur. est autem, inquit, tertium quoque inter duo ista, quæ disjunguntur: cujus rationem prospectumque Bias non habuit. inter enim pulcherrimam feminam & deformissimam media quædam forma est; quæ à nimiæ pulchritudinis periculo & à summo deformitatis odio vacat. qualis à Q. Ennio in Menalippa perquam eleganti vocabulo, *stata*, dicitur; quæ neque κοινὴ futura sit, neque πονηρὰ. quam formam modicam & modestam Favorinus non mehercle inscitè appellabat uxoriam. Ennius autem in ista, quam dixi, tragœdia, eas ferè feminas ait incolumi pudicitia esse, quæ stata forma forent.

CAP. XII.

De nominibus deorum populi Romani Dijovis & Vejovis.

IN antiquis spectionibus nomina hæc deorum inesse animadvertimus, *Dijovis & Vejovis*. Est autem etiam

ædes

ædes Vejovis Romæ inter arcem & Capitolium. Eorum nominum rationem esse hanc comperi: *Jovem* Latini veteres à Juvando appellavere, eumdemque alio vocabulo juncto patrem dixerunt. nam quod est in elisis aut immutatis quibusdam litteris Jupiter, id plenum atque integrum est *Iovispater*. sic & *Neptunuspater* conjunctè dictus est, & *Saturnuspater* & *Januspater*, & *Marspater*. hoc enim est, *Marspiter*. item Jovis *Diespater* appellatus est, id est, diei & lucis pater. iccircoque simili nomine *Dijovis* dictus est, & Lucetius: quòd nos die & luce quasi vita ipsa afficeret & juvaret. *Lucetium* autem *Jovem* Cn. Nævius in libris belli Pœnici appellat. Quum Jovem igitur & Dijovem à juvando nominassent: eum quoque contrà deum, qui non juvandi potestatem sed vim nocendi haberet (nam deos quosdam ut prodessent celebrabant, quosdam ne obessent placabant) *Vejovem* appellaverunt demta atque detracta juvandi facultate. *Ve* enim particula, quæ, in aliis atque aliis vocabulis variatim per has duas litteras, cum *a*, littera media immissa dicitur, duplicem significatum eumdemque inter sese diversum capit. nam & augendæ rei & minuendæ valet, sicuti aliæ particulæ plurimæ; propter quod accidit, ut quædam vocabula, quibus particula ista præponitur, ambigua sint & utroqueversum dicantur: veluti *vescum*, *vehemens* & *vegrande*; de quibus alio in loco, uberiore tractatu facto, admonuimus: *vesani* autem & *vecordes* ex una tantùm parte, quæ privativa est, quam Græci στερητικὸν μόριον dicunt. Simulachrum igitur dei *Vejovis*, quod est in æde, de qua suprà dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. quapropter eum deum plerique Apollinem esse dixerunt; immolaturque illi, ritu humano, capra: ejusque animalis figmentum juxta simulachrum stat. propterea Virgilium quoque ajunt, multæ antiquitatis hominem sine ostentationis odio peritum, numina læva

in

in Georgicis quoque deprecari, significantem quandam vim esse hujuscemodi deorum in lædendo magis quàm in juvando potentem. Versus Virgilii hi sunt:

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.

In istis autem dis, quos placari oportet uti mala à nobis vel à frugibus natis amoveantur, *Averruncus* quoque habetur & *Robigus*.

CAP. XIII.

De officiorum gradu atque ordine moribus populi Romani observato.

SEniorum hominum & Romæ nobilium, atque in morum disciplinarumque veterum doctrina memoriaque præstantium, disceptatio quædam fuit, præsente & audiente me, de gradu atque ordine officiorum. quumque quæreretur, quibus nos ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciundoque officio alios aliis anteferre; non constabat. Conveniebat autem facilè constabatque, ex moribus populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelæque nostræ creditos; secundùm eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dediderunt; tum in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque. Hujus moris observationisque multa sunt testimonia documentaque in antiquitatibus perscripta. ex quibus unum hoc interim, de clientibus cognatisque, quod præ manibus est, ponemus. M. Cato in oratione, quam dixit apud censores in Lentulum, ita scripsit: *Quod majores sanctius habuere defendi pupillos, quàm clientem non fallere, adversus cognatos pro cliente testatur. testimonium adversum clientem nemo dicit: patrem primum, deinde patronum proximum nomen habere.* Massurius autem

Sabinus, in libro juris civilis tertio, antiquiorem locum hospiti tribuit quàm clienti. Verba ex eo libro hæc sunt: *In officiis apud majores ita observatum est, primùm tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. de qua causa feminæ viris potiores sunt habitæ, pupillarique tutelæ muliebris prælata: etiam adversus quem affuissent, ejus filii tutores relicti in eadem causa pupillo aderant.* Firmum atque clarum isti testimonium rei perhibet auctoritas C. Cæsaris pontificis maximi: qui in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est, *Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horum necessitate quorum res agitur, defugere hoc munus M. V. non potui. nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin à proximis retineatur: neque clientes sine summa infamia deseri possunt: quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.*

CAP. XIV.

Quòd Appion doctus homo, qui Pliſtonices appellatus est, vidisse se Romæ scripsit recognitionem inter se mutuam ex vetere notitia hominis & leonis.

APpion, qui Pliſtonices appellatus est, litteris homo multis præditus, rerumque Græcarum plurima atque varia scientia fuit. ejus libri non incelebres feruntur, quibus omnium fermè, quæ mirifica in Ægypto visuntur audiunturque, historia comprehenditur. sed in his quæ audivisse vel legisse sese dicit, fortasse à vitio studioque ostentationis fit loquacior. est enim sanequàm in prædicandis doctrinis suis venditator. hoc autem, quod in libro Ægyptiacorum quinto scripsit, neque audisse neque legisse, sed ipsum sese in urbe Romana vidisse oculis suis confirmat. In circo maximo, inquit, venationis amplissimæ pugna populo dabatur: ejus rei, Romæ quum forte essem, spectator, inquit, fui. mul-

tæ

tæ ibi sævientes feræ, magnitudines bestiarum excellentes: omniumque inusitata aut forma erat aut ferocia. sed præter alia omnia leonum, inquit, immanitas admirationi fuit: præterque omnis ceteros unius. is unus leo corporis impetu, & vastitudine, terrificoque fremitu & sonoro, toris comisque cervicum fluctuantibus animos oculosque omnium in se convertit. introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum datus servus viri consularis. ei servo Androclus nomen fuit. hunc ille leo ubi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit: ac deinde sensim atque placidè tamquam noscitabundus ad hominem accedit: tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blandè movet; hominisque sese corpori adjungit; cruraque ejus & manus propè jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. homo Androclus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum reciperat: paulatim oculos ad contuendum leonem refert. tum, quasi mutua recognitione facta, lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. ea re prorsus tam admirabili maximos populi clamores excitatos dicit, arcessitumque à Cæsare Androclum, quæsitumque causam cur ille atrocissimus leonum uni peperciisset. ibi Androclus rem mirificam narrat atque admirandam. Quum provinciam, inquit, Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus & cotidianis verberibus ad fugam sum coactus; &, ut mihi à domino terræ illius præside tutiores latebræ forent, in camporum & harenarum solitudines concessi: ac, si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quærere. tum sole, inquit, medio rapido & flagrante specum quamdam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro & recondo. neque multò post ad eamdem specum venit hic leo, debili uno & cruento pede, gemitus edens & murmura dolorem cruciatumque vulneris com-

miserantia: atque illic primo quidem conspectu advenientis leonis territum sibi & pavefactum animum dixit. sed postquam introgressus, inquit, leo, uti reipsa apparuit, in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem, mitis & mansuetus accessit: ac sublatum pedem ostendere ac porrigere, quasi opis petendæ gratia, visus est. ibi, inquit, ego stirpem ingentem vestigio pedis ejus hærentem revelli: conceptamque saniem vulnere intimo expressi: accuratiusque, sine magna jam formidine, siccavi penitus atque detersi cruorem. Ille tunc mea opera & medela levatus, pede in manibus meis posito recubuit & quievit. atque, ex eo die, triennium totum ego & leo in eadem specu eodemque victu viximus. nam, quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat. quæ ego, ignis copiam non habens, sole meridiano tosta edebam. sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertæsum est, leone in venatum profecto, reliqui specum: &, viam ferme tridui permensus, à militibus visus apprehensusque sum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit. intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem, me tunc separato, captum gratiam mihi nunc etiam beneficii & medicinæ referre. Hæc Appion dixisse Androclum tradit: eaque omnia scripta circumlataque tabella populo declarat: atque ideo, cunctis petentibus, dimissum Androclum & pœna solutum, leonemque ei suffragiis populi donatum. postea, inquit, videbamus Androclum & leonem loro tenui revinctum urbe tota circum tabernas ire; donari ære Androclum; floribus spargi leonem; omnes ferè ubique obvios dicere, *Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.*

CAP.

CAP. XV.

Corpusne sit vox, an ἀσώματον, varias esse philosophorum sententias.

VEtus atque perpetua quæstio inter nobilissimos philosophorum agitata est, corpusne sit vox an incorporeum. hoc enim vocabulum quidam finxerunt proinde quòd Græcè dicitur ἀσώματον. Corpus autem est, quod aut efficiens est, aut patiens. Id Græcè definitur, τὸ δρώμενον ἢ πάσχον σῶμά ἐστι. quam definitionem significare volens Lucretius ita scripsit:

Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res.

alio quoque modo corpus esse Græci dicunt τὸ τριχῇ διαστατόν. sed vocem Stoici corpus esse contendunt. eamque esse dicunt ictum aëra: Plato autem non esse vocem corpus putat. non enim percussus, inquit, aër, sed plaga ipsa atque percussio vox est, οὐχ ἁπλῶς πληγὴ ἀέρος ἐστὶν ἡ φωνή, πλήττει γὰρ τὸν ἀέρα καὶ δάκτυλος παραγόμενος, καὶ οὐδέπω ποιεῖ φωνήν. ἀλλ' ἡ πόση πληγὴ, καὶ σφοδρὰ, καὶ πόση δὲ ὥστε ἀκουστὴν γενέσθαι. Democritus ac deinde Epicurus ex individuis corporibus vocem constare dicunt, eamque, ut ipsis eorum verbis utar, ῥεῦμα λόγων appellant. Hos aliosque tales argutæ delectabilisque desidiæ aculeos quum audiremus, vel lectitaremus; neque in his scrupulis aut emolumentum aliquod solidum ad rationem vitæ pertinens, aut finem ullum quærendi videremus; Ennianum Neoptolemum probabamus, qui profecto ita ait:

Philosophandum est paucis. nam omnino haud placet.

CAP. XVI.

De vi oculorum atque videndi rationibus.

DE videndi ratione deque cernendi natura diversas esse opiniones philosophorum animadvertimus. Stoïci causas esse videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea quæ videri queunt emissionem, aëriſque simul intentionem. Epicurus autem affluere semper ex omnibus corporibus simulchra quædam corporum ipsorum, eaque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat. Plato existimat genus quoddam ignis luciſque de oculis exire: idque conjunctum continuatumque vel cum luce solis vel cum alterius ignis lumine, sua vi & externa nixum, efficere, ut, quæcumque offenderit illustraveritque, cernamus. Sed & hîc neque diutius immorandum: ejusdemque illius Enniani Neoptolemi, de quo supra scripsimus, consilio utendum est: qui degustandum ex philosophia censet, non in eam ingurgitandum.

CAP. XVII.

Quam ob causam dies primi post kalendas, nonas, idus, atri habeantur: & cur diem quoque quartum ante kalendas, vel nonas, vel idus, quasi religiosum plerique vitant.

VErrius Flaccus, in quarto de verborum significatione, dies qui sunt postridie kalendas, nonas, idus, quos vulgus imperitè *nefastos* dicit, propter hanc causam dictos habitosque atros esse scribit. *Urbe*, inquit, *a Gallis Senonibus reciperata, L. Atilius in senatu verba fecit, Q. Sulpicium tribunum militum ad Aliam adversus Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia postridie idus feciſſe: tum exercitum populi Romani occidione occiſum,*

occisum, & post diem tertium ejus diei urbem præter Capitolium captam esse: complureſque alii ſenatores recordari ſeſe dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res divina postridie kalendas, nonas, idus, à magiſtratu populi Romani facta esset, ejus belli proximo deinceps prælio rem publicam malè gestam esse. tum ſenatus eam rem ad pontifices rejecit; ipſi, quod videretur, ſtatuerent. pontifices decreverunt nullum his diebus ſacrificium rectè futurum. Ante diem quoque quartum kalendas vel nonas vel idus, tamquam ominalem diem plerique vitant. ejus obſervationis an religio ulla ſit tradita, quæri ſolet. nihil ſuper ea re ſcriptum invenimus; niſi quod Q. Claudius annalium quinto cladem pugnæ Cannenſis vaſtiſſimam factam dicit ante diem quartum nonas Sextilis.

CAP. XVIII.

In quid & quantum differat hiſtoria ab annalibus: ſuperque ea re verba poſita ex libro rerum geſtarum Sempronii Aſellionis primo.

HIſtoriam ab annalibus quidam differre eo putant, quod, quum utrumque ſit rerum geſtarum narratio, earum tamen propriè rerum ſit hiſtoria, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret. eamque eſſe opinionem quorundam Verrius Flaccus refert, in libro de ſignificatu verborum quarto; ac ſe quidem dubitare ſuper ea re dicit: poſſe autem videri putat nonnihil eſſe rationis in ea opinione, quod hiſtoria Græcè ſignificet rerum cognitionem præſentium. Sed nos audire ſoliti ſumus annales omnino id eſſe quod hiſtoriæ ſint; hiſtorias non omnino eſſe id quod annales ſint. ſicuti, quod eſt homo, id neceſſariò animal eſſe; quod eſt animal non id neceſſe eſt hominem eſſe: ita hiſtorias quidem eſſe ajunt rerum geſtarum vel expoſitionem vel demonſtra-

tionem, vel quo alio nomine id dicendum est. annales verò esse quum res gestæ plurium annorum, observato cujusque anni ordine, deinceps componuntur. quum verò non per annos sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia Græco vocabulo ἐφημερὶς dicitur, cujus Latinum interpretamentum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo: ex quo libro pluria verba adscripsimus, ut simul ibidem quid ipse inter res gestas & annales esse dixerit ostenderemus: *Verum inter eos*, inquit, *qui annales relinquere voluissent & eos qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. annales libri tantummodò quod factum quoque anno gestumve sit, id demonstrabant. id est eorum quasi qui diarium scribunt, quam Græci ἐφημερίδα vocant. nobis non modò satis esse video quod factum esset id pronunciare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare.* paulo pòst idem Asellio in eodem libro. *Nam neque alacriores ad rempublicam defendendam, neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt. scribere autem bellum quo initum consule, & quo modo confectum sit, & quis triumphans introierit, & quæ eo in bello gesta sint iterare: non prædicare autem interea quid senatus decreverit, aut quæ lex rogatiove lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint: id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.*

CAP. XIX.

Quid sit adoptatio, *quid item sit* arrogatio, *quantumque inter se differant; verbaque ejus quæ qualiaque sint, qui in liberis arrogandis super ea re populum rogat.*

QUum in alienam familiam inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum; quod per prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio. Adoptantur autem, quum

quum à parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur; atque ab eo qui adoptat, apud eum apud quem legis actio est, vindicantur. Arrogantur ii, qui, quum sui juris sunt, in alienam sese potestatem tradunt: ejusque rei ipsi actores fiunt. sed arrogationes non temere nec inexploratè committuntur. nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur, quæ *curiata* appellantur: ætasque ejus, qui arrogare vult, an liberis potius gignundis idonea sit, bonaque ejus qui arrogatur ne insidiosè appetita sint, consideratur: jusque jurandum à Q. Mucio pontifice maximo conceptum dicitur quod in arrogando juraretur. sed arrogari non potest nisi jam vesticeps. Arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. ejus rogationis verba hæc sunt: VELITIS. JUBEATIS. QUIRITES. UTI. LUCIUS. VALERIUS. LUCIO. TITIO. TAM. JURE. LEGE. Q. FILIUS. SIBI. SIET. QUAM. SI. EX. EO. PATRE. MATRE. Q. FAMILIAS. EJUS. NATUS. ESSET. UTI. Q. EI. VITAE. NECIS. Q. IN. EO. POTESTAS. SIET. UTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. HAEC. ITA. UTI. DIXI. ITA. VOS. QUIRITES. ROGO. Neque pupillus autem, neque mulier, quæ in parentis potestate non est, arrogari possunt. quoniam & cum feminis nulla comitiorum communio est; & tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem potestatemque fas non est, ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subjiciant. Libertinos verò ab ingenuis adoptari quidem jure posse Massurius Sabinus scripsit, sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse umquam putat, ut homines libertini ordinis per adoptationem in jura ingenuorum invadant; alioquin, si juris ista antiquitas servetur, etiam servus à domino per prætorem dari in adoptionem potest. idque ait pleroſque juris ve-

teris auctores posse fieri scripsisse. Animadvertimus in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quæ reprehendebat quod contra majorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset. Verba ex ea oratione hæc sunt: *In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre; filium adoptivum tam prodesse, quam si ex se natum habeat; absentes censeri jubere, ut ad censum nemini necesse sit venire.*

CAP. XX.

Quod vocabulum Latinum Solœcismo fecerit Capito Sinnius. quid autem id ipsum appellaverint veteres Latini, quibusque verbis Solœcismum definierit idem Capito Sinnius.

SOlœcismus à Sinnio Capitone ejusdemque ætatis aliis imparilitas appellatus, vetustioribus Latinis stribligo dicebatur, à versura videlicet & pravitate tortuosæ orationis, quasi sterobiligo quædam. quod vitium Sinnius Capito in litteris, quas ad Clodium Tuscum dedit, hisce verbis definit: Solæcismus est, inquit, impar & inconveniens compositura partium orationis. Quum Græcum autem vocabulum sit soloecismus; an Attici homines, qui elegantius locuti sunt, usi eo sint, quæri solet. sed nos neque soloecismum, neque barbarismum apud Græcorum idoneos adhuc invenimus. nam sicut βάρβαρον, ita σολοικὸν dixerunt, nostri quoque antiquiores Solœcum facile, Solœcismum haud scio an umquam dixerint. quod si ita est; neque in Græco neque in Latino solœcismus probè dicitur.

CAP.

CAP. XXI.

Pluria *qui dicat &* compluria *&* compluries, *non barbarè dicere, sed Latinè.*

PLuria fortè quis dixit sermocinans vir apprimè doctus, amicus meus; non Herclè studio ostentandi, neque quo *plura* dicendum non putaret. est enim doctrina homo seria & ad vitæ officia devincta ac nihil de verbis laborante. sed, opinor, assidua veterum scriptorum tractatione inoleverat linguæ illius vox, quam in libris sæpe offenderat. Aderat, quum ille hoc dixit, reprehensor audaculus verborum; qui perpauca eademque à vulgo protrita legerat: habebatque nonnullas disciplinæ grammaticæ inauditiunculas, partim rudes inchoatasque, partim non probas; easque quasi pulverem ob oculos, quum adortus quemque fuerat, adspergebat. sicut tunc amico nostro, Barbarè, inquit, dixisti *pluria*. nam neque rationem verbum hoc, neque auctoritatem habet. ibi ille amicus ridens, Amabo te, inquit, vir bone, quia nunc mihi à magis seriis rebus otium est, velim doceas nos cur *pluria* sive *compluria* (nihil enim differt) non Latinè sed barbarè dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Ælius, P. Nigidius, M. Varro; quos subscriptores approbatoresque hujus verbi habemus, præter poëtarum oratorumque veterum multam copiam. Ad quæ ille nimis arroganter, Tibi, inquit, habeas auctoritates istas ex Faunorum & Aboriginum sæculo repetitas: atque huic rationi respondeas, nullum enim vocabulum neutrum comparativum, numero plurativo, casu recto, ante extremam, *a*, habet, *i*, litteram; sicuti, *meliora*, *majora*, *graviora*. proinde igitur *plura* & non *pluria* dici consuevit; ne contra formam perpetuam in comparativo, *i*, littera sit ante extremam, *a*. Tum ille amicus noster,

quum

quum hominem confidentem pluribus verbis non dignum existimaret, Sinnii, inquit, Capitonis doctissimi viri epistolæ sunt uno in libro multæ, opinor, positæ in templo Pacis. prima epistola scripta est ad Pacuvium Labeonem: cui titulus præscriptus est; PLURIA NON PLURA DICI DEBERE. in ea epistola rationes grammaticas posuit, per quas docet *pluria* Latinum esse, *plura* barbarum. ad Capitonem igitur te dimittimus. ex eo id quoque simul disces, si modò assequi poteris quòd in ea epistola scriptum est, *pluria* sive *plura* absolutum esse sive simplex; non, ut tibi videtur, comparativum. Hujus opinionis Sinnianæ id quoque adjumentum est, quod, *compluries* quum dicimus, non comparativè dicimus. ab eo autem quod est *compluria*, adverbium est factum *compluries*. id quoque quoniam minus usitatum est; versum Plauti subscripsi, ex comœdia, quæ Persa inscribitur,

Quid metuis? Metuo Hercle verò. Sensi ego compluries.

item M. Cato, in quarto Originum, eodem in loco ter hoc verbum posuit: *Compluries eorum milites mercenarii inter sese multi alteri alteros occidere; compluries multi simul ad hostes transfugere, compluries in imperatorem impetum facere.*

LIBER

LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

Quem in modum responderit Chrysippus adversus eos, qui providentiam consistere negaverunt.

* * * homines feciſſe dicatur: tantam vim eſſe ærumnarum & malorum, adverſus ea Chryſippus quum in libro περὶ προνοίας quarto diſſereret; Nihil eſt prorſus iſtis, inquit, imperitius, nihil inſubidius, qui opinantur bona eſſe potuiſſe, ſi non eſſent ibidem mala. nam quum bona malis contraria ſint; utraque neceſſarium eſt, oppoſita inter ſeſe & quaſi mutuo adverſo quæque fulta niſu, conſiſtere. nullum adeò contrarium ſine contrario altero. quo enim pacto juſtitiæ ſenſus eſſe poſſet, niſi eſſent injuriæ? aut quid aliud juſtitia eſt, quàm injuſtitiæ privatio? quid item fortitudo intelligi poſſet, niſi ex ignaviæ oppoſitione? quid continentia niſi ex intemperantiæ? quo item modo prudentia eſſet, niſi foret contrà imprudentia? proinde, inquit, homines ſtulti cur non hoc etiam deſiderant ut veritas ſit & non ſit mendacium? namque itidem ſunt bona & mala, felicitas & infortunitas, dolor & voluptas. alterum enim ex altero, ſicuti Plato ait, verticibus inter ſe contrariis deligatum eſt. ſuſtuleris unum; abſtuleris utrumque. Idem Chryſippus in eodem libro tractat conſideratque dignumque eſſe id quæri putat, εἰ αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται. id eſt, naturane ipſa rerum vel providentia, quæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, morbos quoque & debilitates & ægritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit. exiſtimat autem non fuiſſe hoc principale naturæ conſilium, ut faceret homines morbis obnoxios. numquam enim hoc conveniſſe naturæ auctori parentique rerum omnium bonarum,

bonarum. ſed quum multa, inquit, atque magna gigneret pareretque aptiſſima & utiliſſima, alia quoque ſimul agnata ſunt incommoda iis ipſis, quæ faciebat, cohærentia: eaque non per naturam, ſed per ſequelas quaſdam neceſſarias facta dicit, quod ipſe appellat, κατὰ παρακολούθησιν. ſicut, inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio ſubtilior & utilitas ipſa operis poſtulavit in tenuiſſimis minutiſque oſſiculis caput compingeret. ſed hanc utilitatem rei majoris alia quædam incommoditas extrinſecus conſecuta eſt; ut fieret caput tenuiter munitum, & ictibus offenſionibuſque parvis fragile. proinde morbi quoque & ægritudines partæ ſunt, dum ſalus paritur. ſic Hercle, inquit, dum virtus hominibus per conſilium naturæ gignitur, vitia ibidem per affinitatem nata ſunt.

CAP. II.

Quo itidem modo & vim neceſſitatemque fati conſtituerit, & eſſe tamen in nobis conſilii, judiciique noſtri arbitrium confirmaverit.

FAtum, quod Græci πεπρωμένην, vel εἱμαρμένην vocant, ad hanc ferme ſententiam Chryſippus Stoicæ princeps philoſophiæ definit: *Fatum* eſt, inquit, ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum & catena, volvens ſemetipſa ſeſe & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt. ipſa autem verba Chryſippi, quantum valui memoria, adſcripſi; ut, ſi cui meum iſtud interpretamentum videbitur eſſe obſcurius, ad ipſius verba animadvertat. In libro enim περὶ προνοίας quarto εἱμαρμένην eſſe dicit φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. aliarum autem opinionum diſciplinarumque auctores huic definitioni ita obſtrepunt. ſi Chry-

Chrysippus, inquiunt, fato putat omnia moveri & regi, nec declinari transcendique posse agmina fati & volumina: peccata quoque hominum & delicta non sustentanda neque condicenda sunt ipsis voluntatibusque eorum; sed necessitati cuidam & instantiæ, quæ oritur ex fato; omnium quæ sit rerum domina & arbitra; per quam necesse sit fieri quicquid futurum est: & propterea nocentium pœnas legibus iniquè constitutas, si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur. Contra ea Chrysippus tenuiter multa & argutè disserit. Sed omnium fere, quæ super ea re scripsit, sententia hujuscemodi est: Quamquam ita sit, inquit, ut ratione quadam principali necessariò coacta atque connexa sint fato omnia; ingenia tamen ipsa mentium nostrarum proinde sunt fato obnoxia, ut proprietas eorum est ipsa & qualitas. nam si sunt per naturam primitus salubriter utiliterque ficta; omnem illam vim, quæ de fato extrinsecus ingruit, inoffensiùs tractabiliusque transmittunt. sin verò sunt aspera & inscita & rudia, nullisque artium bonarum adminiculis fulta: etiamsi parvo sive nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur; sua tamen scævitate & voluntario impetu in assidua delicta & in errores ruunt. idque ipsum ut ea ratione fiat naturalis illa & necessaria rerum consequentia efficit, quæ fatum vocatur. est enim genere ipso quasi fatale & consequens, ut mala ingenia peccatis & erroribus non vacent. hujus deinde rei exemplo non hercle nimis alienè neque illepidè utitur. sicut, inquit, lapidem cylindrum si per spatia terræ prona atque deruta jacias, causam quidem ei & initium præcipitantiæ feceris; mox tamen ille præceps volvitur, non quia tu id jam facis, sed quoniam ita sese modus ejus & formæ volubilitas habet: sic ordo & ratio & necessitas fati genera ipsa & principia causarum movet; impetus verò consiliorum mentiumque nostrarum actionesque ipsas, voluntas cujusque propria

pria & animorum ingenia moderantur. Infert deinde verba hæc, his, quæ dixit, congruentia. Διὸ ὑπὸ τῶν Πυθαγορείων ἔτως εἴρηται,

Γνώτη δ' ἀνθρώπες αὐθαίρετα πήμαθ' ἔχοντας.
ὡς τὰ βλαβῶν ἑκάστοις παρ' αὐτοῖς γινομένων, καὶ καθ' ἁρμὸν αὐτῶν, ἁμαρτανόντων τε καὶ βλαπομένων, καὶ τῇ τῶν αὐτῶν διάνοιαν καὶ προθεσιν. Propterea negat oportere ferri audirique homines aut nequam aut ignavos & nocentes & audaces: qui, quum in culpa & in maleficio revicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tamquam in aliquod fani asylum; &, quæ pessimè fecerunt, ea non suæ temeritati, sed fato esse attribuenda dicunt. primus autem Homerus sapientissimus & antiquissimus poëtarum dixit in hisce versibus:

Ὦ πόποι, οἷον δὴ νυ θεὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

itaque M. Cicero in libro, quem de fato conscripsit, quum quæstionem istam diceret obscurissimam esse & implicatissimam, Chrysippum quoque philosophum non expedisse se in ea refert, his verbis: *Chrysippus æstuans laboransque, quonam pacto explicet & fato omnia fieri, & esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.*

CAP. III.

Historia sumta ex libris Tuberonis de serpente inusitatæ longitudinis.

TUbero in historiis scriptum reliquit, bello primo Panico Attilium Regulum consulem, in Africa, castris apud Bagradam flumen positis, prœlium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem illic stabulantem, inusitatæ immanitatis; eumque, magna totius exercitus conflictione, ballistis atque catapultis diu

diu oppugnatum : ejusque interfecti corium longum pedes centum & viginti Romam misisse.

CAP. IV.

Quid idem Tubero novæ historiæ de Attilio Regulo à Karthaginiensibus capto litteris mandaverit; quid etiam Tuditanus super eodem Regulo scripserit.

QUod satis celebre est de Attilio Regulo, id nuperrimè legimus scriptum in Tuditani libris: Regulum captum, ad ea, quæ in senatu Romæ dixit suadens ne captivi cum Karthaginiensibus permutarentur, id quoque addidisse; venenum sibi Karthaginienses dedisse non præsentarium, sed ejusmodi quod mortem in diem proferret; eo consilio, ut viveret quidem tantisper quoad fieret permutatio; post autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Eumdem Regulum Tubero in historiis rediisse Karthaginem, novisque exemplorum modis excruciatum à Pœnis dicit. *In atras*, inquit, *& profundas tenebras eum claudebant, ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant & adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant. palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.* Tuditanus autem somno diu prohibitum atque ita vita privatum refert. idque ubi Romæ cognitum est, nobilissimos Pœnorum captivos liberis Reguli à senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo destitutos, eademque insomnia cruciatos interisse.

CAP. V.

Quòd Alfenus jurisconsultus in verbis veteribus interpretandis erraverit.

ALfenus jurisconsultus, Servii Sulpicii discipulus, rerumque antiquarum non incuriosus, in libro Digestorum trigesimo & quarto, Conjectaneorum autem secundo, *In fœdere*, inquit, *quod inter populum Romanum & Karthaginienses factum est, scriptum invenitur, ut Karthaginienses quotquot annis populo Romano darent certum pondus argenti puri puti. quæsitumque est quid esset argentum purum putum. respondi ego*, inquit, *esse purum putum valde purum: sicut novum novicium dicimus & proprium propicium, augere atque intendere volentes novi & proprii significationem.* Hoc ubi legimus, mirabamur eamdem affinitatem visam esse Alfeno *puri* & *puti*, quæ sit *novi* & *novicii*. nam si esset *puricium*, tum sanè videretur dici, quasi *novicium*. id etiam mirum fuit, quòd *novicium* per augendi figuram dictum existimavit; quum sit *novicium* non quod magis novum sit, sed quod à *novo* dictum inclinatumque sit. His ergo assentimus, qui *putum* esse dicunt à *putando* dictum; & ob eam causam prima syllaba brevi pronunciant, non longa: uti existimasse Alfenum videtur, qui à *puro* id esse factum scripsit. *putare* autem veteres dixerunt, vacantia ex quaque re ac non necessaria aut etiam obstantia & aliena auferre & excidere, &, quod esse utile ac sine vitio videretur, relinquere. sic namque arbores & vites, & sic etiam rationes *putari* dictum, verbum quoque ipsum *puto*, quod declarandæ sententiæ nostræ causa dicimus. non signat profectò aliud quàm id agere nos in re dubia obscuraque, ut, decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum & integrum & incorruptum, retineamus. Argentum ergo in Karthaginiensi

ginienſi fœdere *putum* dictum eſſe, quaſi *exputatum*, excoctumque, omnique aliena materia carens omnibuſque ex eo vitiis detractis emaculatum & candefactum. ſcriptum eſt autem *purum putum* non in Karthaginienſi ſolum fœdere, ſed tum in multis aliis veterum libris, tum in Q. quoque Ennii tragœdia, quæ inſcribitur *Alexander*, & in ſatira M. Varronis, quæ inſcripta eſt Δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

CAP. VI.

Temerè ineptéque reprehenſum eſſe à Julio Higino Vergilium, quòd præpetes *Dædali* pennas *dixit: atque inibi quid ſint* aves præpetes, *& quid illæ ſint aves, quas Nigidius* inferas *appellavit.*

Dædalus, ut fama eſt, fugiens Minoia regna
Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo.

In his Vergilii verſibus reprehendit Higinus, *præpetibus pennis*, quaſi impropriè & inſcitè dictum. nam *præpetes*, inquit, *aves* ab auguribus appellantur, quæ aut opportunè prævolant, aut idoneas ſedes capiunt. non aptè igitur uſum verbo augurali exiſtimavit in Dædali volatu nihil ad augurum diſciplinam pertinente. ſed Higinus nimis Herclè ineptus eſt, quum quid *præpetes* eſſent ſe ſcire ratus eſt: Virgilium autem & Cn. Mattium doctum virum ignoraſſe, qui in ſeptimo Iliadis, Victoriam volucrem, præpetem appellavit hoc verſu:

Dum det vincenti præpes Victoria palmam.

Cur autem non Q. quoque Ennium reprehendit, qui in annalibus, non pennas Dædali præpetes, ſed longè diverſius, inquit;

— *Quid*
Brunduſium pulchro præcinctum præpete portu:

&, ſi vim potius naturamque verbi conſideraſſet, neque id ſolùm quod augures dicerent, inſpexiſſet; veniam

prorsus poëtis daret similitudine ac translatione verborum, non significatione propria utentibus. nam quoniam non ipsæ tantùm aves quæ prosperiùs prævolant, sed etiam loci, quos capiunt, qui idonei felicesque sunt, *præpetes* appellantur; idcirco Dædali pennas *præpetes* dixit: quoniam ex locis in quibus periculum metuebat in loca tutiora pervenerat. *locos* porrò *præpetes* & augures appellant, & Ennius in annalium primo dixit,

Præpetibus hilares sese pulchrisque locis dant.

avibus autem *præpetibus* contrarias aves *inferas* appellari Nigidius Figulus in libro primo augurii privati ita dicit. *Discrepat dextra sinistræ; præpes inferæ.* Ex quo est conjectare *præpetes* appellatas, quæ altiùs sublimiùsque volitent: quum differre à *præpetibus* Nigidius *inferas* dixerit. Adolescens ego Romæ, tum quum etiam ad grammaticos itarem, audivi Apollinarem Sulpicium, quem in primis sectabar, quum de jure augurio quæreretur, & mentio *præpetum avium* facta esset, Erucio Claro præfecto urbi dicere; *præpetes* sibi videri esse alites, quas Homerus τανυπτέρυγας appellaverit: quoniam istas potissimum augures spectarent, quæ ingentibus alis patulæ atque porrectæ prævolarent. Atque ibi hos Homeri versus dixit,

Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι, τῶ οὔτι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω.

CAP. VII.

De Acca Larentia & Caja Tarratia, deque origine sacerdotii fratrum Arvalium.

ACcæ Larentiæ & Cajæ Tarratiæ, sive illa Fufetia est, nomina in antiquis annalibus celebria sunt; earum alteræ post mortem, Tarratiæ autem vivæ amplissimi honores à populo Romano habiti sunt, & Tarratiam quidem Virginem Vestæ fuisse lex Horatia testis est,

est, quæ super ea ad populum lata, qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi tribuitur, *testabilisque* una omnium feminarum ut sit datur. Id verbum est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in XII tabulis scriptum. IMPROBUS. INTESTABILIS. Q. ESTO. præterea si quadraginta annos nata sacerdotio abire ac nubere voluisset, jus ei potestasque exaugurandi atque nubendi facta est, munificentiæ & beneficii gratia, quòd campum Tiberinum sive Martium populo Romano condonasset. sed Acca Larentia corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem. ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam alii tradiderunt, populum Romanum bonis suis hæredem fecit. ob id meritum à flamine Quirinali sacrificium ei publicè fit: & dies è nomine ejus in fastos additus. Sed Sabinus Massurius in primo Memorialium secutus quosdam historiæ scriptores Accam Larentiam Romuli nutricem fuisse dicit. *Ea*, inquit, *mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit, in illius locum Romulus Accæ Larentiæ sese filium dedit; seque & ceteros ejus filios fratres arvales appellavit. ex eo tempore collegium mansit fratrum arvalium numero duodecim. cujus sacerdotii insigne est spicea corona & albæ infulæ.*

Pertinere ad legem jubat, quam Gellius infra l. XV. c. 13. in fin. Reinar. c. VI.

CAP. VIII.

Notata quædam de Alexandro & de P. Scipione memoratu digna.

APpion Græcus homo, qui Plistonices est appellatus, facili atque alacri facundia fuit. is quum de Alexandri regis laudibus scriberet. Victi, inquit, hostis uxorem facie incluta mulierem vetuit in conspectum suum deduci, ut eam ne oculis suis quidem contingeret. Lepida igitur quæstio agitari potest, utrum videri continentio-

tinentiorem par sit, Publiumne Africanum superiorem, qui, Karthagine ampla civitate in Hispania expugnata, virginem tempestivam, forma egregia, nobilis viri Hispani filiam captam perductamque ad se patri inviolatam reddidit; an regem Alexandrum, qui Darii regis uxorem eamdemque ejusdem sororem prœlio magno captam, quam esse audiebat exsuperanti forma, videre noluit, perducique ad sese prohibuit. Sed hanc utramque declamatiunculam super Alexandro & Scipione celebraverint, quibus abundè & ingenii & otii & verborum est. nos satis habebimus, quod ex historia est, id dicere; Scipionem istum verone an falso incertum, fama tamen, quum esset adolescens, haud sincera fuisse, & propemodum constitisse hosce versus à Cn. Nævio poëta in eum scriptos esse;

Etiam qui res magnas manu sæpe gessit gloriosè;
Cujus facta viva nunc vigent; qui apud gentes solus
Præstat: eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit.

His ego versibus credo adductum Valerium Antiatem adversum cæteros omnes scriptores de Scipionis moribus sensisse; & eam puellam captivam non redditam patri scripsisse, contrà quàm nos suprà diximus, sed retentam à Scipione atque in deliciis amoribusque ab eo usurpatam.

CAP. IX.

Locus exemtus ex annalibus L. Pisonis historiæ & orationis lepidissimæ.

QUod res videbatur memoratu digna, quam feciſſe Cn. Flavium Annii filium ædilem curulem L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam purè & venustè narrata à Pisone; locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus. *Cn.* inquit, *Flavius patre libertino*

bertino natus scriptum faciebat: isque in eo tempore ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles subrogantur: eumque pro tribu ædilem curulem renunciaverunt. at ædilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum ædilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse, scripto sese abdicasse: isque ædilis curulis factus est. idem Cn. Flavius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere ægrotum: &, in conclave postquam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant contemnentes eum: assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Annii filius ædilis id arrisit. sellam curulem jussit sibi afferri, eam in limine apposuit, nequis illorum exire posset: utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem.

CAP. X.

Historia super Euclide Socratico: cujus exemplo Taurus philosophus adhortari adolescentes suos solitus est ad philosophiam gnaviter sectandam.

PHilosophus Taurus, vir memoria nostra in disciplina Platonica celebratus, cum aliis bonis multis salubribusque exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam, tum vel maximè ista re animos juvenum expergebat, Euclidem quam dicebat Socraticum factitavisse. *Decreto*, inquit, *suo Athenienses cauerant, ut, qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, ut ea res ei homini capitalis esset. tanto Athenienses*, inquit, *odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. tum Euclides, qui indidem Megaris erat, quique ante id decretum & esse Athenis & audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem, quum advesperascret, tunica longa muliebri indutus & pallio versicolore amictus, & caput rica velatus è domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat; ut*

vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque ejus fieret particeps: rursusque sub lucem milia passuum paulo amplius viginti, eadem veste illa tectus redibat. At nunc, inquit, *videre est philosophos ultro currere, ut doceant, ad fores juvenum divitum; eosque ibi sedere atque opperiri prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant.*

CAP. XI.

Verba ex oratione Q. Metelli Numidici, quæ libuit meminisse, ad officium gravitatis dignitatisque vitæ decentia.

CUm inquinatissimis hominibus non esse convicio decertandum, neque in maledictis adversus impudentes & improbos velitandum, quia tantisper similis & compar eorum fias, dum paria & consimilia dicas atque audias, non minus ex oratione Q. Metelli Numidici sapientis viri cognosci potest, quàm ex libris & disciplinis philosophorum. Verba hæc sunt Metelli adversus Cn. Manlium tribunum plebei, à quo apud populum in concione lacessitus jactatusque fuerat dictis petulantibus. *Nunc quod ad illum attinet, Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se mihi inimicum dictitaverit, quem ego mihi neque amicum recipio, neque inimicum respicio, in eum ego non sum plura dicturus. nam eum indignissimum arbitror, cui à viris bonis benedicatur: tum ne idoneum quidem, cui à probis maledicatur. nam si in eo tempore hujuscemodi homunculum nomines, in quo pœnire non possis; majore honore quam contumelia afficias.*

CAP.

Cap. XII.

Quòd neque testamentum, *sicuti Servius Sulpicius existimavit: neque* sacellum, *sicuti C. Trebatius, duplicia verba sunt, sed à* testatione *alterum productum, alterum à* sacro *diminutum.*

SErvius Sulpicius jureconsultus, vir ætatis suæ doctissimus, in libro de sacris detestandis secundo, qua ratione adductus testamentum verbum esse duplex scripserit, non reperio. nam compositum esse dixit à mentis contestatione. quid igitur *calceamentum*, quid *paludamentum*, quid *pavimentum*, quid *vestimentum*, quid alia mille per hujuscemodi formam producta, etiamne ista omnia composita dicemus? Obrepsisse autem videtur Servio, vel si quis alius est qui id prior dixit, falsa quidem sed non abhorrens neque inconcinna quasi mentis quædam in hoc vocabulo significatio. sicut Hercle C. quoque Trebatio eadem concinnitas obrepsit. nam in libro de religionibus secundo, *Sacellum est*, inquit, *locus parvus deo sacratus cum ara.* deinde addit verba hæc: *Sacellum ex duobus verbis arbitror compositum sacri & cellæ; quasi sacra cella.* hoc quidem scripsit Trebatius; sed quis ignorat *sacellum* & simplex verbum esse, & non ex *sacro* & *cella* copulatum, sed ex *sacro* diminutum?

Cap. XIII.

De quæstiunculis apud Taurum philosophum in convivio agitatis, quæ symposiacæ vocantur.

FActitatum observatumque hoc Athenis est ab iis, qui erant philosopho Tauro junctiores. quum domum suam nos vocaret, ne omnimo, ut dicitur, immunes & asymboli veniremus, conjectabamus ad cœnulam non cupedias ciborum sed argutias quæstionum.

Unusquisque igitur nostrûm commentus paratusque ibat quod quæreret: eratque initium loquendi, edundi finis. Quærebantur autem non gravia nec reverenda, sed ἐνθυμήματα quædam lepida & minuta & florentem vino animum lacessentia. quale hoc ferme est subtilitatis ludicræ, quod dicam. Quæsitum est, quando moriens moreretur; quum jam in morte esset, an tum etiam quum in vita foret: & quando surgens surgeret; quum jam staret, an tum etiam quum sederet: &, qui artem disceret, quando artifex fieret; quum jam esset, an tum quum etiam non esset. utrum enim horum dicas; absurdè atque ridiculè dixeris: multoque absurdius esse videbitur, si aut utrumque esse dicas aut neutrum. sed ea omnia quum captiones esse quidam futiles & inanes dicerent: Nolite, inquit Taurus, hæc quasi nugarum aliquem ludum aspernari. gravissimi philosophorum super hac re serio quæsiverunt: & alii moriendi verbum atque momentum manente adhuc vita dici atque fieri putaverunt; alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt; totumque illud, quod mori dicitur, morti vindicaverunt. item de cæteris similibus in diversa tempora & in contrarias sententias discesserunt. Sed Plato, inquit, noster neque vitæ id tempus neque morti dedit; idemque in omni consimilium rerum disceptatione fecit. vidit quippe utrumque esse pugnans: neque posse ex duobus contrariis, altero manente alterum constitui: quæstionemque fieri per diversorum inter sese finium mortis & vitæ cohærentiam: & idcirco peperit ipse expressitque aliud quoddam novum in confinio tempus; quod verbis propriis atque integris τὸ ἐξαίφνης φύσιν appellavit: idque ipsum ita, uti dico, inquit, in libro cui Parmenides titulus est, scriptum ab eo reperietis: τὸ γὰρ ἐξαίφνης ποιόν τι ἔοικε σημαίνειν, ὡς ἐξ ἐκείνου μεταβάλλον εἰς ἑκάτερον. tales apud Taurum symbolæ, taliaque erant secundarum mensarum, ut ipse dicere solitus erat, τραγήματα.

CAP.

CAP. XIV.

Pœniendis peccatis tres esse rationes à Philosophis attributas, & quamobrem Plato tantum duarum ex his meminerit.

PŒniendis peccatis tres esse debere causas existimatum est. una est, quæ, νουθεσία, vel κόλασις, vel παρρίνεσις dicitur; quum pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorque: altera est, quam ii, qui vocabula ista curiosiùs diviserunt, τιμωρίαν appellant. ea causa animadvertendi est, quum dignitas auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemtum ejus pariat & honorem levet: idcircoque id ei vocabulum à conservatione honoris factum putant. tertia ratio vindicandi est, quæ παράδειγμα à Græcis nominatur, quum pœnitio propter exemplum est necessaria: ut cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis gravissimisque pœnis dicebant. Quando igitur aut spes magna est, ut is, qui peccavit, citra pœnam ipse sese ultro corrigat: aut spes contrà nulla est emendari eum posse & corrigi: aut jacturam dignitatis, in quam peccatum est, metui non necessum est: aut non id peccatum est, cujus exemplo necessario metu succurrendum sit: tum, quicquid ita delictum est, non sanè dignum esse imponendæ pœnæ studium visum est. Has tres ulciscendi rationes & philosophi alii plurifariam & noster Taurus in primo commentariorum, quos in Gorgiàm Platonis composuit, scriptas reliquit. Plato autem ipse verbis apertis duas solas esse pœniendi causas dicit: unam, quam primo loco propter corrigendum: alteram, quam in tertio propter exempli metum posuimus.

mus. Verba ſunt hæc Platonis in Gorgia: προσήκει δὲ παντὶ, τῷ ἐν τιμωρίᾳ ὄντι ὑπ' ἄλλου ὀρθῶς τιμωρουμένῳ ἢ βελτίονι γίνεσθαι, καὶ ὀνίνασθαι, ἢ παράδειγμά τι τοῖς ἄλλοις γίνεσθαι, ἵνα ἄλλοι ὁρῶντες πάσχοντα ἃ ἂν πάσχοι, φοβούμενοι βελτίους γίνονται. In hiſce verbis facile intelligas τιμωρίαν Platonem dixiſſe, non ut ſuprà ſcripſi quoſdam dicere, ſed ita ut promiſcuè dici ſolet, pro omni pœnitione. an ne autem quaſi omnino parvam & contemtu dignam præterierit pœnæ ſumendæ cauſam propter tuendam læſi hominis auctoritatem, an magis, quaſi ei, quam dicebat, rei non neceſſariam prætermiſerit, quum de pœnis, non in vita, neque inter homines, ſed poſt vitæ tempus capiendis ſcriberet, ego in medium relinquo.

CAP. XV.

De verbo, quieſco, *an* e *littera corripi an produci debeat.*

AMicus noſter homo multi ſtudii atque in bonarum diſciplinarum opere frequens, verbum, *quieſcit*, uſitatè, *e*, littera correpta dixit. alter item amicus homo in doctrinis, quaſi in præſtigiis, mirificus, communiumque vocum reſpuens nimis & faſtidiens, barbarè eum dixiſſe opinatus eſt; quoniam producere debuiſſet non corripere. nam, *quieſcit*, ita oportere dici prædicavit, ut, *caleſcit*, *niteſcit*, *ſtupeſcit*, atque alia hujuſcemodi multa. id etiam addebat, quod, *quies*, *e*, producta, non brevi diceretur. noſter autem, qua eſt omnium rerum verecunda mediocritate, ne ſi Ælii quidem, Cincii, & Satyri dicendum ita cenſuiſſent, obſecuturum ſeſe fuiſſe ait contra perpetuam Latinæ linguæ conſuetudinem: neque ſe tam inſignitè locuturum, abſona inauditaque ut diceret. litteras autem ſuper hac re fecit inter exercitia quædam ludicra: &, *quieſco*, non eſſe his ſimile, quæ ſuprà poſui, nec à *quiete* dictum,

ſed

sed ab eo *quietem*; Græcæque vocis ἔχον καὶ ἔσχον Jonicè à verbo ἔχω ἴχω & modum & originem verbum illud habere demonstravit: rationibusque haud sanè frigidis docuit, *quiesco*, *e*, littera longa dici non convenire.

CAP. XVI.

Notatum verbum, deprecor, *à poëta Catullo inusitatè quidem, sed aptè positum & propriè: deque ratione ejus verbi, exemplisque veterum scriptorum.*

EJusmodi quispiam qui tumultuariis & inconditis linguæ exercitationibus ad famam se facundiæ permiserat, neque orationis Latinæ usurpationes veras didicerat, quum in Lycio forte vespera ambularemus, ludo ibi & voluptati nobis fuit. nam quum esset verbum, *deprecor*, doctiusculè positum in Catulli carmine; quia id ignorabat, frigidissimos versus esse dicebat, omnium quidem meo judicio venustissimos, quos subscripsi:

Lesbia mî dicit semper male, nec tacet umquam
De me Lesbia: me dispeream nisi amat.
Quo signo? quasi non totidem mox deprecer illi
Assiduè: verum dispeream nisi amo.

deprecor hoc in loco vir bonus ita dictum esse putabat, ut plerumque à vulgo dicitur: quod significat valde precor & oro & supplico. in quo, *de*, præpositio ad augendum & cumulandum valet. quod si ita esset; frigidi sanè versus forent. nunc enim contrà omnino est. nam, *de*, præpositio, quoniam est anceps, in uno eodemque verbo diversitatem significationis capit. sic enim, *deprecor*, à Catullo dictum est, quasi detestor, vel exsecror, vel depello, vel abominor. contrà autem valet, quum Cicero pro P. Sulla ita dicit: *Quam multorum hic vitam à Sulla deprecatus.* item in dissuasione legis agrariæ: *Si quid deliquero; nullæ sunt imagines quæ*

me

me à vobis deprecentur. Sed neque solus Catullus ita isto verbo usus est, pleni adeò sunt libri veterum similis in hoc verbo significationis, ex quibus unum & alterum, quæ suppetierant, apposui. Q. Ennius in Erechtheo non longè secus dixit quàm Catullus:

Quibus nunc, inquit, *ærumna mea libertatem paro,*
Quibus servitutem mea miseria deprecor.

significat abigo & amolior, vel prece adhibita, vel quo alio modo. item Ennius in Ctesiphonte:

Ego quum meæ vitæ parcam; letum inimico deprecor.

Cicero in libro sexto de republica ita scripsit: *Quod quidem eo fuit majus, qui quum causa pari collegæ essent, non modò invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.* hic quoque item non est valde precabatur, sed quasi propulsabat & defendebat invidiam. quod Græci propinqua significatione παραιτεῖται dicunt. Item pro A. Licinio consimiliter Cicero verbo isto utitur. *Quid*, inquit, *huic homini facias? nonne concedas interdum, ut excusatione summæ stultitiæ summæ improbitatis odium deprecetur?* item in Verrem actionis secundæ primo; *Nunc verò quid faciat Hortensius? avaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? an hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumque defendat?* Sic igitur Catullus eadem se facere dicit, quærens veniam quòd & malediceret ei palam, respueretque & recusaret detestareturque assiduè; & tamen eam penitus deperiret.

CAP. XVII.

Quis omnium primus libros publicè præbuerit legendos; quantusque numerus fuerit Athenis ante clades Persicas librorum in bibliothecis publicorum.

LIbros Athenis disciplinarum liberalium publicè ad legendum præbendos primus posuisse dicitur Pisistratus

stratus tyrannus: deinceps studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt: sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes Athenarum potitus, urbe ipsa præter arcem incensa abstulit asportavitque in Persas. hos porrò libros universos multis post tempestatibus Seleucus rex, qui Nicanor appellatus, referendos Athenas curavit. ingens postea numerus librorum in Ægypto à Ptolemæis regibus vel conquisitus vel confectus est ad milia fermè voluminum septingenta: sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non spontè neque opera consulta, sed à militibus forte auxiliariis incensa sunt.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

Admiranda quædam de P. Africano superiore ex annalibus sumta.

QUOD de Olympiade Philippi regis uxore Alexandri matre, in historia Græca scriptum est; idem de P. Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriæ datum est. nam & C. Oppius & Julius Higinus, aliique, qui de vita & rebus Africani scripserunt, matrem ejus diu sterilem existimatam tradunt; Publium quoque Scipionem, cum quo nupta erat, liberos desperavisse. postea in cubiculo atque in lecto mulieris, quum absente marito cubans sola obdormisset, visum repente juxta eam cubare ingentem anguem; eumque, iis qui viderant territis & clamantibus, elapsum inveniri non quisse: idipsum P. Scipionem ad haruspices retulisse: eos, sacrificio facto, respondisse fore ut liberi generentur: neque multis diebus post,

quàm

quàm ille anguis in lecto visus est, mulierem cœpisse concepti fœtus signa atque sensum pati: exinde mense decimo peperisse; natumque esse hunc P. Scipionem Africanum, qui Hannibalem & Karthaginienses in Africa bello Pœnico secundo vicit. Sed & eum impendio magis ex rebus gestis quàm ex illo ostento virum esse virtutis divinæ creditum est. Id etiam dicere haud piget, quod idem illi, quos suprà nominavi, litteris mandaverint Scipionem hunc Africanum solitaviſse noctis extremo, prius quàm dilucularet, in Capitolium ventitare, ac jubere aperiri cellam Jovis, atque ibi solùm diu demorari quasi consultantem de republica cum Jove, ædituosque ejus templi sæpe esse demiratos, quòd solùm id temporis in Capitolium ingredientem canes semper in alios sævientes neque latrarent eum neque incurrerent. Has vulgi de Scipione opiniones confirmare atque approbare videbantur dicta factaque ejus pleraque admiranda; ex quibus est unum hujuscemodi. Assidebat oppugnabatque oppidum in Hispania, situ, mœnibus, defensoribus validum & mœnitum, re etiam cibaria copiosum: nullaque ejus potiundi spes erat; & quodam die jus in castris sedens dicebat, atque ex eo loco id oppidum procul videbatur. tum e militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more, in quem diem locumque vadimonium promitti juberet. & Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens, Perendie, inquit, sese sistant illo in loco: atque ita factum. die tertio, in quem vadari jusserat, oppidum captum est: eodemque die in arce ejus oppidi jus dixit.

CAP.

CAP. II.

De Cæsellii Vindicis pudendo errore; quem offendimus in libris ejus, quos inscripsit Antiquarum Lectionum.

TUrpe erratum offendimus in illis celebratissimis commentariis Lectionum antiquarum Cæsellii Vindicis, hominis Herclè pleraque haud indiligentis. quod erratum multos fugit, quamquam multa in Cæsellio reprehendendo etiam per calumnias rimarentur. Scripsit autem Cæsellius Q. Ennium in tertiodecimo libro annalium, *cor*, dixisse masculino genere. verba Cæsellii subjecta sunt: *Masculino genere*, cor, *ut multa alia, enunciavit Ennius. nam in tertiodecimo annali, quem cor, dixit.* adscripsit deinde versus Ennii duos:

Hannibal audaci cum pectore dehortatur
Ne bellum faciam: quem credidit esse meum cor?

Antiochus est, qui hoc dicit, Asiæ rex. is admiratur & permovetur, quòd Hannibal Karthaginiensis bellum se facere populo Romano volentem dehortetur. hos autem versus Cæsellius sic accipit, tamquam si Antiochus sic dicat: Hannibal me, ne bellum geram, dehortatur. quod quum facit, æquale cor putat habere me ei. quàm stultum esse me credit, quum id mihi persuadere vult? hoc Cæsellius quidem, sed aliud longe Ennius. nam tres versus sunt, non duo, ad hanc Ennii sententiam pertinentes, ex quibus tertium versum Cæsellius non respexit:

Hannibal audaci cum pectore dehortatur
Ne bellum faciam: quem credidit esse meum cor
Suasorem summum & studiosum robore belli.

horum versuum sensus atque ordo sic opinor est: Hannibal ille audentissimus atque fortissimus, quem ego credidi (hoc enim est *cor meum credidit*: proinde atque diceret, quem ego stultus homo credidi) fore summum

suasorem ad bellandum, is me dehortatur, dissuadetque ne bellum faciam. Cæsellius autem forte ῥαθυμότερον ῥαφῇ ista verborum captus *quem cor* dictum putavit, & *quem* accentu acuto legit, quasi ad cor referatur, non ad Hannibalem. sed non fugit me, si aliquis sit tam inconditus, sic posse defendi *cor* Cæsellii masculinum, ut videatur tertius versus separatim atque divisè legendus. proinde quasi præcisis interruptisque verbis exclamet Antiochus; *suasorem summum!* sed non dignum est eis, qui hoc dixerint, responderi.

CAP. III.

Quid Tullius Tiro Ciceronis libertus reprehenderit in M. Catonis oratione, quam pro Rhodiensibus in senatu dixit; & quid ad ea, quæ reprehenderat, responderimus.

CIvitas Rhodiensis & insulæ oportunitate & operum nobilitate & navigandi sollertia navalibusque victoriis celebrata est. ea Rhodiensis civitas, quum amica atque socia populi Romani foret, Persa tunc Philippi filio Macedonum rege, cum quo bellum populo Romano fuit, amico usa est: connixique sunt Rhodienses, legationibus Romam sæpe missis, id bellum inter eos componere. sed, ubi ista pacificatio perpetrari nequivit, verba à pleriſque Rhodiensibus in concionibus eorum ad populum facta sunt, ut, si pax non fieret, Rhodienses regem adversus populum Romanum adjutarent. sed nullum super ea re publicum decretum factum est. At, ubi Perses victus captusque est, Rhodienses pertimuere ob ea, quæ compluries in cœtibus populi acta dictaque erant; legatosque Romam miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur, & fidem consiliumque publicum expurgarent. legati postquam Romam venerunt, & in senatum introm-

tromissi sunt, verbisque suppliciter pro causa sua factis è curia excesserunt, sententiæ rogari cœptæ; quumque partim senatorum de Rhodiensibus quererentur, maleque eos animatos fuisse dicerent, bellumque eo illis faciundum censerent: tum M. Cato exsurgit, & optimos fidissimosque socios, quorum opibus diripiendis possidendisque non pauci ex summatibus vitis intenti infestique erant, defensum conservatumque pergit; orationemque inclutam dicit, quæ & seorsum fertur, inscriptaque est pro Rhodiensibus; & in quinto Originum libro scripta est. Tiro autem Tullius M. Ciceronis libertus sanè quidem fuit ingenio homo eleganti, & haudquaquam rerum litterarumque veterum indoctus: eoque ab ineunte ætate liberaliter instituto adminiculatore & quasi administro in studiis litterarum Cicero usus est. sed profectò plus ausus est quàm ut tolerari ignoscique possit. namque epistolam conscripsit ad Q. Axium familiarem patroni sui confidenter & nimis calidè, in qua sibimet visus est orationem istam pro Rhodiensibus acri subtilique ingenio & judicio percensuisse. ex ea epistola libitum forte nobis est reprehensiones ejus quasdam attingere; majore scilicet venia reprehensuri Tironem, quàm tum ille reprehendit Catonem. Culpavit autem primum hoc, quòd Cato ineruditè & ἀναγώγως, ut ipse ait, principio nimis insolenti nimisque acri & objurgatorio usus sit: quum vereri sese ostendit, ne Patres, gaudio atque lætitia rerum gestarum prospere de statu mentis suæ deturbati, non satis consiperent; neque ad rectè intelligendum consulendumque essent idonei. *In principiis autem*, inquit, *patroni, qui pro reis dicunt, conciliare sibi & complacare judices debent: sensusque eorum exspectatione causæ suspensos rigentesque honorificis verecundisque sententiis commulcere; non injuriis atque imperiosis minationibus confutare.* ipsum deinde principium apposuit; cujus verba hæc sunt: *Scio solere pleriſque*

hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, superbiam atque ferociam augescere atque crescere, quod mihi nunc magnæ curæ est, quia hæc res tam secundè processit, ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet. neve hæc lætitia nimis luxuriosè eveniat. adversæ res se domant & docent quid opus sit facto. secundæ res lætitia transvorsum trudere solent à rectè consulendo atque intelligendo. quo majore opere edito suadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. quæ deinde Cato juxta dicit, *ea*, inquit, *confessionem faciunt non defensionem, neque propulsationem translationemve criminis habent, sed cum pluribus aliis communicationem. quod scilicet nihil ad purgandum est. atque etiam*, inquit, *insuper profitetur Rhodienses, qui accusabantur, quòd adversus populum Romanum regi magis cupierint faverintque, id eos cupisse atque favisse utilitatis suæ gratia: ne Romani, Persa quoque rege victo, ad superbiam ferociamque & immodicum modum insolescerent.* eaque ipsa verba ponit, ita uti infrà scriptum est. *Atque ego quidem arbitror Rhodienses noluisse nos ita depugnare uti depugnatum est: neque regem Persen vicisse, non Rhodienses id modò voluêre, sed multos populos ac multas nationes idem noluisse arbitror. atque haud scio, an partim eorum fuerint, qui non nostræ contumeliæ causa id noluerint evenire: sed enim id metuêre, si nemo esset homo quem vereremur, & quicquid luberet faceremus: ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent. libertatis suæ causa in ea sententia fuisse arbitror. atque Rhodienses tamen Persen publicè numquam adjuvere. cogitate quanto nos privatim cautius facimus. nam unusquisque nostrûm, si quis adversus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne adversus eam fiat. quod illi tamen perpessi.* Sed, quod ad principium reprehensum attinet; scire oportuit Tironem defensos esse Rhodienses

dienſes à Catone, ſed ut à ſenatore & conſulari & cenſorio viro id, quod optimum eſſe publicum exiſtimabat, ſuadente, non ut à patrono cauſam pro reis dicente. alia namque principia conducunt reos apud judices defendenti, & clementiam miſericordiamque undique indaganti; alia, quum ſenatus de republica conſulitur, viro auctoritate præſtanti ſententiis quorumdam iniquiſſimis permoto, & pro utilitatibus publicis ac pro ſalute ſociorum graviter ac liberè indignanti ſimul ac dolenti. quippe rectè & utiliter in diſciplinis rhetorum præcipitur judices de capite alieno deque cauſa ad ſeſe non pertinenti cognituros, ex qua præter officium judicandi nihil ad eos ſimul periculi vel emolumenti redundaturum eſt, conciliandos eſſe ac propitiandos laudabiliter ac placabiliter & leniter exiſtimationi ſalutique ejus qui apud eos accuſatus eſt. at quum dignitas & fides & utilitas omnium communis agitur, ob eamque rem aut ſuadendum quid ut fiat, aut fieri jam cœpto differendum eſt: tum qui ſe in hujuſmodi principiis occupat ut benivolos benignoſque ſibi auditores paret, otioſam operam in non neceſſariis verbis ſumit. jamdudum enim negotia periculaque ipſa rerum communia conſiliis eos capiendis conciliant: & ipſi potius ſibi expoſcunt conſultoris benivolentiam. Sed quod ait confeſſum Catonem noluiſſe Rhodienſes ita depugnari uti depugnatum eſt, neque regem Perſen à populo Romano vinci, atque id eum dixiſſe non Rhodienſes modò, ſed multas quoque alias nationes voluiſſe, ſed id nihil ad purgandum extenuandumve crimen valere; jam hoc primùm Tiro improbe mentitur. verba ponit Catonis: & aliis tamen eum verbis calumniatur. non enim Cato confitetur Rhodienſes noluiſſe victoriam eſſe populi Romani, ſed ſeſe arbitrari dixit id eos noluiſſe: quod erat proculdubio ſuæ opinionis profeſſio, non Rhodienſium culpæ confeſſio. in qua re, ut meum quidem judicium eſt, non culpa tan-

tùm vacat, sed dignus quoque laude admirationeque est, quum & ingenuè & religiosè dicere visus est contra Rhodienses quod sentiebat, & parta sibi veritatis fide ipsũ illud tamen, quod contrarium putabatur, flexit & transtulit: ut eos idcirco vel maximè æquum esset acceptiores carioresque fieri populo Romano, quòd quum & utiles illi essent & vellent regi esse factum, nihil tamen adjuvandi ejus gratia fecerint. Postea verba hæc ex eadem oratione ponit: *Ea nunc derepente tanta nos beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus?* hoc, inquit, enthymema nequam & vitiosum est. responderi enim potuit, occupabimus certè: nam, si non occupaverimus, opprimemur, incidendumque erit in insidias à quibus ante nos non caverimus. rectè, inquit, hoc vitio dat Lucilius poëtæ Euripidi; quod, quum Polyphontes rex propterea se interfeciisse fratrem diceret, quòd ipse ante consilium de nece ejus cepisset, Meropæ fratris uxor hisce eum verbis eluserit:

Εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῂς κλεινὴν πόσις,
Χρὴ καί σε μέλλειν, ὡς χρόνῳ δῦναι παρῆν.

At hoc enim, inquit, plane stultitiæ plenum est eo consilio atque ea fini facere nolle aliquid, uti nunquam id facias quod velis. sed videlicet Tiro animum non advertit non esse in omnibus rebus cavendis eamdem causam: neque humanæ vitæ negotia & actiones & officia vel occupandi vel differendi, vel etiam ulciscendi, vel cavendi similia esse pugnæ gladiatoriæ. nam gladiatori, compositio ad pugnandum, pugnæ hæc proposita sors est, aut occidere si occupaverit, aut occumbere si cessaverit. hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam, nisi feceris, pati possis. quod tantum aberat à populo Romano occupare,

cupare, ut sæpe etiam in sese factas injurias ulciſci neglexerit. post deinde usum esse Catonem dicit in eadem oratione argumentis parum honestis & nimis audacibus, ac non viri ejus, qualis fuit, sed vafris ac fallacioſis, & quasi Græcorum sophistarum sollertiis. nam, *quum objiceretur*, inquit, *Rhodiensibus quod bellum populo Romano facere voluissent, nec negavit pœne, & ignoſci popoſcit, quia id non feciſſent & ſi maximè voluiſſent: induxiſſeque eum dicit quam dialectici epagogen appellant, non rem admodum inſidioſam & ſophiſticam, neque ad veritates magis quam ad captiones repertam: quum conatus ſit exemplis decipientibus colligere confirmareque, neminem, qui male facere voluit, plecti æquum eſſe, niſi, quod factum voluit, etiam fecerit.* verba autem ex ea oratione M. Catonis hæc sunt. *Qui acerrimè adverſus eos dicit, ita dicit: hoſtes voluiſſe fieri. Et quis tandem eſt noſtrûm, qui quod ad ſeſe attinet, æquum cenſeat quempiam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluiſſe? nemo opinor: nam ego, quod ad me attinet, nolim.* deinde paulo infrà ita dicit. *Quid nunc? & quæ tandem lex eſt tam acerba, quæ dicat: Si quis illud facere voluerit, mille nummi dimidium familiæ multa eſto: Si quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna eſto: Si quis majorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto, atqui nos omnia plura habere volumus & id nobis impune eſt.* poſtea ita dicit. *Sed ſi honorem non æquum eſt haberi ob eam rem, quod bene facere voluiſſe quis dicit, neque fecit tamen: Rhodienſibus male erit, non quod male fecerunt, ſed quia voluiſſe dicuntur?* His argumentis Tiro Tullius M. Catonem contendere & conficere dicit Rhodienſibus quoque impune esse debere, quod hoſtes quidem esse populi Romani voluiſſent, etſi maximè non fuiſſent. diſſimulari autem non posse ait, quin paria & conſimilia non sint plus quingenta jugera habere velle, quod plebiſcito colonis prohibitum fuit, & bellum injuſtum

ſtum atque impium populo Romano facere velle: neque item inficiari poſſe, quin alia cauſa in præmio ſit, alia in pœnis. nam beneficia, inquit, promiſſa opperiri oportet, neque ante remunerari, quam facta ſint: injurias autem imminentes præcaviſſe juſtum eſt quàm expectaviſſe. ſumma enim profeſſio ſtultitiæ, inquit, eſt non ire obviam ſceleribus cogitatis, ſed manere opperirique, ut, quum admiſſa & perpetrata fuerint, tum denique, ubi quæ facta ſunt infecta fieri non poſſunt, pœniantur. hæc Tiro in Catonem non minus frigide ſane quàm inaniter. Sed enim Cato non nudam neque ſolitariam nec improtectam hanc epagogen facit: ſed multis eam modis præfulcit, multiſque aliis argumentis convelat: &, quia non Rhodienſibus magis quàm reipublicæ conſultabat, nihil ſibi dictu factuque in ea re turpe duxit, quin omnium ſententiarum via ſervatum ire ſocios niteretur. ac primùm ea non incallidè conquiſivit, quæ non jure naturæ aut jure gentium fieri prohibentur, ſed jure legum rei alicujus medendæ aut temporis cauſa juſſarum: ſicut eſt de numero pecoris & de modo agri præfinito aut ejuſmodi aliquo. in quibus rebus quod prohibitum eſt fieri, per leges quidem non licet: velle id tamen facere, ſi liceat, inhoneſtum non eſt. atque eas res contulit ſeorſum, miſcuitque cum eo quod neque facere neque velle per ſeſe honeſtum eſt; tum deinde, ne diſparilitas collationis evidens fieret, pluribus id propugnaculis defenſat: neque tenues iſtas & enucleatas voluntatum in rebus illicitis reprehenſiones, qualia in philoſophorum otio diſputantur, magni facit; ſed id ſolùm ex ſumma ope nititur, ut cauſa Rhodienſium, quorum amicitiam retineri ex republica fuit, aut æqua judicaretur, aut quidem certè ignoſcenda: atque interim neque feciſſe Rhodienſes bellum neque facere voluiſſe dicit; interim autem facta ſola cenſenda dicit atque in judicium vocanda, ſed voluntates

nudas

nudas inanesque neque legibus neque pœnis fieri obnoxias: interdum autem, quasi deliquisse eos concedat, ignosci postulat, & ignoscentias utiles esse rebus humanis docet: ac, nisi ignoscant, metus in republica rerum novarum movet: sed enim contrà, si ignoscatur, conservatum iri ostendit populi Romani magnitudinem. superbiæ quoque crimen, quod tunc præter cetera in senatu Rhodiensibus objectum erat, mirifica & prope divina responsionis figura elusit & eluit. verba adeò ipsa ponemus Catonis: quoniam Tiro ea prætermisit, *Rhodienses superbos esse ajunt, id objectantes quod mihi a liberis meis minimè dici velim. sint sane superbi. quid id ad nos attinet? idne irascimini si quis superbior est quam nos?* nihil prorsus hac compellatione potest neque gravius neque munitius adversus homines superbissimos facta, qui superbiam in se amarent, in aliis reprehenderent. præterea animadvertere est in tota ista Catonis oratione omnia disciplinarum rhetoricarum arma atque subsidia mota esse: sed non proinde ut in decursibus iudicris aut simulachris prœliorum voluptariis fieri videmus: non, inquam, distinctè nimis nimisque comptè atque modulatè res acta est. sed quasi in ancipiti certamine, quum sparsa acies est, multis locis Marte vario pugnatur: sic in ista tum causa Cato, quum superbia illa Rhodiensium famosissima multorum odio atque invidia flagraret, omnibus promiscè tuendi atque propugnandi modis usus est: & nunc ut optimè meritos commendat: nunc, tanquam si innocentes purgaret, ne bona divitiæque eorum expetantur, objurgat: nunc etiam quasi sit erratum deprecatur: nunc ut necessarios reipublicæ ostentat: nunc clementiæ, nunc mansuetudinis majorum, nunc utilitatis publicæ commonefacit. eaque omnia distinctiùs numerosiusque ac comptiùs fortassean dici potuerunt: fortiùs atque vividius potuisse dici non videntur. iniquè igitur Tiro Tullius, qui ex omnibus

facultatibus tam opulentæ orationis aptis inter sese & cohærentibus parvum quippiam nudumque sumsit, quod obtrectaret: tamquam non dignum M. Catone fuerit, quod delictorum non perpetratorum voluntates tantum non censuerit pœniendas. Commodiùs autem erectiusque de his meis verbis, quibus Tullio Tironi respondi modò, existimabit judiciumque faciet, qui & orationem ipsam Catonis totam acceperit in manus, & epistolam Tironis ad Axium scriptam requirere & legere curaverit. ita enim nos sinceriùs exploratiusque vel corrigere poterit vel probare.

CAP. IV.

Cujusmodi servos & quam ob causam Cælius Sabinus juris civilis auctor pileatos *venundari solitos scripserit, & quæ mancipia sub corona more majorum venierint; atque id ipsum*, sub corona, *quid sit.*

PIleatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil præstaret, Cælius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit. cujus rei causam esse ait, quod hujusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendundo deberent, ut emtores errare & capi non possent; neque lex vendundi opperienda esset; sed oculis jam perciperent, quòdnam esset mancipiorum genus. *sicuti*, inquit, *antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, & iccirco dicebantur sub corona venire. namque ut ea corona signum erat captivorum venalium, ita pileus impositus demonstrabat ejusmodi servos venum dari, quorum nomine emtori venditor nihil præstaret.* est autem alia rationis hujus opinio, cur dici solitum sit captivos sub corona venundari, quòd milites, custodiæ causa, captivorum venalium greges circumstarent: eaque circumstatio militum corona appellata sit. sed id magis verum esse, quod supra dixi, Cato quoque in libro, quem composuit

posuit de re militari, docet. verba sunt hæc Catonis: *Ut populus sua opera potius ob rem benè gestam coronatus supplicatum eat, quam re malè gesta coronatus veniat.*

CAP. V.

Historia de Polo histrione memoratu digna.

HIstrio in terra Græcia fuit fama celebri: qui gestus & vocis claritudine & venustate cæteris antestabat. nomen fuisse ajunt Polum. tragœdias poëtarum nobilium scitè atque asseveratè actitavit. is Polus unice amatum filium morte amisit. eum luctum quum satis visus est eluxisse, rediit ad quæstum artis. in eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus gestare urnam quasi cum Orestis ossibus debebat. Ita compositum fabulæ argumentum est, ut veluti fratris reliquias ferens Electra comploret commisereturque interitum ejus qui per vim exstinctus existimatur. igitur Polus lugubri habitu Electræ indutus ossa atque urnam à sepulchro tulit filii, & quasi Oresti amplexus opplevit omnia non simulachris neque imitamentis, sed luctu atque lamentis veris & spirantibus. itaque quum agi fabula videretur, dolor accitus est.

CAP. VI.

Quid de quorumdam sensuum naturali defectione Aristoteles scripserit.

EX quinque his sensibus quos animantibus natura tribuit, visu, auditu, gustu, tactu, odoratu, quos Græci ὄψιν, ἀκοὴν, γεῦσιν, ἁφὴν, ὄσφρησιν appellant, quædam animalium alia alio carent; & aut cæca natura gignuntur, aut inora inauritave. nullum autem gigni animal Aristoteles dicit, quod aut gustus sensu careat aut tactus. verba ex libro ejus, quem περὶ μνή-

μης

μης composuit, hæc sunt: τὴν δὲ ἀφὴν καὶ τὴν γεῦσιν πάντα ἔχει, πλὴν ἐπὶ τῶν ἀτελῆ ζώων.

CAP. VII.

An, affatim, *quasi* admodum *prima acuta pronunciandum sit, & quædam itidem non incuriose tractata super aliarum vocum accentibus.*

ANnianus poëta, præter ingenii amœnitates litterarum quoque veterum & rationum in litteris oppido quam peritus fuit: & sermocinabatur mira quadam & scita suavitate. is *affatim*, ut *admodum*, prima acuta non media pronunciabat; atque ita veteres locutos censebat. itaque se audiente Probum Grammaticum hos versus in Plauti Cistellaria legisse dicit:

Potin' es tu homo facinus facere strenuum?
Aliorum est affatim qui faciant. sane ego
Me volo fortem perhiberier virum.

causamque esse huic accentui dicebat, quòd *affatim* non essent duæ partes orationis; sed utraque pars in unam vocem coaluisset; sicuti in eo quoque, quod *exadversum* dicimus, secundam syllabam debere acui existimabat; quoniam una non duæ essent orationis partes: atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his versibus:

In quo hæc discebat ludo exadversum loco
Tonstrina erat quædam.

addebat etiam quod, *ad*, præverbium tum fermè acueretur, quum significaret ἐπίτασιν quàm intentionem nos dicimus, sicuti *adfabre* & *admodum* & *adprobe* dicuntur. cætera quidem satis commode Annianus. sed hanc particulam, *ad*, quam semper, quum intentionem significaret, acui putavit. non id perpetuum videtur: nam &, *adpotus* quum dicimus & *adprimus* & *adprime*, intentio his in verbis demonstratur: neque tamen, *ad*, particula

particula satis commode accentu acuto pronunciatur. *adprobus* tamen, quòd significat *valde probus*, non inficias eo, quin prima syllaba acui debeat. Cæcilius in comœdia, quæ inscribitur TRIUMPHUS, vocabulo isto utitur:

Hierocles hospes est mihi adolescens adprobus.

num igitur in istis vocibus, quas non acui diximus, ea causa est quod syllaba insequitur natura longior, quæ non ferme patitur acui priorem in vocabulis syllabarum plurium quàm duarum? *Adprimum* autem *longe primum* L. Livius in Odyssea dicit in hoc versu:

Ibi denique vir summus adprimus Patroclus.

idem Livius in Odyssea *præmodum* dicit, quasi *admodum*. *Parcentes*, inquit, *præmodum*. quod significat *supra modum*, dictumque est quasi *præter modum*: in quo scilicet prima syllaba acui debuit.

CAP. VIII.

Res ultra fidem tradita super amatore delfino & puero amato.

DElfinos Venerios esse & amasios non modò historiæ veteres, sed recentes quoque memoriæ declarant. nam & sub Cæsaribus, in Puteolano mari, ut Appion scriptum reliquit, & aliquot sæculis ante apud Naupactum, ut Theophrastus tradidit, amatores flagrantissimi quidam delfinorum cogniti compertique sunt: neque ii amaverunt, quod sunt ipsi genus; sed pueros forma liberali in naviculis forte aut in vadis litorum conspectos miris & humanis modis arserunt. Verba subscripsi Appionis eruditi viri ex Ægyptiacorum libro quinto: quibus delfini amantis & pueri non abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes, aurigationes refert; eaque omnia sese ipsum multosque alios vidisse dicit. ἡ αὐτὸς δ' ἔν εἶδον περὶ Δικαιαρχίαν δελφῖνα ἐ-

ρῶντα

ρῶντι παιδὸς, ἢ πρὸς παιδικὼ ἱππομένον φωνῶ. ἀπὰρ ἓν καὶ προσγυηχόμενον ὁ ἰχθὺς ἀνεδέχετο τὸν παῖδα ὑπὲ τῶν νώτων, ἢ τὰς ἀκάνθας προσείλων, ἵνα μὴ τ' ποθούμενον χρῶτα ἀμύξῃε, καὶ ἱππηδὸν προσεβεβηκότα μέχρι διακοσίων ἀνῆγε σταδίων ἐξεχεῖτο δ' ἄρα ἡ Ρώμη καὶ πᾶσα ἡ Ἰταλία θεάσασθαι ἰχθυὶ γηχόμενον ὑπὸ ἔρωτος. Ad hæc adjicit rem non minus mirandam. Postea, inquit, idem ille puer delfino amœnus morbo affectus obiit suum diem. at ille amans, ubi sæpe ad litus solitum adnavit, & puer qui in primo vado adventum ejus opperiri consueverat, nusquam fuit, desiderio tabuit exanimatusque est; & in littore jacens, inventus ab his qui rem cognoverant, in sui pueri sepulchro humatus est.

CAP. IX.

Pepoſci & memordi, pepugi, & ſpepondi, & cecurri *pleroſque veterum dixiſſe, non uti poſtea receptum eſt dicere, per* o, *aut per* u, *litteram in prima ſyllaba poſitam, ſed per* e, *atque id Græcæ rationis exemplo dixiſſe: præterea notatum, quòd viri non indocti neque ignobiles, a verbo* deſcendo, *non* deſcendi, *ſed* deſcendidi *dixerunt.*

POpoſci, *momordi, pupugi, cucurri*, probabiliter dici videntur: atque ita nunc omnes fermè doctiores hujuſcemodi verbis utuntur. ſed Q. Ennius in Satiris, *memorderit*, dixit, per, *e*, litteram, non *momorderit*, *Meum*, inquit, *non eſt*; *at ſi me canis momorderit.* Item Laberius in Gallis: *De integro patrimonio meo centum milia nummûm memordi.* Item idem Laberius in Coloratore: *Itaque levi pruna percoctus ſimul ſub dentes mulieris veni, bis ter memordit.* item P. Nigidius de animalibus libro ſecundo: *Serpens ſi memordit, gallina deligitur & opponitur.* item Plautus in Aululariâ: *admemordit hominem.* ſed idem Plautus in Trigeminis,

non

non *præmordisse* neque *præmemordisse* dixit, sed *præmorsisse*.

Ni fugissem, inquit, *medium, credo, præmorsisset.* Item Atta in Conciliatrice: *Ursum se memordisse autumat. Pepoſci* quoque non *popoſci* Valerius Antias libro Annalium quadrageſimo quinto ſcriptum reliquit. *Denique Licinius tribunus plebei perduellionis ei diem dixit. & comitiis diem a Q. Martio prætore pepoſcit. Pepugero* æquè Atta in Ædilitia dicit: *Sed ſi pepugero metuet.* Ælium quoque Tuberonem libro ad C. Oppium ſcripto *occecurrerit* dixiſſe Probus annotavit, & hæc ejus verba appoſuit. *Si generalis ſpecies occecurrit.* Idem Probus Valerium Antiatem libro hiſtoriarum duodecimo *ſpepondetant* ſcripſiſſe annotavit; verbaque ejus hæc poſuit: *Tib. Gracchus, qui quæſtor C. Mancino in Hiſpania fuerat, & ceteri qui pacem ſpeponderant.* Ratio dictionum hæc eſſe videri poteſt: quoniam Græci in quadam ſpecie præteriti temporis, quod παρακείμενον appellant, ſecundam verbi litteram in, *e*, plerumque vertunt, γεγράφω γέγραφα, πιῶ πεπίηκα, λαλῶ λελάληκα, κρατῶ κεκράτηκα, λέω λέλεκα. Sic ergo *mordeo memordi. poſco pepoſci, tendo tetendi, tango tetigi, pungo pepugi, ſpondeo ſpepondi, curro cecurri, tollo tetuli* facit. ſic & M. Tullius & C. Cæſar *mordeo memordi, pungo pepugi, ſpondeo ſpeſpondi*, dixerunt. Præterea inveni à verbo *ſcindo* ſimili ratione non *ſciderat* ſed *ſeſciderat* dictum eſſe. L. Attius in Sotadicorum libro primo *ſeſciderat* dixit. Verba hæc ſunt: *Non ergo aquila ita, uti prædicant, ſceſciderat pectus.* Ennius quoque & Valerius Antias, in libro hiſtoriarum ſeptuageſimo quinto, verba hæc ſcripſit: *Deinde funere locato ad forum deſcendidit.* Laberius quoque in Catulario ita ſcripſit:

Ego mirabar quomodo mamma mihi deſcendiderant.

CAP.

CAP. X.

Ususcapio & copulate & recto vocabuli casu dicitur; ita pignoriscapio conjuncte & eadem vocabuli forma dictum est.

UT hæc *ususcapio* dicitur copulato vocabulo, *a*, littera in eo tractim pronunciata; ita *pignoriscapio* junctæ sunt partes, & productè dicebatur. verba Catonis sunt ex primo epistolicarum quæstionum: *Pignoriscapio ob æs militare, quod æs à tribuno ærario miles accipere debebat, vocabulum seorsum fit.* per quod satis dilucet hanc *capionem* posse dici, quasi hanc *captionem*, & in usu & in pignore.

CAP. XI.

Neque levitatem *neque* nequitiam *ea significatione esse, qua in vulgi sermonibus dicantur.*

LEvitatem plerumque nunc pro inconstantia & mutabilitate dici audio, & *nequitiam* pro sollertia astutiaque. sed veterum hominum qui proprie atque integre locuti sunt, *leves* dixerunt, quos vulgò nunc viles & nullo honore dignos dicimus; & *levitatem* appellaverunt proinde quasi *vilitatem*; & *nequam* hominem nulli rei neque frugis bonæ; quod genus Græci ferè ἄσωτον ἢ ἀηθίλαστον ἢ ἀχρεῖον ἢ ἄχρηστον ἢ πανάτροπον ἢ μιαρὸν dicunt. Qui exempla horum verborum requirit, ne in libris nimis remotis quærat, inveniet ea in M. Tullii secunda Antonianarum. nam quum genus quoddam sordidissimum vitæ atque victus M. Antonii idem demonstraturus esset, quod in caupona delitesceret, quòd ad vesperum perpotaret, quòd ore involuto iter faceret ne cognosceretur; hæc & alia ejusmodi quum in eum dicturus esset, *Videte*, inquit, *hominis levitatem.*

tamquam

tamquam prorsus ista dedecora hoc vitio in homine notarentur. at posteà, quum in eundem Antonium probra quædam alia ludibriosa & turpia ingessisset, ad extremum hoc addidit: *O hominem nequam? nihil enim magis propriè possum dicere.* Sed ex eo loco M. Tullii verba compluscula libuit ponere. *At videte levitatem hominis. quum hora diei decima ferè ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula: atque ibi se occulens perpotavit ad vesperum: inde cisio celeriter ad urbem advectus domum venit ore involuto. janitor, Quis tu? A Marco tabellarius. confestim ad eam, cujus causa venerat, deducitur: eique epistolam tradit. quam illa quum legeret flens (erat enim scripta amatoriè: caput autem litterarum hoc erat; sibi cum illa mima posthac nihil futurum: omnem se amorem abjecisse illius, atque in hanc transfudisse) quum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit. O hominem nequam! nihil enim magis propriè possum dicere. ergo ut te catamitum, nec opinato quum ostendisses, præter spem mulier aspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti?* consimiliter Q. quoque Claudius in primo annalium, *nequitiam* appellavit luxum vitæ prodigum effusumque in hisce verbis: *Persuadenti cuidam adolescenti Lucano, qui apprimè summo genere gnatus erat, sed luxuria & nequitia pecuniam magnam consumserat.* M. Varro in libris de lingua Latina. *Ut ex non & volo,* inquit, *nolo fit: sic ex ne & quicquam, media extrita syllaba, compositum est, nequam.* P. Africanus pro se contra Tib. Asellum de multa ad populum: *Omnia mala, probra, flagitia, quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt? malitia atque nequitia. utrum defendis, malitiam, an nequitiam, an utrumque simul? si nequitiam defendere vis; licet, sed tu in uno scorto majorem pecuniam absumsisti, quàm quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti. Ni hoc ita est, qui spondet mille*

nummûm? sed tu plus tertia parte pecuniæ paternæ perdidisti atque absumsisti in flagitiis. ni hoc ita est, qui spondet mille nummûm? non vis nequitiam: age malitiam saltem defendas. sed tu verbis conceptis conjuravisti sciens sciente animo tuo: ni hoc ita est, qui spondet mille nummûm?

CAP. XII.

De tunicis chiridotis: quòd earum usum P. Africanus Sulpicio Gallo objecit.

TUnicis uti virum prolixis ultra brachia & usque in primores manus ac propè in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. eas tunicas Græco vocabulo nostri chiridotas appellaverunt. feminisque solis vestem longè lateque diffusam decoram existimaverunt, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda. Viri autem Romani primò quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: postea substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli F. vir omnibus bonis artibus atque omni virtute præditus, P. Sulpicio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia quæ objectabat id quoque probro dedit: quod tunicis uteretur manus totas operientibus. verba sunt hæc Scipionis: *Nam qui cotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cujus supercilia radantur, qui barba volsa feminibusque subvolsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit, qui non modò vinosus sed virosus quoque sit: eumne quisquam dubitet, quin idem fecerit quod cinædi facere solent?* Virgilius quoque tunicas hujusmodi, quasi femineas ac probrosas criminatur:

Ruben. Elect. II. 20.

Et tunicæ, inquit, *manicas, & habent redimicula mitræ.*

Quin-

Quintus quoque Ennius Karthaginiensium tunicatam juventutem, non videtur sine probro dixisse.

CAP. XIII.

Quem classicum *dicat M. Cato, quem* infra classem.

Classici dicebantur non omnes qui in classibus erant, sed primæ tantùm classis homines, qui centum & viginti quinque milia æris ampliusve censi erant. *infra classem* autem appellabantur secundæ classis cæterarumque omnium classium, qui minore summa æris, quàm suprà dixi, censebantur. Hoc eò strictim notavi, quoniam in M. Catonis oratione, qua Voconiam legem suasit, quæri solet quid sit *classicus*, quid *infra classem*.

CAP. XIV.

De tribus dicendi generibus: ac de tribus philosophis qui ab Athenienſibus ad senatum Romanum legati missi sunt.

ET in carmine & in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quæ Græci χαρακτῆρας vocant, nominaque eis fecerunt apponi, ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. nos, quem primum posuimus, *uberem* vocamus, secundum *gracilem*, tertium *mediocrem*. *uberi* dignitas atque amplitudo est: *gracili* venustas & subtilitas: *medius* in confinio est utriusque modi particeps. His singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero: quæ earum modum & habitum simulacris falsis ementiuntur. sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squallentes & jejuni dicti pro gracilibus, incerti & ambigui pro mediocribus. Vera autem & propria hujuscemodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. Sed ea ipsa genera dicendi jam

antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus, magnificum in Ulyxe & ubertum, subtile in Menelao & cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore. Animadversa eadem tripertita varietas est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam ad senatum pop. Q. R. legaverant impetratum, uti multam remitterent, quam fecerant propter Oropi vastationem. ea multa fuerat talentûm ferè quingentûm. erant isti philosophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus: & in senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore; sed ante ipsi seorsum quoque quisque ostentandi gratia magno conventu hominum dissertaverunt. tum admirationi fuisse ajunt Rutilius & Polybius philosophorum trium sui cujusque generis facundiam. violenta, inquiunt, & rapida Carneades dicebat, scita & teretia Critolaus, modesta Diogenes & sobria. unumquodque autem genus, ut diximus, quum castè pudicèque ornatur, fit illustrius: quum fucatur atque prælinitur, fit præstigiosum.

CAP. XV.

Quam severè moribus majorum in fures vindicatum sit, & quid scripserit Mucius Scævola super eo quod servandum datum commodatumve esset.

LAbeo, in libro de duodecim tabulis secundo, acria & severa judicia de furtis habita esse apud veteres scripsit: idque Brutum solitum dicere, furti damnatum esse, qui jumentum aliorsum duxerat quàm quò utendum acceperat; item qui longius produxerat, quàm quem in locum petierat. itaque Q. Scævola in librorum, quos de jure civili composuit, sextodecimo verba hæc posuit: *Quod cui servandum datum est, si id usus est: sive, quod utendum acceperit, ad aliam rem atque acceperit, usus est: furti se obligavit.*

CAP.

CAP. XVI.

Locus exscriptus ex satira M. Varronis, quæ περὶ ἐδεσμάτων inscripta est, de peregrinis ciborum generibus: & appositi versus Euripidi, quibus delicatorum hominum luxuriantem gulam confutavit.

VArro in Satira, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit, lepidè admodum & scitè factis versibus cœnarum ciborumque exquisitas delitias comprehendit. nam pleraque id genus, quæ helluones isti terra & mari conquirunt, expositi, inclusitque in numeros senarios. & ipsos quidem versus, cui otium erit, in libro, quo dixi, positos legat. genera autem nominaque edulium & domicilia ciborum omnibus aliis præstantia, quæ profunda ingluvies vestigavit, quæ Varro opprobrans exsecutus est, hæc sunt fermè, quantum nobis memoriæ est. Pavus è Samo, Phrygia attagena, grues Melicæ, hædus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia, muræna Tarteſſia, aſelli Peſſinuntii, oſtrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, ſcari Cilices, nuces Thaſiæ, palma Ægyptia, glans Hiberica. hanc autem peragrantis gulæ & in ſuccos inſuetos inquirentis induſtriam atque has undique vorſum indagines cupediarum majore deteſtatione dignas cenſebimus, ſi verſus Euripidi recordemur, quibus utebatur ſæpiſſime Chryſippus philoſophus, tamquam edendi irritationes quaſdam repertas eſſe, non per uſum vitæ neceſſarium, ſed per luxum animi parata atque facilia faſtidientis, per improbam ſatietatis laſciviam. verſus Euripidi adſcribendos putavi:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυεῖν μόνον,
Δημητρὸς ἀκτῆς, πώματ' θ' ὑδρηχόα;
Ἄπνα πάρεσι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν,
Ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή, τρυφῇ δέ τι
Ἄλλων ἐθρεῶν μηχανὰς ἠρώμεθα.

CAP. XVII.

Sermo habitus cum grammatico insolentiarum & imperitiarum pleno de significatione vocabuli, quod est obnoxius; *deque ejus vocis origine.*

PErcunctabar Romæ quempiam grammaticum primæ in docendo celebritatis, non herclè experiundi vel tentandi gratia, sed discendi magis studio & cupidine, quid significaret *obnoxius*, quæque ejus vocabuli origo ac ratio esset. atque ille adspicit me illudens levitatem quæstionis parvitatemque: Obscuram, inquit, sanè rem quæris, multaque prorsus vigilia indagandam. quis adeò tam linguæ Latinæ ignarus est, qui nesciat eum dici *obnoxium*, cui quid ab eo, cui esse obnoxius dicitur, incommodari & noceri potest ei, qui habeat aliquem noxæ, id est, culpæ suæ conscium? Quin potius, inquit, hæc mittis nugalia, & affers ea quæ digna quæri tractarique sint. Tum verò ego permotus agendum jam obliquè, ut cum homine stulto, existimavi: Et cætera, inquam, vir doctissime, & graviora remotioraque si discere & scire debuero, quando mihi usus venerit, tum quæram ex te atque discam: sed enim quia dixi sæpe *obnoxius*, & quid dicerem nescivi; didici ex te & scire nunc cœpi, quod non ego omnium solus, ut tibi sum visus, ignoravi; sed, ut res est, Plautus homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps, quid esset *obnoxius*, nescivit. versus enim est Sticho illius ita scriptus:

Nunc ego herclè perii planè, non obnoxiè.

quod minimè congruit cum ista, quam me docuisti, significatione. composuit enim Plautus tamquam duo inter se contraria *plane* & *obnoxie*; quod à tua significatione longè abest. at ille grammaticus satis ridiculè, quasi *obnoxius & obnoxiè*, non declinatione sola, sed re

atque

atque sententiâ differrent, Ego, inquit, dixi quid esset *obnoxius*, non quid *obnoxiè*. At tunc ego admirans insolentis hominis insciti am, Mittamus, inquam, sicuti vis, quod Plautus *obnoxiè* dixit, si id esse nimis remotum putas: atque illud quoque prætermittamus, quod Sallustius in Catilina scribit, *Minari etiam ferro ni sibi obnoxia foret*: &, quod videtur notius pervulgatiusque esse, id me doce, versus enim Virgilii sunt notissimi;

Nam neque tunc astris acies obtusa videri;
Nec fratris radiis obnoxia surgere luna,

quod tu ais, *culpæ suæ conscium*; alio quoque loco Virgilius verbo isto utitur, à tua sententia diversè his versibus:

—— juvat arva videre
Non rastris hominum, non ulli obnoxia curæ.

cura enim prodesse arvis solet, non nocere; quod tu de *obnoxio* dixisti. jam verò illud etiam Q. Ennii quo pacto congruere tecum potest, quod scribit in *Phœnice* in hisce versibus?

Sed virum vera virtute vivere animatum addecet,
Fortiterque innoxium vacare adversus adversarios,
Ea libertâ'st, qui pectus purum & firmum gestitat,
Aliæ res obnoxiæ nocte in obscura latent.

at ille oscitans & allucinanti similis, Nunc, inquit, mihi operæ non est, quum otium erit, revises ad me atque disces quid in verbo isto & Virgilius & Sallustius & Plautus & Ennius senserint. & nebulo quidem ille, ubi hoc dixit, digressus est. Siquis autem volet non originem solam verbi istius, sed significationem quoque ejus varietatemque recensere; ut hoc etiam Plautinum spectet, adscripsi versus ex Asinaria:

Maxumas opimitates gaudio effertissimas
Suis heris ille una mecum pariet gnatoque & patri;
Adeò ut ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxii

Nostro devincti beneficio.

Qua verò ille grammaticus finitione usus est, ea videtur in verbo tam multiplici unam tantummodò usurpationem ejus notasse: quæ quidem congruit cum significatu, quo Cæcilius usus est in Chrysio in his versibus:

—— Quamquam ego mercede huc conductus tua
Advenio, ne tibi me esse ob eam rem obnoxium
Reare: audibis malè si malè dixis mihi.

CAP. XVIII.

De observata custoditaque apud Romanos jurisjurandi sanctimonia: atque inibi de decem captivis, quos Hannibal Romam dejurio ab iis accepto legavit.

JUsjurandum apud Romanos inviolatè sanctéque habitum servatumque id & moribus legibusque multis ostenditur; & hoc, quod dicemus, rei non tenue argumentum esse potest. Prœlio Cannensi Hannibal Karthaginiensium imperator ex captivis nostris electos decem Romam misit, mandavitque eis pactusque est, ut, si populo Romano videretur, permutatio fieret captivorum; & pro iis, quos alteri plures acciperent, dari argenti pondo libram S. Hos priusquam proficiscerentur, jusjurandum adegit, redituros esse in castra Pœnica, si Romani captivos non permutarent. veniunt Romam decem captivi. mandatum Pœni imperatoris in senatu exponunt. permutatio senatui non placita. parentes, cognati, affinesque captivorum amplexi eos, postliminiò in patriam rediisse dicebant, statumque eorum integrum incolumemque esse: ac, ne ad hostes redire vellent, orabant. tum octo ex iis postliminium justum non esse sibi responderunt; quoniam dejurio vincti forent; statimque, uti jurati erant, ad Hannibalem profecti sunt. duo reliqui Romæ manserunt; solutosque esse sese ac liberatos religione dicebant; quoniam, quum egressi

egressi castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eodem die, tamquam si ob aliquam fortuitam caussam issent, atque ita jurejurando satisfacto rursum injurati abissent. hæc eorum fraudulenta calliditas tam esse turpis existimata est, ut contemti vulgo dispretique sint, censoresque eos postea omnium notarum & damnis & ignominiis affecerint, quoniam, quod facturos dejuraverant, non feciissent. Cornelius autem Nepos, in libro exemplorum quinto, id quoque litteris mandavit, multis in senatu placuisse, ut ii, qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deducerentur, sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam: eos tamen, qui ad Hannibalem non rediissent, usque adeò intestabiles invisosque fuisse, ut tædium vitæ ceperint, necemque sibi consciverint.

CAP. XIX.

Historia ex annalibus sumta de Tib. Sempronio Gracchi patre Gracchorum tribuno plebei: atque inibi tribunicia decreta cum ipsis verbis relata.

PUlchrum atque liberale atque magnanimum factum Tib. Sempronii Gracchi in exemplis repositum est. id exemplum hujuscemodi est. L. Scipioni Asiatico P. Scipionis Africani superioris fratri C. Minucius Augurinus tribunus plebei multam irrogavit: eumque ob eam caussam prædes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum provocabat; petebatque ut virum consularem triumphalemque à collegæ vi defenderent. octo tribuni, cognita caussa, decreverunt. ejus decreti verba, quæ posui, ex annalium monumentis exscripta sunt. QUOD. P. SCIPIO. AFRICANUS. POSTULAVIT. PRO. L. SCIPIONE. ASIATICO. FRATRE. QUUM. CONTRA. LEGES. CONTRA. Q. MOREM. MAJO-

RUM. TRIBUNUS. PLEBEI. HOMINIBUS. ACCITIS. PER. VIM. INAUSPICATO. SENTENTIAM. DE. EO. TULERIT. MULTAM. Q. NULLO. EXEMPLO. IRROGARIT. PRAEDES. Q. OB. EAM. REM. DARE. COGAT. AUT. SI. NON. DET. IN. VINCULA. DUCI. JUBEAT. UT. EUM. A. COLLEGAE. VI. PROHIBEAMUS. ET. QUOD. CONTRA. COLLEGA. POSTULAVIT. NE. SIBI. INTERCEDAMUS. QUO. MINUS. SUAPTE. POTESTATE. UTI. LICEAT. D. E. R. NOSTRUM. SENTENTIA. OMNIUM. DATA. EST. SI. L. CORNELIUS. SCIPIO. ASIATICUS. COLLEGAE. ARBITRATU. PRAEDES. DABIT. COLLEGAE. NE. EUM. IN. VINCULA. DUCAT. INTERCEDEMUS. SI. EJUS. ARBITRATU. PRAEDES. NON. DABIT. QUO. MINUS. COLLEGA. SUA. POTESTATE. UTATUR. NON. INTERCEDEMUS. Post hoc decretum, quum Augurinus tribunus plebei L. Scipionem prædes non dantem prehendi & in carcerem duci jussisset; tum Tib. Sempronius Gracchus trib. pl. pater Tiberii atque Gaji Gracchorum, quum P. Scipioni Africano inimicus gravis ob pleraſque in republica dissensiones esset, juravit palam in amicitiam inque gratiam se cum P. Africano non rediisse; atque ita decretum ex tabula recitavit. ejus decreti verba hæc sunt: CUM. L. CORNELIUS. SCIPIO. ASIATICUS. TRIUMPHANS. HOSTIUM. DUCES. IN. CARCEREM. CONJECTAVERIT. ALIENUM. VIDETUR. ESSE. DIGNITATE. REIPUBLICAE. IN. EUM. LOCUM. IMPERATOREM. POPULI. ROMANI. DUCI. IN. QUEM. LOCUM. AB. EO. CONJECTI. SUNT. DUCES. HOSTIUM. ITA. Q. L. CORNELIUM. SCIPIONEM. ASIATICUM. A. COLLEGAE. VI. PROHIBEO. Valerius autem Antias, contra hanc decretorum memoriam, contraque auctoritates veterum annalium, post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse à Tib. Graccho dixit: neque multam irrogatam Scipioni; sed damnatum eum peculatus ob Antiochenam pecuniam,

cuniam, quia prædes non daret, in carcerem duci cœptum, atque ita intercedente Graccho exemtum.

CAP. XX.

Quod Virgilius ob aquam à Nolanis sibi non permissam sustulit è versu suo, Nola, & posuit, Ora: atque ibi quædam alia de consonantia litterarum jucunda.

SCriptum in quodam commentario reperi versus istos à Virgilio ita primùm esse recitatos atque editos:

Talem dives arat Capua & vicina Vesevo
Nola jugo:

postea Virgilium petiisse à Nolanis aquam uti duceret in propinquum rus; Nolanos beneficium petitum non feciisse: poëtam offensum nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, *oraque* pro *Nola* mutasse: atque ita reliquisse:

—— & vicina Vesevo.
Ora jugo.

ea res verane an falsa sit non laboro, quin tamen melius suaviusque ad auris sit, quàm *Nola*, *Ora*, dubium id non est. nam vocalis in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque jucundo hiatu tractim sonat. est adeò invenire apud nobiles poëtas hujuscemodi suavitatis multa, quæ apparet navata esse, non fortuita: sed præter cæteros omnis apud Homerum plurima. uno quippe in loco tales tamque hiantes sonitus in assiduis vocibus pluris facit.

Ἡ δ' ἑτέρη θέρεϊ προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ
Ἢ χιόνι ψυχρῇ ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ.

atque item alio loco:

Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον.

Catullus quoque elegantissimus poëtarum in hisce versibus:

Minister vetuli puer falerni

Ingere

Inger mî calices amariores,
Ut lex Postumiæ jubet magistræ
Ebriosa acina ebriosioris;

quum, *ebrioso*, dicere posset, &, quod erat usitatius, *acinum* in neutro genere appellare: amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, *ebriosa*, dixit propter consequentis litteræ concentum. qui *ebrios* autem Catullum dixisse putant aut *ebriosos* (nam id quoque temere scriptum invenitur) in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt.

CAP. XXI.

Quoad vivet, &, quoad morietur, *cur id ipsum temporis significent, quum ex duobus sint facta contrariis.*

QUoad vivet quum dicitur, item *quoad morietur*, videntur quidem duæ res dici contrariæ; sed idem atque unum tempus utraque verba demonstrant. item quum dicitur *quoad senatus habebitur*, & *quoad senatus dimittetur*; tametsi *haberi* atque *dimitti* contraria sunt, unum atque id ipsum tamen utroque in verbo ostenditur. tempora enim duo quum inter se oppositta sunt atque ita cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert, utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis locus ipse confinis demonstretur.

CAP. XXII.

Quòd censores equum adimere soliti sint equitibus corpulentis & præpinguibus; quæsitumque utrum ea res cum ignominia, an incolumi dignitate equitum facta sit.

NImis pingui homini & corpulento censores equum adimere solitos, scilicet minus idoneum ratos esse cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus,

uus. non enim pœna id fuit, ut quidam existimant: sed munus sine ignominia remittebatur. tamen Cato in oratione, quam *de sacrificio commisso* scripsit, objicit hanc rem criminosius, uti magis videri possit cum ignominia fuisse. quod si ita accipias: id profectò existimandum est, non omnino inculpatum neque indesidem visum esse, cujus corpus in tam immodicum modum luxuriasset exuberassetque.

LIBER OCTAVUS.

Commentario octavo hæc insunt.

CAPUT I.

Hesterna noctu, *recténe an cum vitio dicatur: & quænam super istis verbis grammatica traditio sit: item quòd decemviri in* XII *tabulis* nox *pro* noctu *dixerint.*

CAP. II.

Quæ mihi decem verba ediderit Favorinus, quæ usurpentur quidem à Græcis, sed sunt adulterina & barbara: quæ item a me totidem acceperit, quæ ex medio communique usu Latinè loquentium minimè Latina sint, neque in veterum libris reperiantur.

CAP. III.

Quem in modum & quàm severè increpuerit audientibus nobis Peregrinus philosophus adolescentem Romanum ex equestri familia stantem segnem apud se & assiduè oscitantem.

CAP. IV.

Quòd Herodotus scriptor historiæ memoratissimus parùm verè dixerit unam solamque pinum arborum omnium cæsam numquam denuo ex isdem radicibus pullulare, & quòd

& quòd idem de aqua pluviali & nive rem non satis explo-ratam pro comperta posuerit.

CAP. V.

Quid illud sit quod Virgilius cœlum stare pulvere, *& quod Lucilius* pectus sentibus stare *dixit.*

CAP. VI.

Quum post offensiunculas in gratiam redeatur, expostulationes fieri mutuas minimè utile esse: superque ea re & sermo Tauri expositus, & verba ex Theophrasti libro sumta: & quid M. quoque Cicero de amore amicitiæ sen-serit cum ipsius verbis additum.

CAP. VII.

Ex Aristotelis libro, qui περὶ μνήμης inscriptus est, cognita acceptaque de natura & habitu memoriæ: atque inibi alia quædam de exuberantia aut interitu e-jus lecta auditaque.

CAP. VIII.

Quid mihi usu venerit interpretari & quasi effingere volenti locos quosdam Platonicos Latina oratione.

CAP. IX.

Quòd Theophrastus philosophus omnium suæ ætatis fa-cundissimus verba pauca ad populum Athenienſem fa-cturus deturbatus verecundia obticuerit, quodque idem hoc Demostheni apud Philippum regem verba facienti evenerit.

CAP. X.

Qualis mihi fuerit in oppido Eleusine disceptatio cum grammatico quodam præstigioso tempora verborum & me-ditamenta puerilia ignorante; remotarum autem quæstio-num

num nebulas & formidines capiendis imperitorum animis oſtentante.

CAP. XI.

Quam feſtive reſponderit Xanthippæ uxori Socrates petenti ut per Dionyſia largiore ſumtu cænitarent.

CAP. XII.

Quid ſignificet in veterum libris ſcriptum, plerique omnes; *& quòd ea verba accepta à Græcis videntur.*

CAP. XIII.

Quopſones *quod homines Afri dicunt, non eſſe verbum Pœnicum, ſed Græcum.*

CAP. XIV.

Lepidiſſima altercatio Favorini philoſophi adverſus quemdam intempeſtivum de ambiguitate verborum diſſerentem, atque inibi verba quædam ex Nævio poëta & Cn. Gellio non uſitate collocata: atque ibidem à P. Nigidio origines vocabulorum explorata.

CAP. XV.

Quibus modis ignominiatus tractatuſque ſit à C. Cæſare Laberius poëta: atque inibi appoſiti verſus ſuper eadem re ejuſdem Laberii.

LIBER NONUS.

CAPUT I.

Quamobrem Q. Claudius Quadrigarius in duodevicesimo annali scripserit rectiores certioresque ictus fieri si sursum quid mittas, quam si deorsum.

Q. Claudius in undevicesimo annali, quum oppidum à Metello proconsule oppugnari, contra ab oppidanis desuper è muris propugnari describeret, ita scripsit; *Sagittarius cum funditore utrimque summo studio spargunt fortissimè. sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas hoc interest. nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum utrumque optime. quare milites Metelli sauciabantur multo minus, &, quod maxime opus erat, à pinnis hostis defendebant facillime.* Percunctabar ego Antonium Julianum rhetorem cur hoc ita usu veniret, quod Quadrigarius dixisset, ut contigui magis directioresque ictus fiant, si vel lapidem vel sagittam sursum versus jacias quàm deorsum: quum proclivior faciliorque jactus sit ex supernis in infima, quam ex infimis in superna. tum Julianus comprobato genere quæstionis, *Quod de sagitta*, inquit, *& lapide dixit, hoc de omni fere missili telo dici potest. facilior autem jactus est, sicuti dixisti, si desuper jacias si quid jacere tantum velis, non ferire; sed quum modus & impetus jactus impetrandus dirigendusque est, tum, si in prona jacias, moderatio atque ratio mittentis præcipitantia ipsa & pondere cadentis teli corrumpitur. at si in editiora mittas, &, ad percutiendum superne aliquid, manum & oculos conlinees, quo modus a te datus tulerit, eo telum ibit, quod jeceris.* Ad hanc fermè sententiam Julianus super istis Q. Claudii verbis nobiscum sermocinatus est.

Quod

Quod autem ait idem Q. Claudius: *à pinnis hostis defendebant facillimè*; animadvertendum est, usum esse eum verbo *defendebant*, non ex vulgari consuetudine, sed admodum propriè & Latinè. nam *defendere*, & *offendere*, inter sese adversa sunt, quorum alterum significat, ἐμποδῶν ἔχειν, alterum, ἐκ ποδῶν ποιεῖσθαι. quod hoc in loco in Q. Claudio dicitur.

CAP. II.

Quibus verbis notarit Herodes Atticus falso quempiam cultu amictuque nomen habitumque philosophi ementientem.

AD Herodem Atticum, consularem virum ingenioque amœno & Græca facundia celebrem, adiit, nobis præsentibus, palliatus quispiam & crinitus, barbaque propè ad pubem usque porrecta; ac petiit æs sibi dari εἰς ἄρτους. tum Herodes interrogat quis homo esset. atque ille, vultu sonituque vocis objurgatorio, philosophum sese esse dicit; & mirari quoque addit, cur quærendum putasset quod videret. Video, inquit Herodes, barbam & pallium; philosophum nondum video. quæso autem te, cum bona venia dicas mihi, quibus nos uti posse argumentis existimas, ut esse te philosophum noscitemus? interibi quum aliquot ex his, qui cum Herode erant, erraticum hominem esse dicerent & nulli rei, incolamque esse sordentium ganearum; ac, nisi accipiat quod petit, convicio turpi solitum incessere: ibi Herodes, *Demus*, inquit, *huic aliquid æris, cuicuimodi est; tamquam homines, non tamquam homini.* & jussit dari precium panis triginta dierum. tum nos adspiciens qui eum sectabamur, *Musonius*, inquit, *æruscanti cuipiam id genus, & philosophum sese ostentanti dari jussit mille nummûm, &, quum plerique dicerent nebulonem esse hominem, malum & malicioſum, nulla re bona*

dignum: tum Musonium subridentem dixisse ajunt; ἄξιος ἐν ἐσὶν ἀγωνίᾳ. *sed hoc potius*, inquit, *dolori mihi & ægritudini est, quòd istiusmodi animalia spurca atque probra nomen usurpant sanctissimum, & philosophi apellantur. majores autem mei Athenienses nomina juvenum fortissimorum Harmodii & Aristogitonis, qui libertatis reciperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorsi erant, ne umquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt. quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ devota servili contagio pollui. cur ergo nos patimur nomen philosophiæ illustrissimum in hominibus deterrimis exsordescere? simili autem*, inquit, *exemplo ex contraria specie antiquos Romanorum audio prænomina patriciorum quorumdam malè de republica meritorum, & ob eam causam capite damnatorum, censuisse ne cui ejusdem gentis patricio inderentur: ut vocabula quoque eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur.*

CAP. III.

Epistola Philippi Regis ad Aristotelem philosophum super Alexandro recens nato.

PHilippus Amyntæ filius, terræ Macedoniæ rex, cujus virtute industriaque Macetæ locupletissimo imperio aucti gentium nationumque multarum potiri cœperant, & cujus vim atque arma toti Græciæ cavenda metuendaque inclutæ illæ Demosthenis orationes concionesque vocificant, is Philippus, quum in omni fere tempore negotiis belli victoriisque affectus exercitusque esset; à liberali tamen Musa & à studiis humanitatis nunquam abfuit, quin lepide comiterque pleraque & faceret & diceret. feruntur adeò libri epistolarum ejus munditiæ & venustatis & prudentiæ plenarum. velut sunt illæ litteræ, quibus Aristoteli philosopho natum esse sibi Alexandrum nunciavit, ea epistola, quoniam curæ diligentiæque

gentiæque in liberorum diſciplinas hortamentum eſt, exſcribenda viſa eſt ad commovendos parentum animos. exponenda igitur eſt ad hanc ferme ſententiam. Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit. Filium mihi genitum ſcito. quod equidem dîs habeo gratiam: non proinde quia natus eſt, quàm pro eo quòd eum naſci contigit temporibus vitæ tuæ. ſpero enim fore, ut eductus eruditusque abs te dignus exſiſtat & nobis & rerum iſtarum ſuſceptione. ipſius autem Philippi verba hæc ſunt: Φίλιππος Ἀριστοτέλει χαίρειν. Ἴσθι μοὶ γεγονότα υἱόν. πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι. ἐλπίζω γὰρ, αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα, ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς.

CAP. IV.

De barbararum gentium prodigioſis miraculis, deque diris & exitioſis faſcinationibus, atque inibi de feminis repente verſis in mares.

QUum è Græcia in Italiam rediremus, & Brunduſium iremus; egreſſique è navi in terram in portu illo incluto ſpatiaremur, quem Q. Ennius remotiore paulum, ſed admodum ſcito vocabulo, *præpetem*, appellavit; faſces librorum venalium expoſitos vidimus. atque ego avidè ſtatim pergo ad libros. erant autem iſti omnes libri Græci miraculorum fabularumque pleni: res inauditæ, incredulæ; ſcriptores veteres non parvæ auctoritatis, Ariſteas Proconneſius & Iſigonus Nicæenſis & Cteſias & Oneſicritus & Polyſtephanus & Hegeſias. ipſa autem volumina ex diutino ſitu ſquallebant, & habitu adſpectuque tætro erant. acceſſi tamen, percunctatuſque precium ſum: &, adductus mira atque inſperata vilitate, libros plurimos ære pauco emo; eoſque omnes duabus proximis noctibus curſim tranſeo: atque

in legendo carpsi exinde quædam & notavi mirabilia & scriptoribus fere nostris intentata; eaque his commentariis adsperſi: ut, qui eos lectitabit, is ne rudis omnino & ἀνήκοος in istiusmodi rerum auditiones reperiatur. erant igitur in illis libris scripta hujuscemodi: Scythas illos penitissimos, qui sub ipsis septemtrionibus ætatem agunt, corporibus hominum vesci ejusque victus alimento vitam ducere & ἀνθρωποφάγους nominari: item esse homines sub eadem regione cœli unum oculum in frontis medio habentes, qui appellantur Arimaspi; qua fuisse facie Cyclopas poëtæ ferunt: alios item esse homines, apud eamdem cœli plagam, singulariæ velocitatis; vestigia pedum habentes retro porrecta, non, ut cæterorum hominum, prospectantia: præterea traditum esse memoratumque in ultima quadam terra, quæ Albania dicitur, gigni homines, qui in pueritia canescant, & plus cernant oculis per noctem, quàm inter diem: item esse compertum & creditum, Sauromatas, qui ultra Borysthenem fluvium longè colunt, cibum capere semper diebus tertiis, medio abstinere. id etiam in isdem libris scriptum offendimus, quod postea quoque in libro Plinii Secundi naturalis historiæ septimo legi; esse quasdam in terra Africa hominum familias voce atque lingua effascinantium. qui si impensiùs forte laudaverint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas; emoriantur repente hæc omnia nulli aliæ causæ obnoxia: oculis quoque exitialem fascinationem fieri in isdem libris scriptum est: traditurque esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint; eosque ipsos mares feminasque, qui visu tam nocenti sunt, pupulas in singulis oculis binas habere. item esse in montibus terræ Indiæ homines caninis capitibus & latrantibus; eosque vesci avium & ferarum venatibus: atque esse item alia apud ultimas orientis

terras

terras miracula homines, qui monocoli appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes, vivacissimæ pernicitatis: quosdam etiam esse nullis cervicibus, oculos in humeris habentes. jam verò egreditur omnem modum admirationis, quòd idem illi scriptores gentem esse ajunt apud extrema Indiæ, corporibus hirtis & avium ritu plumantibus, nullo cibatu vescentem, sed spiritu florum naribus hausto victitantem: Pygmæos quoque haud longè ab his nasci; quorum qui longissimi sint, non longiores esse quàm pedes duo & quadrantem. Hæc atque alia istiusmodi plura legimus. sed, quum ea scriberemus, tenuit nos non idoneæ scripturæ tædium nihil ad ornandum juvandumque usum vitæ pertinentis. libitum tamen est in loco hoc miraculorum notare id etiam, quod Plinius Secundus vir in temporibus ætatis suæ, ingenii dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus, non audisse neque legisse, sed scire sese atque vidisse in libro naturalis historiæ septimo scripsit. Verba igitur, quæ infra posui, ipsius sunt, ex eo libro sumta: quæ profectò faciunt ut neque respuenda, neque ridenda sit notissima illa veterum poëtarum de Cænide & Cæneo cantilena. *Ex feminis*, inquit, *mutari in mares non est fabulosum. invenimus in annalibus Q. Licinio Crasso Cassio Longino Consulibus, C. Afinii puerum factum ex virgine sub parentibus; jussuque haruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mucianus prodidit visum esse a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset; nupsisse etiam; mox barbam & virilitatem proveniss uxoremque duxisse: ejusdem sortis & Smyrnæ puerum a se visum. ipse in Africa vidi mutatum in marem, die nuptiarum L. Cossicium civem Thysdritanum: vivebatque quum proderem hæc.* Idem Plinius eodem in libro verba hæc scripsit: *Gignuntur homines utriusque sexus; quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos & in prodigiis habitos, nunc verò in deliciis.*

CAP. V.

Diversæ nobilium philosophorum sententiæ de genere ac naturâ voluptatis; verbaque Hieroclis philosophi quibus decreta Epicuri insectatus est.

DE voluptate veteres philosophi diversas sententias dixerunt. Epicurus voluptatem summum bonum esse ponit; eam tamen ita definit, ζαρκὸς διάθεσις κατάστημα. Antisthenes Socraticus summum malum dicit. ejus namque hoc verbum est: μανείλω μᾶλλον ἢ ἡδοίμην. Speusippus vetusque omnis academia voluptatem & dolorem duo mala dicunt esse oppositа inter sese; bonum autem esse quod utriusque medium foret. Zeno censuit voluptatem esse indifferens, id est, neutrum, neque bonum neque malum; quod ipse Græco vocabulo ἀδιάφορον appellavit. Critolaus Peripateticus & malum esse voluptatem ait, & multa alia mala parere ex sese, injurias, desidias, obliviones, ignavias. Plato ante hos omnis ita variè & multiformiter de voluptate disseruit; ut cunctæ istæ sententiæ, quas suprà posui, videantur ex sermonum ejus fontibus profluxisse: nam proinde unaquaque utitur, ut & ipsius voluptatis natura fert, quæ est multiplex, & causarum, quas tractat, rerumque, quas efficere vult, ratio desiderat, Taurus autem noster, quotiens facta mentio Epicuri esset; in ore atque in lingua habebat verba hæc Hieroclis Stoici viri sancti & gravis: ἡδονῆς πλὴν πόρνης δόγμα ἐκ ἔστιν πορνεῖα, ἀδὲν πόρνης δόγμα.

CAP

CAP. VI.

Verbum, quod est ab ago, *frequentativum, in prima syllaba quonam sit modulo pronunciandum.*

AB eo quod est, *ago*, &, *egi*, verba sunt quæ appellant grammatici frequentativa, *actito*, &, *actitavi*. hæc quosdam non sanè indoctos viros audio ita pronunciare, ut primam in his litteram corripiant: rationemque dicunt, quoniam in verbo principali, quod est *ago*, prima littera breviter pronunciatur. cur igitur ab eo quod est *edo*, & *ungo*, in quibus verbis prima littera breviter dicitur, *esito*, & *unctito*, quæ sunt eorum frequentativa, prima littera longa promimus? & contrà, *dictito*, ab eo verbo quod est, *dico*, correptè dicimus? num ergo potius *actito* & *actitavi* producenda sunt? quoniam frequentativa fermè omnia eodem modo in prima syllaba dicuntur, quo participia præteriti temporis ex his verbis unde ea profecta sunt in eadem syllaba pronunciantur, sicut *lego*, *lectus*, *lectito*, facit; *ungo*, *unctus*, *unctito*; *scribo*, *scriptus*, *scriptito*; *moveo*, *motus*, *motito*: *pendeo*, *pensus*, *pensito*; *edo*, *esus*, *esito*: *dico* autem, *dictus*, *dictito* facit: *gero*, *gestus*, *gestito*: *veho*, *vectus*, *vectito*: *rapio*, *raptus*, *raptito*: *capio*, *captus*, *captito*: *facio*, *factus*, *factito*. sic igitur, *actito*, productè in prima syllaba pronunciandum: quoniam ex eo fit quod est, *ago*, & *actus*.

CAP. VII.

De conversione foliorum in arbore olea, brumali & solstitiali die, deque fidibus iis temporibus ictu alieno sonantibus.

VULgo & scriptum & creditum est folia olearum arborum brumali & solstitiali die converti; & quæ pars eorum fuerat inferior atque occultior, eam supra

fieri atque exponi ad oculos & ad ſolem. quod nobis quoque ſemel atque iterum experiri volentibus ita eſſe propemodum viſum eſt. ſed de fidibus rarius dictu & mirabilius eſt. quam rem & alii docti viri & Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicræ hiſtoriæ primo ſatis compertam eſſe, ſatiſque ſuper ea conſtare affirmat; nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias ſonare.

CAP. VIII.

Neceſſum eſſe, qui multa habeat, multis indigere, deque ea re Favorini philoſophi cum brevitate eleganti ſententiæ.

VErum eſt profectò, quod obſervato rerum uſu ſapientes viri dixerunt, multis egere, qui multa habeat; magnamque indigentiam naſci non ex inopia magna, ſed ex magna copia. multa enim deſiderari ad multa, quæ habeas, tuenda. quiſquis igitur multa habens cavere atque proſpicere velit ne quid egeat, neve quid deſit, jactura opus eſſe non quæſtu; & minus habendum eſſe ut minus deſit. Hanc ſententiam memini à Favorino inter ingentes omnium clamores detornatam incluſamque verbis his pauciſſimis: τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων χλαμύδων δεόμενον οὐκ ἔστι μὴ πλειόνων δεῖσθαι. οἷς γὰρ ἔχω προσδεόμενος, ἀφελὼν ὧν ἔχω, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω.

CAP. IX.

Quis modus ſit verba vertendi in Græcas ſententias, deque his Homeri verſibus, quos Virgilius vertiſſe aut bene aptéque aut improſpere exiſtimatus eſt.

QUando ex poëmatis Græcis vertendæ, imitandæque ſunt inſignes ſententiæ, non ſemper ajunt enitendum ut omnia omnino verba in eum, in quem dicta ſunt,

sunt, modum vertamus. perdunt enim gratiam pleraque, si quasi invita & recusantia violentius transferantur. scitè ergo & considerate Virgilius, quum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Parthenii aut Callimachi aut Theocriti aut quorumdam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit. Sicuti nuperrimè apud mensam quum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti & Virgilii, animadvertimus reliquisse Virgilium, quod Græcum quidem mirè quàm suave est, verti autem neque debuit neque potuit. sed enim quod substituit, pro eo quod omiserat, non abest, quin jucundius lepidiusque sit:

Βάλλ' καὶ μάλοισι τὴν αἰπόλον ἀ Κλεαρέτα
Τὰς αἶγας παρελῶντα, καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει.
Malo me Galatea petit, lasciva puella:
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

illud quoque alio in loco animadvertimus cautè omissum, quod est in Græco versu dulcissimum.

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κρήναν ἄγε Τίτυρε. κὴ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μὴ τυ κορύψῃ.

quo enim pacto diceret, τὸ καλὸν πεφιλαμένε, verba herclè non translaticia, sed cujusdam nativæ dulcedinis. hoc igitur reliquit, & cetera vertit non infestiviter: nisi quòd caprum dixit, quem Theocritus ἐνόρχαν appellavit. auctore enim M. Varrone is demum Latinè caper dicitur, qui excastratus est.

Tityre dum redeo, brevis est via, pasce capellas:
Et potum pastas age Tityre: & inter agendum,
Occursare capro (cornu ferit ille) caveto.

Et quoniam de transferendis sententiis loquor, memini audisse me ex Valerii Probi discipulis, docti hominis & in intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere, nihil quicquam tam improsperè Virgilium ex Homero vertisse, quàm

versus hos amœnissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit.

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεα ἰοχέαιρα
Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι, καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι.
Τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο,
Ἀγρονόμοι παίζουσι. γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.
Πασάων δ' ὑπέρ ἧγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται. καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

Qualis in Eurotæ ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. illa pharetram
Fert humero, gradienſque deas ſupereminet omnes,
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Primum omnium id visum esse dicebant Probo, quòd apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas in locis solis rectè atque commodè confertur cum Diana venante in jugis montium inter agrestes deas; nequaquam autem conveniens Virgilium feciſſe, quoniam Dido in urbe media ingrediens inter Tyrios Principes, cultu atque incessu serio, *instans operi*, sicut ipse ait, *regniſque futuris*, nihil ejus similitudinis capere posset, quæ lusibus atque venatibus Dianæ congruit; tum postea quod Homerus studia atque oblectamenta in venando Dianæ honestè apertéque dicit; Virgilius autem, quum de venatu deæ nihil dixisset, pharetram tantùm facit eam ferre in humero, tamquam si onus & sarcinam: atque illud impense Probum esse demiratum in Virgilio dicebant, quod Homerica quidem Λητὼ gaudium gaudeat genuinum & intimum, atque in ipso penetrali cordis & animæ vigens (siquidem non aliud est γέγηθε δέ τε φρένα Λητὼ) ipse autem imitari hoc volens gaudia fecerit pigra & levia & cunctantia & quasi in summo pectore supernantia. nescire enim sese quid significaret aliud,

pertentant.

pertentant. præter ista omnia, florem ipsius totius loci Virgilium videri omisisse; quòd hunc Homeri versum exiguè secutus sit.

Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται. καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

quando nulla major cumulatiorque pulchritudinis laus dici potuerit, quàm quòd una inter omnis pulchras excelleret, una facile ex omnibus nosceretur.

CAP. X.

Quòd Annæus Cornutus versus Virgilii, quibus Veneris & Vulcani concubitum pudicè opertéque dixit, reprehensione spurca & odiosa inquinavit.

ANnianus pöeta & plerique cum eo ejusdem Musæ viri summis assiduisque laudibus hos Virgilii versus ferebant; quibus Volcanum & Venerem junctos mixtosque jure conjugii, rem lege naturæ operiendam, verecunda quadam tralatione verborum quum ostenderet demonstraretque, protexit. sic enim scripsit:

—— *ea verba locutus*
Optatos dedit amplexus; placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.

minus autem difficile esse arbitrabantur in istiusmodi re dicenda verbis uti uno atque altero brevi tenuique eam signo demonstrantibus, sicuti Homerus dixit:

Παρθενικὴν ζώνην, καὶ λέκτροιο θεσμὸν, & ἔργα φιλοτήσια.

Τὸν μὲν ἄρ' ἐν τρήτοισι κατευνάσατ' ἐν λεχέεσσιν.

tot verò & tam evidentibus ac tamen non prætextatis, sed puris honestisque verbis venerandum illud concubii pudici secretum neminem quemquam alium dixisse. sed Annæus Cornutus, homo sanè pleraque alia non indoctus neque imprudens, in secundo tamen

men librorum, quos de figuris sententiarum composuit, egregiam totius istius verecundiæ laudem insulsa nimis & odiosa scrutatione violavit. nam quum genus hoc figuræ probasset, & satis circumspectè factos esse versus dixisset; *membra* tamen, inquit, paulo incautiùs nominavit.

CAP. XI.

De Valerio Corvino; & unde Corvinus.

DE M. Valerio, qui Corvinus appellatus est ob auxilium propugnationemque corvi alitis, haud quisquam est nobilium scriptorum, qui secus dixerit. ea res prorsus admiranda sic profectò est in libris annalibus memorata. Adolescens tali genere editus, Furio & Appio consulibus fit tribunus militaris. atque in eo tempore copiæ Gallorum ingentes agrum Pomptinum insederant: instruebanturque acies à consulibus de vi ac multitudine hostium satis agentibus. dux interea Gallorum, vasta & ardua proceritate, armisque auro præfulgentibus, grandia ingrediens & manu telum reciprocans incedebat: perque contemtum & superbiam circumspiciens despicienſque omnia venire jubet & congredi, si quis pugnare secum ex omni Romano exercitu auderet. tum Valerius tribunus, cæteris inter metum pudoremque ambiguis, impetrato prius à consulibus ut in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare sese permitterent, progreditur intrepidè modestéque obviam: & congrediuntur, & consistunt, & conserebantur jam manus; atque ibi vis quædam divina fit. corvus repentè improvisus advolat, & super galeam tribuni insistit, atque inde in adversarii os atque oculos pugnare incipit. insilibat, obturbabat, ungibus manum laniabat, & prospectum alis arcebat; atque, ubi satis sævierat, revolabat in galeam tribuni. sic tribunus, spectante

stante utroque exercitu, & sua virtute nisus & opera alitis propugnatus, ducem hostium ferocissimum vicit interfecitque; atque ob hanc causam cognomen habuit *Corvinus*. id factum est anno quadringentesimo quinto post Romam conditam. Statuam Corvino isti divus Augustus in foro suo statuendam curavit. in ejus statuæ capite corvi simulachrum est rei pugnæque, quam diximus, monumentum.

CAP. XII.

De verbis quæ in utramque partem significatione reciproca & adversa dicuntur.

UT *formidolosus* dici potest & qui formidat & qui formidatur; ut *invidiosus*, & qui invidet & cui invidetur; ut *suspiciosus*, & qui suspicatur & qui suspectus est; ut *ambitiosus*, & qui ambit & qui ambitur; ut item *gratiosus*, & qui adhibet gratias & qui admittit; ut *laboriosus*, & qui laborat & qui labori est; ut pleraque alia hujuscemodi in utramque partem dicuntur: ita *infestus* ancipiti quoque significatione est. nam & is *infestus* appellatur, qui malum infert cuipiam; & contrà, cui aliunde impendet malum; is quoque *infestus* dicitur. sed quod prius posui, profectò exemplis non indiget. sic adeò multi loquuntur, ut *infestum* dicant inimicum atque adversum. alterum autem illud ignorabilius obscuriusque est. quis enim è medio facile dixerit, *infestum* esse, cui alter infestus est? & veteres plerique ita dixerunt; & M. Tullius in oratione, quam pro Cn. Plancio scripsit, vocabulo hoc sic usus est: *Dolebam*, inquit, *judices, & acerbè ferebam, si hujus salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua benivolentia, præsidio custodiáque texisset.* Nos igitur de origine & ratione verbi quærebamus, atque ita in Nigidianis scriptum invenimus. *Infestum à festinando*

do dictum. nam qui instat, inquit, *alicui, eumque properans urget, opprimereque eum studet festinatque; aut contrà de alicujus periculo & exitio festinatur: is uterque infestus dicitur, ab instantia atque imminentia fraudis, quam vel facturus cuipiam vel passurus est.* Ne quis autem de *suspicioso*, quod suprà posuimus, & de *formidoloso* in eam partem, quæ minus usitata est, exemplum requirat; inveniet de *suspicioso* apud M. Catonem de re Floria, ita scriptum: *Sed nisi qui palam corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locavisset, & si fabulosus & suspicioſus fuisset; vim in corpus liberum non æquum censuere afferri. suspicioſum* enim Cato hoc in loco suspectum significat, non suspicantem. *Formidolosum* autem, qui formidatur, Sallustius in Catilina ita dicit. *Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus.* Item C. Calvus in poëmatis, *laborioſus*, dicit, non, ut vulgo dicitur, qui laborat, sed in quo laboratur:

Durum, inquit, *rus fugis & laborioſum.*

Eadem ratione Laberius quoque in Sororibus,

Ærastor, inquit, *multum somniculosum*: & Cinna in poëmatis;

Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

Metus æquè & *injuria*, atque alia quædam id genus, sic utroqueversum dici possunt. nam *metus* hostium rectè dicitur, & quum timent hostes & quum timentur. itaque Sallustius in historia prima, *metum Pompeji* dixit, non quod Pompejus metueret (quod est usitatius) sed quòd metueretur. Verba hæc Sallustii sunt: *Id bellum excitabat metus Pompeji victoris Hiempsalem in regnum restituentis.* Item alio in loco: *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit. Injurias* itidem dicimus tam illorum qui patiuntur, quàm qui faciunt. quarum dictionum exempla sunt facilia inventu. illud

etiam

etiam dictum à Virgilio eamdem habet formam communicatæ ultrò & citrò significationis:

—— *Et vulnere*, inquit, *tardus Ulyxi.*

quum diceret vulnus, non quod accepisset Ulyxes, sed quod dedisset. *Nescius* quoque dicitur tam is qui nescitur, quàm qui nescit. sed super eo *qui nescit* frequens hujus vocabuli usus est: infrequens autem de eo est, *quod nescitur. ignarus* æquè utroquevorsum dicitur, non tantum qui ignorat, sed & qui ignoratur. Plautus in Rudente:

Quæ in locis nesciis nescia spe sumus. Sallustius:
More humanæ cupidinis ignara visundi. Virgilius:
—— *Ignarum Laurens habet ora Mimanta.*

CAP. XIII.

Verba ex historia Claudii Quadrigarii, quibus Manlii Torquati nobilis adolescentis & hostis Galli provocatoris pugnam depinxit.

T. Manlius summo loco natus adpriméque nobilis fuit. ei Manlio cognomentum factum est Torquato. causam cognomenti fuisse accepimus torquis ex auro induvias, quam ex hoste, quem occiderat, detractam induit: sed quid hostis & quod genus & quàm formidandæ vastitatis, & quantum insolens provocator, & cuimodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius primo annalium puriſſimè atque illustrissimè simplicique & incomta orationis antiquæ suavitate descripsit. quem locum ex eo libro Favorinus philosophus quum legeret, non minoribus quati afficique animum suum motibus pulsibusque dicebat, quàm si ipse coram depugnantes eos spectaret. Verba Q. Claudii, quibus pugna ista depicta est, adscripsi. *Quum interim Gallus quidam nudus, præter scutum & gladios duos, torque atque armillis decoratus processit: qui & viribus & magnitudine & adolescen-*

adoleſcentia ſimulque virtute cæteris antiſtabat. is maximè prœlio commoto atque utriſque ſummo ſtudio pugnantibus manu ſignificare cœpit, utrinque quieſcerent pugnæ. facta pauſa eſt. extemplò ſilentio facto cum voce maxima conclamat, ſi qui ſecum depugnare vellet, uti prodiret. nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem facies. deindè Gallus irridere atque linguam exertare id ſubitò perdolitum eſt cuidam T. Manlio ſummo genere nato, tantum flagitium civitati accidere, ex tanto exercitu neminem prodire. is, ut dico, proceſſit: neque paſſus eſt virtutem Romanam ab Gallo turpiter ſpoliari, ſcuto pedeſtri & gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſtitit. metu magno ea congreßio in ipſo ponte, utroque exercitu inſpectante, facta eſt. ita, ut ante dixi, conſtiterunt: Gallus ſua diſciplina ſcuto projecto cantabundus: Manlius animo magis quàm arte conſiſus, ſcutum ſcuto percuſſit, atque ſtatum Galli conturbavit. dum ſe Gallus iterum eodem pacto conſtituere ſtudet, Manlius iterum ſcutum ſcuto percutit, atque de loco hominem iterum dejecit: eo pacto ei ſub Gallicum gladium ſucceſſit, atque Hiſpanico pectus hauſit: dein continuo humerum dexterum eodem conceſſu incidit, neque receßit uſquam, donec ſubvertit, ne Gallus impetum icti haberet. ubi eum evertit, caput præcidit: torquem detraxit, eamque ſanguinolentam ſibi in collum imponit, quo ex facto ipſe poſterique ejus Torquati ſunt cognominati. Ab hoc T. Manlio, cujus hanc pugnam Quadrigarius deſcripſit, imperia & aſpera & immitia Manliana dicta ſunt: quoniam poſtea, bello adverſum Latinos quum eſſet conſul, filium ſuum ſecuri percuſſit; qui ſpeculatum ab eo miſſus, ne pugnaret interdicto, hoſtem, à quo provocatus fuerat, occiderat.

CAP.

CAP. XIV.

Quòd idem Quadrigarius, hujus facies, *patrio casu probè & Latinè dixit, & quædam alia appositа de similium vocabulorum declinationibus.*

QUod autem suprà scriptum est in Q. Claudii verbis, *propter magnitudinem atque immanitatem facies*; id nos aliquot veteribus libris inspectis exploravimus; atque ita esse, ut scriptum est, comperimus. sic enim pleraque ætas veterum declinavit, *hæc facies*, *hujus facies*, quod nunc propter rationem grammaticam *faciei* dicitur. corruptos autem quosdam libros reperi, in quibus, *faciei*, scriptum est, illo, quod ante scriptum erat, oblitterato. Meminimus & in Tiburti bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro scriptum utrumque, *facies* & *facii*. sed, *facies*, in ordine scriptum fuit, & contrà per *ii* geminum, *facii*. neque id abesse à quadam consuetudine prisca existimavimus. nam & ab eo quod est *hic dies* tam *hujus dii*, & ab eo quod est *hæc fames* tam *hujus famii* dixerunt. Q. Ennius in sextodecimo annali *dies* scripsit pro *diei* in hoc versu:

Postremæ longinqua dies confecerit ætas.

Ciceronem quoque affirmat Cæsellius in oratione, quam pro P. Sestio fecit, *dies* scripsisse, pro *diei*. quod ego impensa opera conquisitis veteribus libris plusculis ita, ut Cæsellius ait, scriptum inveni. verba sunt hæc Marci Tullii, *Equites verò daturos illius dies pœnas*. quocirca factum herclè est, ut facile iis credam, qui scripserunt idiographum librum Virgilii sese inspexisse, in quo ita scriptum est: *Georg. I. 208.*

Libra dies somnique pares ubi fecerit horas.

id est, *Libra diei somnique*. sed sicut hoc in loco *dies* à Virgilio scriptum videtur; ita in illo versu nihil dubium est, quin *dii* scripserit pro, *diei*: *Aeneid. VIII. 840.*

Munera lætitiamque dii ——

quod imperitiores, *dei*, legunt ab insolentia scilicet vocis istius abhorrentes. sic autem *dies dii* à veteribus declinatum est; ut, *fames fami*, *pernicies pernicii*, *progenies progenii*, *luxuries luxurii*, *acies acii*. Marcus enim Cato in oratione, quam de bello Karthaginiensi composuit, ita scripsit: *Pueri atque mulieres extrudebantur fami causa.* Lucilius in quintodecimo: *Rugosum atque fami plenum.* Sisenna in historiarum libro sexto. *Romanos inferendæ pernicii causa venisse*. Pacuvius in Paullo:

Pater supreme nostræ progenii patris.

Cn. Matius in Iliadis XXI.

Altera pars acii vitassent fluminis undas.

idem Matius in tertio & vicesimo.

An maneat specii simulachrum in morte silentum.

C. Gracchus de legibus promulgatis; *Ea luxurii causa ajunt institui.* & ibidem infrà ita scriptum est: *Non est ea luxuries, quæ necessario parentur vitæ causa.* per quod apparet eum, ab eo quod est *luxuries*, *luxurii* patrio casu dixisse. Marcus quoque Tullius in oratione, qua Sex. Roscium defendit, *pernicii*, scriptum reliquit. verba hæc sunt. *Quorum nihil pernicii causa divino consilio, sed vi ipsa & magnitudine rerum factum putamus.* aut *facies* ergo in casu patrio, aut *facii* Quadrigarium scripsisse existimandum est. *facie* autem in nullo veteri libro scriptum reperi. In casu autem dandi, qui puriſſimè locuti sunt, non *faciei*, uti nunc dicitur, sed *facie* dixerunt. Lucilius in Satiris:

Primum, inquit, *facie quod honestatis accedit.*

Idem Lucilius in libro septimo:

Qui te diligat, ætatis facieque tuæ se
Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur.

sunt tamen non pauci qui utrubique *facii* legant. sed C. Cæsar in libro de analogia secundo, *hujus die* & *hujus specie*,

specie, dicendum putat. ego quoque in Jugurtha Sallustii summæ fidei & reverendæ vetustatis libro, *die*, casu patrio scriptum inveni. verba hæc ita erant: *Vix decima parte die reliqua.* non enim puto argutiolam istam recipiendam, ut, *die*, dictum quasi, *ex die*, existimemus.

CAP. XV.

De genere controversiæ, quod Græcè ἄπορον appellatur.

CUm Antonio Juliano rhetore, per feriarum tempus æstivarum, decedere ex urbis æstu volentes Neapolim concesseramus. atque ibi erat adolescens tunc quispiam ex ditioribus, cum utriusque linguæ magistris meditans & exercens ad causas Romæ orandas, eloquentiæ Latinæ facultatem. atque is rogat Julianum uti sese audiat declamantem. it auditum Julianus, imusque nos cum eo. simul introit adolescens; & præfatur arrogantius & elatius quàm ætati ejus decebat; ac deinde jubet exponi controversias. aderat ibi nobiscum Juliani sectator, juvenis promtus, & proficiens, & offendens jam in eo quòd ille apud Juliani aures in præcipiti stare & subitaria dictione periculum sui facere audebat. exponit igitur tentamenti gratia controversiam parum consistentem, quod genus Græci ἄπορον vocant; Latinè autem id non nimis incommodè *inexplicabile* dici potest. ea controversia fuit hujuscemodi: *De reo septẽ judices cognoscant, eaque sententia sit rata, quam plures in eo numero dixerint. Quum septem judices cognovissent; duo censuerunt reum exsilio multandum, duo alii pecunia, tres reliqui capite pœniendum. petitur ad supplicium ex sententia trium judicũ: & contradicit.* hac ille audita nec considerata, neque aliis, ut proponerentur, exspectatis, incipit statim mira celeritate in eamdem hanc controversiam principia nescio quæ dicere, & involucra sensuum verborumque volumina vocumque turbas fundere; cæteris omnibus ex cohorte

ejus, qui audire eum soliti erant, clamore magno exsultantibus; Juliano autem malè ac miserè rubente & sudante. sed ubi deblateratis versuum multis milibus finem aliquando fecit, egressique inde sumus; amici familiaresque ejus Julianum prosecuti quidnam existimaret percunctati sunt. atque ibi Julianus festivissimè, *Nolite quærere*, inquit, *quid sentiam: adolescens hic sine controversia disertus est.*

CAP. XVI.

Quòd Plinium Secundum hominem non indoctum fugerit, latueritque vitium argumenti, quod ἀνυπεύθυνον Græci dicunt.

PLINIUS Secundus existimatus est esse ætatis suæ doctissimus. is libros reliquit, quos *Studiosorum* inscripsit; haud medius fidius usquequaque aspernandos. in his libris multa variè ad oblectandas eruditorum hominum auris ponit. refert etiam pleraque sententias, quas, in declamandis controversiis, lepidè argutéque dictas putat. sicut hanc quoque sententiam ponit ex hujuscemodi controversia. *Vir fortis præmio, quod optaverit, donetur. Qui fortiter fecerat, petit alterius uxorem in matrimonium & accepit. is deinde, cujus uxor fuerat, fortiter fecit. repetit eamdem. contradicitur.* Eleganter, inquit, & probabiliter ex parte posterioris viri fortis uxorem sibi reddi postulantis, hoc dictum est: *Si placet lex, redde: si non placet, redde.* Fugit autem Plinium sententiolam istam, quam putavit esse argutissimam, vitio non carere, quod Græcè ἀνυπεύθυνον dicitur. & est vitium insidiosum & sub falsa lemmatis specie latens. nihilo enim minus converti ex contrario idipsum adversus eumdem potest: atque ita à priore illo viro forti dici. *Si placet lex, non reddo: si non placet, non reddo.*

LIBER

LIBER DECIMUS.

CAPUT I.

Tertiumne consul *an* tertio *dici oporteat* : *& quonam modo Cn. Pompejus, quum in theatro, quod erat dedicaturus, honores suos inscriberet, quæstionem ancipitem istius verbi de consilio Ciceronis vitaverit.*

EAmiliari meo cuipiam litteras Athenis Romam misi. in his scriptum fuit me illi jam *tertium* scripsisse. is ad me rescripsit, petivitque ut rationem redderem, cur *tertium*, ac non *tertio* scripsissem. Id etiam adscripsit, ut eâdem, quid super illo quoque mihi videretur, facerem se certiorem; *tertiumne consul* & *quartum*, an *tertio* & *quarto* dicendum esset : quoniam Romæ doctum virum dicere audisset *tertio* & *quarto consul*, non *tertium quartum*que : idque in principio libri Cœlium scripsisse ; & Q. Claudium in libro undeviceſimo, C. Marium creatum septimò consulem, dixisse. Ad hæc ego rescripsi nihil amplius, quam verba M. Varronis hominis, opinor, quàm fuit Claudius cum Cælio, doctioris. quibus verbis utrumque de quo ad me scripserat, decideretur. nam & Varro satis apertè quid dici oporteret edocuit; & ego adversus eum, qui doctus esse dicebatur, litem meam facere absens nolui. Verba M. Varronis, ex libro disciplinarum IV. hæc sunt : *Aliud est quarto prætorem fieri & quartum : quod quarto locum adsignificat ac tres ante factos : quartum tempus adsignificat & ter ante factum. igitur Ennius recte, quòd scripsit :*

Quintus pater quartum fit consul :

& Pompejus timidè : quod in theatro, ne adscriberet, consul tertium aut tertio, extremas litteras non scripsit.

Quod de Pompejo Varro breviter & subobscurè dixit, Tiro Tullius Ciceronis libertus in epistola quadam enarratius scripsit ad hunc ferme modum: *Quum Pompejus*, inquit, *ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vicem theatri essent, nomenque ejus & honores inscriberentur; quæri cœptum est, utrum* consul tertio *inscribendum esset, an* tertium. *eam rem Pompejus exquisitissimè retulit ad doctissimos civitatis. quumque dissentiretur, & pars* tertio, *alii* tertium *scribendum contenderent: rogavit*, inquit, *Ciceronem Pompejus, ut, quod ei rectius videretur, scribi juberet: tum Ciceronem judicare de viris doctis veritum esse; ne, quorum opiniones improbasset, ipsos videretur improbasse. persuasit igitur Pompejo, ut neque* tertium *neque* tertio *scriberetur: sed ad secundum usque* T *fierent litteræ: ut verbo non perscripto res quidem demonstraretur: sed dictio tamen ambigua verbi lateret.* Id autem quod & Varro & Tiro dixerunt; in eodem nunc theatro non est ita scriptum, nam quum multis annis postea scena, quæ prociderat, refecta esset; numerus tertii consulatus, non, uti initio, primoribus litteris, sed tribus tantùm lineolis incisis significatus est. In M. autem Catonis quarta Origine ita scriptum est, *Carthaginienses sextum de fœdere decessere.* id verbum significat quinquies antè eos feciſſe contra fœdus, & tum sextum. Græci quoque in significandis hujuscemodi rerum numeris, τρίτον ἢ τέταρτον dicunt: quod congruit cum eo quod Latinè dicitur, *tertium quartumque.*

CAP. II.

Quid Aristoteles de numero puerperii memoriæ mandaverit.

ARistoteles philosophus memoriæ tradidit mulierem in Ægypto uno partu quinque enixam pueros; eumque esse finem dixit multijugæ hominum partionis; neque

neque plures unquam simul genitos compertum. hunc autem esse numerum ait rarissimum. sed &, divo Augusto imperante, qui temporum ejus historiam scripserunt, ancillam Cæsaris Augusti in agro Laurente peperisse quinque pueros dicunt; eosque pauculos dies vixisse: matrem quoque eorum, non multo post quàm peperit, mortuam; monumentumque ei factum, jussu Augusti, in via Laurentina; inque eo scriptum esse numerum puerperii ejus, de quo diximus.

CAP. III.

Locorum quorundam illustrium collatio contentioque facta ex orationibus C. Gracchi & M. Ciceronis & M. Catonis.

FOrtis ac vehemens orator existimatur esse C. Gracchus. nemo id negat. sed quod nonnullis videtur severior, acrior, ampliorque esse M. Tullio; ferri id quî potest? Legebamus adeò nuper orationem Gracchi de legibus promulgatis, in qua M. Marium & quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per injuriam cæsos à magistratibus populi Romani, quanta maxima invidia potest, conqueritur. Verba hæc sunt, quæ super ea re fecit. *Nuper Teanum Sidicinum consul venit; uxor edixit se in balneis virilibus lavari velle. quæstori Sidicino à M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur qui lavabantur. uxor renunciat viro parum citò sibi balneas traditas esse, & parum lautas fuisse; idcirco palus destitutus est in foro: eoque adductus suæ civitatis nobilissimus homo M. Marius. vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt, nequis in balneis lavisse vellet, quum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eamdem causam prætor noster quæstores arripi jussit, alter se de muro dejecit: alter prehensus & virgis cæsus est.* in tam atroci re, ac tàm misera atque mœsta injuriæ pe-

blicæ conteſtatione, & quid eſt quod aut ampliter inſigniterque, aut lacrymosè atque miſeranter, aut multa copioſaque invidia, gravique & penetrabili querimonia dixerit? brevitas ſanè & venuſtas & mundities orationis eſt, qualis haberi fermè in comœdiarum feſtivitatibus ſolet. Item Gracchus alio in loco ita dicit; *Quanta libido quantaque intemperantia ſit hominum aduleſcentium, unum exemplum vobis oſtendam. his annis paucis ex Aſia miſſus eſt, qui per id tempus magiſtratum non ceperat, homo aduleſcens pro legato. is in lectica ferebatur. ei obviam bubulcus de plebe Venuſinæ advenit, & per jocum, quum ignoraret qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent. ubi id audivit; lecticam juſſit deponi: ſtruppis, quibus lectica deligata erat, uſque adeò verberari juſſit, dum animam efflavit.* Hæc quidem oratio ſuper tam violento atque crudeli facinore nihil profectò abeſt à cotidianis ſermonibus. At, quum in ſimili cauſa, apud M. Tullium cives Romani innocentes viri, contra jus contraque leges, virgis cæduntur aut ſupplicio extremo necantur, quæ ibi tunc miſeratio? quæ comploratio? quæ totius rei ſub oculos ſubjectio? quod & quale invidiæ atque acerbitatis fretum efferveſcit? animum herclè meum, quum illa M. Ciceronis lego, imago quædam & ſonus verborum & vocum & ejulationum circumplectitur. Velut ſunt iſta quæ de C. Verre dicit: quæ nos, ut in præſens potuimus, quantum memoria ſuppeditabat, adſcripſimus. *Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum venit. ardebant oculi. toto ex ore crudelitas eminebat. exſpectabant omnes, quò tandem progreſſurus aut quidnam acturus eſſet: quum repente hominem proripi atque foro medio nudari ac deligari & virgas expediri jubet.* Jam hæc medius fidius ſola verba, *nudari ac deligari & virgas expediri jubet*, tanti motus horroriſque ſunt, ut non narrari, quæ geſta ſunt, ſed rem geri prorſus videas. Gracchus autem non querentis neque implorantis,

tis, sed nunciantis vicem, *Palus*, inquit, *in foro destitutus est. vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est.* sed enim M. Cicero præclarè, cum diutina repræsentatione, non *cæsus est*, sed *cædebatur*, inquit, *virgis in medio foro Messanæ civis Romanus: quum interea nullus gemitus, nulla vox illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: Civis Romanus sum. hac commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur.* complorationem deinde tam acerbæ rei, & odium in Verrem detestationemque apud civis Romanos incensè atque acriter atque inflammanter facit, quum hæc dicit: *ô nomen dulce libertatis! ô jus eximium nostræ civitatis! ô lex Porcia legesque Semproniæ! ô graviter desiderata & aliquando reddita plebi Romanæ tribunicia potestas! huccine tandem hæc omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces ac securis haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? quid quum ignes ardentesque lamina cæterique cruciatus admovebantur? si te acerba illius imploratio & vox miserabilis non leniebat: ne civium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu gemituque maximo commovebare?* hæc M. Tullius atrociter, graviter, copiosè aptéque miseratus est. sed si quis est tam agresti aure ac tam hispida, quem lux ista & amœnitas orationis, verborumque modificatio parum delectat; amat autem priora idcirco, quòd incompta & brevia & non operosa, sed nativa quadam suavitate sunt, quodque in his umbra & color quasi opacæ vetustatis est: is, si quid judicii habet, consideret in causa pari M. Catonis, hominis antiquioris, orationem: ad cujus vim & copiam Gracchus nec adspiravit. intelliget, opinor, Catonem contentum eloquentia ætatis suæ non fuisse; & id jam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. In eo namque libro, qui *de falsis pugnis* inscriptus est,

ita de Q. Thermo conqueſtus eſt: *Dixit a decemviris parum ſibi bene cibaria curata eſſe. juſſit veſtimenta detrahi, atque flagro cædi. decemviros Bruttiani verberavere. vidêre multi mortales. quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc ſervitutem ferre poteſt? nemo hoc rex auſus eſt facere; eane fieri bonis bono genere gnatis boni conſulitis? ubi ſocietas? ubi fides majorum? inſignitas injurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas, per dedecus atque maximam contumeliam, inſpectantibus popularibus ſuis atque multis mortalibus, te facere auſum eſſe? ſed quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrumarum, quantum fletum factum audivi? ſervi injurias nimis ægre ferunt. quid illos bono genere gnatos, magna virtute præditos, opinamini animi habuiſſe atque habituros dum viverent?* Quod Cato dixit, *Bruttiani verberavere*; ne qui fortaſſe de *Bruttianis* requirat, id ſignificat. Quum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia eſſet, & aliquot pugnas populus Romanus adverſas pugnaviſſet; primi totius Italiæ Bruttii ad Hannibalem deſciverunt. id Romani ægrè paſſi, poſtquam Hannibal Italia deceſſit ſuperatique Pœni ſunt, Bruttios ignominiæ cauſa non milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant, ſed magiſtratibus in provincias euntibus parere & præminiſtrare, ſervorum vicem, juſſerunt. itaque hi ſequebantur magiſtratus, tamquam in ſcenicis fabulis qui dicebantur lorarii; &, quos erant juſſi, vinciebant aut verberabant. quod autem ex Bruttiis erant, appellati ſunt *Bruttiani*.

CAP. IV.

Quod P. Nigidius argutiſſime docuit nomina non poſitiva eſſe, ſed naturalia.

NOmina verbaque non poſitu fortuito, ſed quadam vi ratione naturæ facta eſſe P. Nigidius in grammaticis

maticis commentariis docet; rem sanè in philosophiæ dissertationibus celebrem. quæri enim solitum apud philosophos, φύσει τὰ ὀνόματα sint, ἢ θέσει. in eam rem multa argumenta dicit, cur videri possint verba esse naturalia magis quàm arbitraria. ex quibus hoc visum est lepidum & festivum. *Vos*, inquit, *quum dicimus: motu quodam oris conveniente cum ipsius verbi demonstratione utimur, & labias sensim primores emovemus, ac spiritum atque animam porrò versum & ad eos, quibuscum sermocinamur, intendimus. at contrà quum dicimus, nos; neque profuso intentoque flatu vocis, neque projectis labris pronunciamus: sed & spiritum & labias quasi intra nosmetipsos coërcemus. hoc fit idem & in eo quod dicimus, tu & ego, & tibi & mihi. nam sicuti, quum adnuimus & abnuimus, motus quidam ille vel capitis vel oculorum a natura rei, quam significat, non abhorret: ita in his vocibus quasi gestus quidam oris & spiritus naturalis est. eadem ratio est in Græcis quoque vocibus, quam esse in nostris animadvertimus.*

CAP. V.

Avarus *simplexne vocabulum sit, an compositum & duplex, sicut P. Nigidio videtur.*

AVarus non simplex vocabulum, sed junctum copulatumque esse Nigidius dicit in commentariorum undetricesimo. *Avarus enim*, inquit, *appellatur qui avidus æris est. sed in ea copula*, e, inquit, *littera detrita est. item locupletem dictum* ait *ex compositis vocibus, qui pleraque loca, hoc est, qui multas possessiones teneret.* sed probabilius id firmiusque est, quod de *locuplete* dixit. nam de *avaro* ambigitur. cur enim non videri possit ab uno solùm verbo inclinatum, quod est *aveo*; eademque fictura, qua est *amarus?* de quo nihil dici potest, quin duplex non sit.

CAP.

CAP. VI.

Multam dictam esse ab Ædilibus plebei Appii Cæci filiæ mulieri nobili, quòd locuta esset petulantius.

NOn in facta modò, sed in voces etiam petulantiores publicè Romæ vindicatum est. ita enim debere esse visa est Romanæ disciplinæ dignitas inviolabilis. Appii namque illius Cæci filia à ludis, quos spectaverat, exiens, turbâ undique confluentis fluctuantisque populi jactata est: atque inde egressa quum se malè habitam diceret; *Quid me nunc factum esset*, inquit, *quantoque artius pressiusque conflictata essem, si P. Claudius frater meus navali prælio classem navium cum ingenti civium numero non perdidisset? certè quidem majore nunc copia populi oppressa intercidissem. sed utinam*, inquit, *revivisçat frater, aliamque classem in Siciliam ducat: atque istam multitudinem perditum eat, quæ me malè nunc miseram convexavit.* Ob hæc mulieris verba tam improba ac tam incivilia, C. Fundanus & Tib. Sempronius Ædiles plebei multam dixerunt ei æris gravis viginti quinque milia. id factum esse dicit Capito Atejus in commentario de judiciis publicis, bello Pœnico primo, Fabio Licino & Otacilio Crasso consulibus.

CAP. VII.

Fluminum, quæ ultra imperium Romanum fluunt prima magnitudine esse Nilum, secunda Histrum, proxima Rhodanum, sicuti M. Varronem memini scribere.

OMnium fluminum quæ in maria, qua imperium Romanum est, fluunt, quam Græci τῶν ἔξω ἁλῶν appellant, maximum esse Nilum consentitur: proxima magnitudine esse Histrum scripsit Sallustius. Varro autem quum de parte orbis, quæ Europa dicitur, disse-

dissereret, in tribus primis ejus terræ fluminibus Rhodanum esse ponit. per quod videtur eum facere Histro æmulum. Histrus enim quoque in Europa fluit.

CAP. VIII.

Inter ignominias militares, quibus milites coërcebantur, fuisse sanguinis dimissionem, & quænam esse videatur causa hujuscemodi castigationis.

FUit hæc quoque antiquitus militaris animadversio, jubere ignominiæ causa militi venam solvi & sanguinem dimitti; cujus rei ratio in litteris veteribus, quas equidem invenire potui, non extant. sed opinor factum hoc primitùs in militibus stupentis animi atque à naturali habitu declinantis: ut non tam pœna quàm medicina videretur. posteà tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem; quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent.

CAP. IX.

Quibus modis quoque habitu acies Romana instrui solita sit; quæque earum instructionum sint vocabula.

VOcabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet, *frons*, *subsidia*, *cuneus*, *orbis*, *globus*, *forfices*, *serra*, *alæ*, *turres*. hæc & quædam item alia invenire est in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt. tralata autem sunt ab ipsis rebus, quæ ita propriè nominantur: earumque rerum in acie instruenda sui cujusque vocabuli imagines ostenduntur.

CAP.

CAP. X.

Quæ ejus rei causa sit, quod & Græci veteres & Romani annulum in eo digito gestaverunt, qui est in manu sinistra minimo proximus.

VEteres Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoque homines ajunt sic plerumque annulis usitatos. causam esse hujus rei Appion in libris Ægyptiacis hanc dicit: quod insectis apertisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est nervum quemdam tenuissimum ab eo uno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac pervenire: propterea non insscitum visum esse eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur.

CAP. XI.

Verbum, maturè, *quid significet, quæque vocis ejus ratio sit; & quòd eo verbo vulgus hominum impropriè utitur: atque inibi quòd* præcox *declinatum* præcocis *facit, non* præcoquis.

MAturè nunc significat *propere* & *cito*, contra ipsius verbi sententiam. aliud enim est *mature*, quàm quod dicitur *propere*. propterea P. Nigidius homo in omnium bonarum artium disciplinis egregius, *Mature*, inquit, *est quod neque citius est neque serius: sed medium quiddam & temperatum est*. bene atque propriè Nigidius. nam & in frugibus & in pomis *matura* dicuntur, quæ neque cruda & immitia sunt, neque caduca & decocta, sed tempore suo adulta maturaque. quoniam autem id, quod non segniter fiebat, *mature* fieri dicebatur,

tur, progressa plurimum verbi significatio est; & non jam quod non segnius, sed quod festinatius fit id fieri *mature* dicitur; quando ea, quæ præter sui temporis modum properata sunt, *immatura* verius dicantur. Illud verò Nigidianum rei atque verbi temperamentum divus Augustus duobus Græcis verbis elegantissimè exprimebat. namque & dicere in sermonibus & scribere in epistolis solitum esse ajunt, σπεῦδε βραδέως. per quod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur & industriæ celeritas & diligentiæ tarditas. ex quibus duobus contrariis fit *maturitas*. Virgilius quoque, si quis animum attendat, duo ista verba *properare* & *maturare* tamquam planè contraria scitissime separavit in hisce versibus:

Frigidus agricolam siquando continet imber,
Multa forent, quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur.

elegantissimè ista duo verba divisit. namque in præparatu rei rusticæ per tempestates pluvias, quoniam otium est, maturari potest: per serenas, quoniam tempus instat, properari necessum est. Quum significandum autem est coactius quid factum & festinatius, tum rectius *præmature* factum id dicitur, quam *mature*. sicut Afranius dixit in togata, cui titulus nomen est:

Appetis dominatum demens præmature præcocem.

in quo versu animadvertendum est, quod *præcocem* inquit, non *præcoquem*. est enim casus ejus rectus non *præcoquis*, sed *præcox*.

CAP. XII.

De portentis fabularum quæ Plinius Secundus indignissime in Democritum philosophum confert: ibidem de simulacro volucri columbæ.

LIbrum esse Democriti nobilissimi philosophorum de vi & natura chamæleontis; eumque se legisse Plinius

Plinius Secundus in naturalis historiæ vicesimo octavo refert; multaque vana atque intoleranda auribus deinde quasi à Democrito scripta tradit, ex quibus pauca hæc inviti meminimus, quia pertæsum est. Accipitrem avium rapidissimum à chamæleonte humi reptante, & si eum forte supervolet, detrahi & cadere vi quadam in terram; cæterisque avibus laniandum sponte sua objicere sese & dedere. Item aliud ultra humanam fidem. caput & collum chamæleontis si uratur ligno, quod appellatur *robur*, imbres & tonitrus fieri derepente; idque ipsum usu venire, si jecur ejusdem animalis in summis tegulis uratur. Item aliud, quod herclè an ponerem dubitavi, ita est deridiculæ vanitatis: nisi idcirco plane posui, quòd oportuit nos dicere quid de istiusmodi admirationum fallaci illecebra sentiremus, quia pleraque capiuntur & ad perniciem elabuntur ingenia maximè sollertia, eaque potissimum, quæ discendi cupidiora sunt. sed redeo ad Plinium. sinistrum pedem ait chamæleontis ferro ex igni calefacto torreri cum herba, quæ appellatur eodem nomine chamæleontis, & utrumque macerari unguento, colligique in modum pastilli, atque in vas mitti ligneum, & eum, qui id vas ferat, etiam si is in medio palam versetur, à nullo videri posse. His portentis atque præstigiis à Plinio Secundo scriptis non dignum esse cognomen Democriti puto. Vel illud quale est, quod idem Plinius in decimo libro Democritum scripsisse asseverat? aves quasdam esse certis vocabulis; & earum avium confuso sanguine gigni serpentem; eum si quis ederit, linguas avium & colloquia interpretaturum. Multa autem videntur ab hominibus istis malè sollertibus hujuscemodi commenta in Democriti nomen data nobilitatis auctoritatisque ejus perfugio utentibus. Sed id quod Archytam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur, neque minus admirabile neque tamen vanum æquè videri debet. nam & plerique nobilium

lium Græcorum & Favorinus philosophus memoriarum veterum exsequentissimus affirmatissimè scripserunt, simulachrum columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse. ita erat scilicet libramentis suspensum & aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Libet herclè, super re tam abhorrenti à fide, ipsius Favorini verba ponere: Ἀρχύτας Ταραντῖνος, φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικὸς ὤν, ἐποίησε περιστερὰν ξυλίνην, πετομένην. ἥτις εἴποτε καθίσειεν, οὐκέτι ἀνίστατο μέχρι τοῦ τούτου.

CAP. XIII.

Cum partim hominum, *qua ratione veteres dixerint.*

P*Artim hominum venerunt*, plerumque dicitur quod significat *pars hominum venit*, id est, quidam homines. nam *partim*, hoc in loco adverbium est: neque in casus inclinatur, sicuti *cum partim hominum*, dici potest, id est, cum quibusdam hominibus, & quasi cum quadam parte hominum. M. Cato in oratione de re Floria ita scripsit: *Ibi pro scorto fuit, in cubiculum surrectitavit è convivio, cum parttm illorum jam sæpe ad eumdem modum erat.* Imperitiores autem *cum parti* legunt, tamquam declinatum sit quasi vocabulum, non dictum quasi adverbium. sed Q. Claudius in vicesimo primo annali insolentius paulo hac figura est ita usus. *Enim cum partim copiis hominum adolescentem placentem sibi.* itemque Claudii in vicesimo tertio annali verba hæc sunt: *Sed idcirco me fecisse, quod utrum negligentia partim magistratuum, an avaritia, an calamitate populi Romani evenisse dicam nescio.*

CAP. XIV.

Injuria mihi factum itur, *quali verborum ordine Cato dixerit.*

AUdio, *illi injuriam factum iri*, audio *contumeliam dictum iri*, vulgo quoque ita dici, vulgo & istam esse verborum figuram jam in medio loquendi usu: idcircoque exemplis supersedeo. sed *contumelia illi*, vel *injuria factum itur*, paulo est remotius: exemplum igitur ponemus. M. Cato pro se contra C. Cassium. *Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quæ mihi per hujusce petulantiam factum itur, rei quoque publicæ medius fidius miserear, Quirites.* sicut autem, *contumeliam factum iri*, significat iri ad contumeliam faciendam, id est, operam dari quo fiat; ita *contumelia mihi factum itur*, casu tantùm immutato idem dicit.

CAP. XV.

De flaminis Dialis deque flaminicæ cærimoniis: verbaque ex edicto prætoris apposita, quibus dicit non coacturum se ad jurandum, neque virgines Vestæ neque Dialem.

CÆrimoniæ impositæ flamini Diali multæ, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus. unde hæc fermè sunt, quæ commeminimus. *Equo Dialem flaminem vehi religio est: classem procinctam extra pomœrium*, id est, *exercitum armatum, videre. idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, quum bella consulibus mandabantur. item jurare Dialem fas numquam est. item annulo uti nisi pervio cassoque fas non est. ignem è flaminia, id est, flaminis Dialis domo, nisi in sacrum efferri jus non est. vinctum, si ædes ejus introierit, solvi necessum est: & vincula per impluvium*

pluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti. nodum in apice neque in cinctu neque alia in parte ullum habet. si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes ejus supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonset. capram & carnem incoctam & ederam & fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. propagines è vitibus altius prætentos non succidet, pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet; & de eo lecto trinoctium continuum non decubat: neque in eo lecto cubare alium fas est, neque apud ejus lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferro oportet. unguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. Dialis cotidie festatus est. sine apice sub divo esse licitum non est: sub tecto uti liceret, non pridem à pontificibus constitutum. Massurius Sabinus scripsit, & alia talia quædam remissa: gratiamque aliquot cærimoniarum factam dicit. *farinam fermento imbutam attingere ei fas non est. tunicam intimam, nisi in locis tectis, non exuit, ne sub cœlo, tamquam sub oculis Jovis, nudus sit. super flaminem Dialem in convivio, nisi rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit. uxorem si amisit, flaminio decedit. matrimonium flaminis nisi morte dirimi non est jus. locum, in quo bustum est, numquam ingreditur. mortuum numquam attingit. funus tamen exsequi non est religio. Eædem ferme cærimoniæ sunt, quas flaminicas Diales seorsum ajunt observitare. veluti est; quòd venenato operitur, & quòd in rica furculum de arbore felici habet: & quòd scalas, nisi quæ Græcæ appellantur, eas escendere ei plus tribus gradibus religiosum est: atque etiam quum it ad Argeos quòd neque comit caput neque capillum depectit.* Verba prætoris ex edicto perpetuo de flamine Diali & de sacerdote Vestæ adscripsi. SACERDOTEM. VESTALEM. ET. FLAMINEM. DIALEM. IN. OMNI. MEA. JURISDICTIONE. JURARE. NON. COGAM. Verba M. Varronis ex se-

cundo rerum divinarum super flamine Diali hæc sunt. *Is solus album habet galerum; vel quòd maximus est, vel quòd Jovi immolata hostia alba fieri oporteat.*

CAP. XVI.

Quos errores Julius Higinus in sexto Virgilii animadverterit in historia Romana erratos.

REprehendit Higinus Virgilium, correcturumque eum fuisse existimat, quòd in libro sexto scriptum est. Palinurus est apud inferos petens ab Ænea ut suum corpus requirendum & sepeliendum curet. is hoc dicit.

Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portusque require Velinos.

quo, inquit, modo aut Palinurus novisse & nominare potuit portus Velinos, aut Æneas ex eo nomine locum invenire, quum Velia oppidum, à quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Servio Tullio Romæ regnante, post annum amplius sexcentesimum, quàm Æneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano & eo nomine appellatum est? nam qui ab Harpalo, inquit, regis Cyri præfecto ex terra Phocide fugati sunt, alii Veliam, partim Massiliam condiderunt. inscitissimè igitur petit ut Æneas portum Velinum requirat, quum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentium. neque simile, inquit, illud videri debet, quod est in primo carmine;

Italiam fato profugus Lavinaque venit
Litora.

& æquè in sexto libro:

Chalcidicaque levis tandem superadstitit arce.

quoniam poëtæ ipsi quædam κατὰ πρόληψιν historiæ dicere ex sua persona concedi solet, quæ facta ipse postea scire potuit: sicut Virgilius scivit de Lavinio oppido & de colonia Chalcidicensi. sed Palinurus quî potuit, inquit, scire

scire ea quæ post annos sexcentos facta sunt? nisi quis eum divinasse apud inferos putat, proinde ut animæ defunctorum solent. sed & si ita accipias, quamquam non ita dicitur, Æneas tamen, qui non divinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum usquam fuit? item hoc quoque in eodem libro reprehendit, & correcturum esse Virgilium putat, nisi mors occupasset. nam quum Thesea, inquit, inter eos nominasset, qui ad inferos adissent ac rediissent; dixissetque,

—— *Quid Thesea, magnum*
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Jove summo est.

postea tamen infert;

—— *sedet, æternumque sedebit*
Infelix Theseus.

qui autem, inquit, fieri potest, ut æternum apud inferos sedeat, quem supra cum iis commemorat, qui descenderint illuc, atque inde rursum euaserint: præsertim quum ita sit fabula de Theseo, atque si Hercules eum evellerit de petra & in lucem ad superos eduxerit. Item in his versibus errasse Virgilium dixit:

Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli;
Vltus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.

confudit, inquit, & personas diversas & tempora. nam neque eodem tempore neque per eosdem homines cum Achæis & cum Pyrrho bellatum est. Pyrrhus enim, quem dicit Æaciden, de Epiro in Italiam transgressus cum Romanis depugnavit adversus M. Curium in eo bello ducem: Argium autem bellum, id est, Achaïcum, multis post annis à L. Mummio Imperatore gestum est. potest, inquit, igitur medius eximi versus, qui de Pyrrho importunè immissus est; quem Virgilius proculdubio exemturus, , inquit, fuit.

CAP. XVII.

Quam ob causam & quali modo Democritus philosophus luminibus oculorum sese privaverit. super ea re versus Laberii purè admodum & venustè facti.

DEmocritum philosophum in monumentis historiæ Græcæ scriptum est, virum præter alios venerandum, auctoritateque antiqua præditum, luminibus oculorum sua sponte se privasse; quia existimaret cogitationes commentationesque animi sui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, si eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberasset. Id factum ejus modumque ipsum, quo cæcitatem facile sollertia subtilissima conscivit, Laberius poëta in mimo, quem scripsit Restionem, versibus quidem satis mundè atque graphicè factis descripsit; sed causam voluntariæ cæcitatis finxit aliam: vertitque in eam rem quam tum agebat, non inconcinniter. est enim persona, quæ hæc apud Laberium dicit, divitis avari & parci sumtum plurimum asotiamque adolescentis viri deplorantis. Versus Laberiani sunt:

Democritus Abderites physicus philosophus
Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut posset splendore æreo.
Ita radiis solis aciem effodit luminis,
Malis bene esse ne videret civibus.
Sic ego fulgentis splendorem pecuniæ
Volo elucificare exitum ætati meæ;
Ne in re bona esse videam nequam filium.

CAP.

CAP. XVIII.

Historia de Artemisia, déque eo certamine quod apud Mausoli sepulchrum a scriptoribus inclutis decertatum est.

ARtemisia Mausolum virum amasse fertur supra omnis amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem. Mausolus autem fuit, ut M. Tullius ait, rex terræ Cariæ; ut quidam Græcarum historiarum scriptores, provinciæ Græciæ præfectus. satrapen Græci vocant. is Mausolus ubi fato perfunctus inter lamenta & manus uxoris funere magnifico sepultus est; Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans uxor ossa cineremque ejus mixta odoribus contusaque in faciem pulveris aquæ indidit, ebibitque: multaque alia violenti amoris indicia feciſse dicitur. molita quoque est ingenti impetu operis, conservandæ mariti memoriæ, sepulchrum illud memoratissimum, dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. id monumentum Artemisia quum Dis Manibus Mausoli dicaret; ἀγῶνα, laudibus ejus dicundis, facit; ponitque præmia pecuniæ aliarumque rerum bonarum amplissima. ad eas laudes decertandas veniſse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabili Theopompus, Theodectes, Naucrites. sunt etiam qui Isocratem ipsum cum iis certaviſse memoriæ mandaverint. sed eo certamine viciſse Theopompum judicatum est. is fuit Isocratis discipulus. exstat nunc quoque Theodecti tragœdia, quæ inscribitur, Mausolus: in qua eum magis quàm in prosa placuiſse Higinus in exemplis refert.

CAP. XIX.

Non purgari neque lavari peccatum, dum prætenditur peccatorum, quæ alii quoque peccaverunt, similitudo.

INcessebat quempiam Taurus philosophus severa atque vehementi objurgatione adolescentem à rhetoribus & à facundiæ studio ad disciplinas philosophiæ transgressum. quod factum quidem esse ab eo diceret inhonestè & improbè. At ille non ibat inficias fecisse, sed id solitum esse fieri defendebat; turpitudinemque delicti exemplorum usu & consuetudinis venia deprecabatur. atque ibi Taurus isto ipso defensionis genere irritatior, Homo, inquit, stulte & nihili; si te à malis exemplis auctoritates & rationes philosophiæ non adducunt, ne illius quidem Demosthenis vestri sententiæ tibi in mentem venit? quæ, quia lepidis & venustis vocum modis vincta est, quasi quædam cantilena rhetorica, facilius adhærere memoriæ tuæ potuit. nam si me, inquit, non fallit, quod quidem in primore pueritia legerim, verba hæc sunt Demosthenis, adversus eum, qui, ut tu nunc facis, peccatum suum peccatis alienis exemtum purgatumque ibat. σὺ δὲ μὴ λέγε, ὡς γέγονεν οὕτω πολλάκις. ἀλλ' ὡς προσήκει γίγνεσθαι. οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτο ἐμιμήσω, διὰ τοῦτο ἀποφύγοις ἂν δικαίως. ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον ἀλίσκοιο. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκείνων προήλῳ, σὺ τὰ δ' οὐκ ἂν ἔγραψας, οὕτως, ἂν σὺ νῦν ἁλῶς, ἄλλος οὐ γράψει. Sic Taurus omni suasionum admonitionumque genere utens sectatores suos ad rationes bonæ inculpatæque indolis ducebat.

CAP. XX.

Quid sit rogatio, *quid* lex, *quid* plebiscitum, *quid* privilegium, *& quantum ista omnia differant.*

QUæri audio, quid *lex* sit, quid *plebiscitum*, quid *rogatio*, quid *privilegium*. Atejus Capito publici privatique juris peritissimus, quid *lex* esset, hisce verbis definivit. *Lex*, inquit, *est generale jussum populi aut plebis rogante magistratu.* Ea definitio si probè facta est, neque de imperio Cn. Pompeji, neque de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæstio, neque alia id genus populi plebisve jussa, *leges* vocari possunt. non sunt enim generalia jussa; neque de universis civibus, sed de singulis concepta: quocirca privilegia potius vocari debent. quia veteres *priva* dixerunt, quæ nos *singula* dicimus. quo verbo Lucilius in primo satirarum libro usus est.

— *abdomina thynni*
Advenientibus priva dabo cephalæaque carne.

Plebem autem Capito in eadem definitione seorsum à populo divisit: quoniam in populo omnis pars civitatis omnesque ejus ordines contineantur. plebes verò ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non insunt. *plebiscitum* igitur est, secundùm eum Capitonem, lex quam plebes, non populus, accipit. sed totius hujus rei juriisque, sive quum populus, sive quum plebes rogatur, sive quod ad universos pertinet, caput ipsum & origo & quasi fons *rogatio* est. ista enim omnia vocabula censentur *rogationis* principali genere & nomine continenturque. nam, nisi populus aut plebes rogetur, nullum plebis aut populi jussum fieri potest. Sed quamquam hæc ita sunt, in veteribus tamen scriptis non magnam vocabulorum istorum differentiam esse animadvertimus. nam *& plebiscita & privilegia* translato nomine *leges* appellaverunt;

laverunt; eademque omnia confuso & indistincto vocabulo *rogationes* dixerunt.* Sallustius quoque proprietatum in verbis retinentissimus consuetudini concessit; & *privilegium*, quod de Cn. Pompeji reditu ferebatur, *legem* appellavit. verba ex secunda ejus historia hæc sunt. *Nam Sullam consulem de reditu ejus legem ferentem ex composito T R. P L. C. Herennius prohibuerat.*

* Lege Fest. in v. Rogatio.

CAP. XXI.

Quam ob causam M. Cicero his omnino verbis novissimè, *&* novissimus, *uti observantissimè vitarit.*

NOn paucis verbis, quorum frequens usus est nunc & fuit, M. Ciceronem noluisse uti manifestum est, quòd ea non probaret. velut est & *novissimus* & *novissime*. nam quum & M. Cato & Sallustius & alii quoque ætatis ejusdem verbo isto promiscè usitati sint; multi etiam non indocti viri in libris id suis scripserint: abstinuisse eo tamen tamquam non Latino videtur. quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat L. Ælius Stilo ut novo & improbo verbo uti vitaverat. propterea quid M. quoque Varro de ista voce existimaverit, verbis ipsius ex libro de lingua Latina ad Ciceronem sexta demonstrandum putavi: *Quod extremum*, inquit, *dicebatur, dici novissimum cœptum vulgo. quod mea memoria ut Ælius, sic senes alii, quod nimium novum verbum esset, vitabant. cujus origo ut à vetere vetustius ac veterrimum, sic à novo declinatum novius & novissimum.*

CAP.

CAP. XXII.

Locus exemtus ex Platonis libro, qui inscribitur Gorgias, *de falsæ philosophiæ probris: quibus philosophos temerè incessunt, qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant.*

PLato veritatis homo amicissimus, ejusque omnibus exhibendæ promtissimus, quæ omnino dici possint in desides istos ignavosque, qui obtento philosophiæ nomine inutile otium & linguæ vitæque tenebras sequuntur, ex persona quidem non gravi, neque idonea, verè tamen ingenueque dixit. nam & si Callicles, quem dicere hæc facit, veræ philosophiæ ignarus, inhonesta indignaque in philosophos confert: proinde tamen accipienda sunt quæ dicuntur, ut nos sensim moveri intelligamus, ne ipsi quoque culpationes hujuscemodi mereamur, neve inerti inanique desidia cultum & studium philosophiæ mentiamur. Verba ipsa super hac re Platonis ex libro, qui appellatur Gorgias, scripsi; quoniam vertere ea consilium non fuit: quum ad proprietates eorum nequaquam possit Latina oratio adspirare, ac multo minus etiam mea.

Φιλοσοφία γάρ τοι ἐστὶν, ὦ Σώκρατες, χάριεν, ἄν τις αὐτῇ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ. ἐὰν ᾖ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. ἐὰν γὰρ καὶ πάνυ εὔφυὴς ᾖ, καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας φιλοσοφῇ, ἀνάγκη πάντων ἄπειρον γενόμενα εἶναι, ὧν χρὴ ἔμπειρον εἶναι τὸν μέλλοντα καλὸν κἀγαθὸν καὶ εὐδόκιμον ἔσεσθαι ἄνδρα. καὶ γὰρ τῶν νόμων ἄπειροι γίγνονται τῶν κατ' τὴν πόλιν, καὶ τῶν λόγων, οἷς δεῖ χρώμενον ὁμιλεῖν ἐν τοῖς συμβολαίοις τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ. καὶ τῶν ἡδονῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν τῶν ἀνθρωπείων. καὶ συλλήβδην, τῶν ἠθῶν παντάπασιν ἄπειροι γίγνονται. ἐπὰν δὲ ἔν ἔλθωσιν εἰς πρᾶξιν ἰδίαν ἢ πολιτικὴν πρᾶξιν, καταγέλαστοι γίγνονται. ὥσπερ γε, οἶμαι, οἱ πολιτικοὶ, ἐπὰν αὖ εἰς τὰς

ὑμετέρας

ὑμετέρας Δημητριάδας ἔλθωσι καὶ τὰς λόγους, καταγέλαστοι εἰσι. συμβαίνει γὰρ τὸ ὑπ' Εὐριπίδε.

Λαμπρός τε ἐστὶν ἕπαστος ἐν τούτῳ, κἀπὶ τοῦτ' ἐπείχεπεν.
Νέμων τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος
Ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνῃ βέλτιστος ὤν.

ἔστι δ' ἂν φαῦλος ἢ, ἐντεῦθεν φθίνει, καὶ λοιδορεῖ τούτῳ. τὸ δ' ἕτερον ἐπαινεῖ σύνοιά τῇ ἑαυτοῦ, ἡγέμων ὅτως αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπαινεῖν. ἀλλ' οἶμαι, τὸ ὀρθότατόν ἐστιν, ἀμφοτέρων μεταλαχεῖν. φιλοσοφίας μὲν, ὅσον παιδείας χάριν, καλὸν μετέχειν, καὶ σὺκ αἰσχρὸν μέντοι καὶ ὄνειδος φιλοσοφεῖν. ἐπειδὰν δὲ ἤδη πρεσβύτερος ὢν ἄνθρωπος ἐπὶ φιλοσοφεῖ, καταγέλαστον, ὦ Σώκρατες, τὸ χρῆμα γίνεται. καὶ ἔγωγε ὁμοιότατον πάσχω πρὸς τοὺς φιλοσοφοῦντας, ὥσπερ πρὸς τοὺς φλυαροῦντας καὶ παίζοντας. ὅταν μὲν γὰρ παιδίον ἴδω ὢν ἔτι πρόσηκα μαλακῶς, ἅτε φλυαροῦν καὶ παῖζον, χαίρω τε, καὶ χαρίεν μοι φαίνεται καὶ ἐλεύθερον καὶ πρέπον τῇ δὲ παιδὸς ἡλικίᾳ. ὅταν δὲ σαφῶς μαλακὸν παιδαρίου ἀκούσω, πικρόν τι μοι δοκεῖ χρῆμα εἶναι. καὶ ἀνιᾷ με τὰ ὦτα καί μοι δοκεῖ δυσπρεπές τι εἶναι. ὅταν δὲ ἀνδρὸς ἀκούσῃ τις φλυαροῦντος, ἢ παίζοντος ὁρᾷ, καταγέλαστον φαίνεται, καὶ ἀνανδρον, καὶ πληγῶν ἄξιον. ταυτὸν ἔν ἔγωγε τοῦτο πάσχω καὶ πρὸς τοὺς φιλοσοφοῦντας. πρὸς νέον μὲν γὰρ μετρίως ἐρῶν φιλοσοφίαν, ἄγαμαι, καὶ πρέπειν μοι δοκεῖ, καὶ ἡγοῦμαι ἐλεύθερόν τινα εἶναι τοῦτον τὸν ἄνθρωπον. τὸν δὲ μὴ φιλοσοφοῦντα, ἀνελεύθερον, καὶ οὐδέποτε οὐδενὸς ἀξιώσοντα ἑαυτόν, ὅτε καλῶς, ὅτε γυναικὸς πράγματος. ὅταν δὲ δὴ πρεσβύτερον ἴδω ἔτι φιλοσοφοῦντα, καὶ μὴ ἀπαλλαττόμενον, πληγῶν μοι δοκεῖ καὶ δεῖσθαι, ὦ Σώκρατες, ὅτῳ ὁ ἀνήρ. ὃ γὰρ νυνδὴ ἔλεγον, ὑπάρχει τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ, κἂν πάνυ εὐφυὴς ᾖ, ἀνάνδρῳ μὲν ὄντι, φεύγοντι τὰ μέσα τῆς πόλεως, καὶ τὰς ἀγορὰς, ἐν αἷς ἔφη ὁ ποιητὴς τοὺς ἄνδρας ἀριστεύειν γίνεσθαι. καταδεδυκότι δὲ, τὸ λοιπὸν βίον βιῶναι μετὰ μειρακίων, ἐν γωνίᾳ τριῶν ἢ τεττάρων ψιθυρίζοντα, ἐλεύθερον δὲ καὶ μέγα καὶ ἱκανὸν μηδέποτε φθέγξασθαι, ἐγὼ δὲ, ὦ Σώκρατες, πρός σε ὑπὲρ ὧν ἔχω καὶ φιλικῶς. κινδυνεύω δὲ πεπονθέναι νῦν, ὅπερ ὁ Ζῆθος

πρὸς

πρὸς τ Ἀμφίονα ὁ Εὐριπίδης, ἔφασαν ἐμνήσθην. καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ' ἄττα ἐπέρχεται πρός σε λέγειν, οἷά περ ἐκεῖνος πρὸς τ ἀδελφόν. ὅτι ἀμελεῖς ὦ Σώκρατες, ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φύσιν ψυχῆς ὥδε γυναίαν μέγακιόδη τινὶ ἁρπεστῆς μορφώματι. καὶ ἔτ' ἂν δίκης βλαῦσι πρεπτέον ἂν ὀρθῶς λόγον, ἔτ' εἰκὸς ἢ πιθανὸν ἂν λάβοις. ἔθ' ὑπὲρ ἄλλον νεανικὸν βάλλημα βαλεῖσθαι. καί τοι, ὦ φίλε Σώκρατες (καί μοι μηδὲν ἀχθεσθῆς. εὐνοίᾳ γὰρ ἐρῶ τῇ σῇ) οὐκ αἰσχρὸν δοκεῖ σοι εἶναι ἔτως ἔχειν, ὡς ἐγώ σε οἶμαι ἔχειν, ἢ τὰς ἄλλας τὰς πόρρω ἀεὶ φιλοσοφίας ἐλαύνοντας; νυνὶ γὰρ εἴ τις σοῦ λαβόμενος, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγοι, φάσκων ἀδικεῖν, μηδὲν ἀδικοῦντα, οἶσθ' ὅτι οὐκ ἂν ἔχοις ὅ, τι χρήσαιο σαυτῷ, ἀλλ' ἰλιγγιᾷς ἂν καὶ χασμῷο, οὐκ ἔχων ὅ, τι εἴποις; καὶ εἰς τὸ δικαστήριον ἀναβὰς, κατηγόρου τυχὼν πάνυ φαύλου καὶ μοχθηροῦ, ἀποθάνοις ἄν, εἰ βούλοιτό σοι θανάτου τιμᾶσθαι. καί τοι πῶς σοφὸν τοῦτο ἐστὶν, ὦ Σώκρατες, εἶπις εὐφυᾶ λαβοῦσα τέχνη φῶτα, ἔθηκε χείρονα, μήτε αὐτὸν αὑτῷ δυνάμενον βοηθεῖν, μηδ' ἐκσῶσαι ἐκ τ μεγίστων κινδύνων, μήτε ἑαυτὸν, μήτε ἄλλον μηδένα, ἀλλὰ ἢ τ ἐχθρῶν πρόσταλᾶσθαι πᾶσιν τ οὐσίαν. ἀτεχνῶς ἢ ἄπιμον ζῆν ἐν τῇ πόλει. τ ἢ τοιοῦτον (εἴ τι καὶ ἀγροικότερον εἰρῆσθαι ἔξεστιν) ὀπὶ κόρρης τύπτουσι, μὴ διδόναι δίκην. ἀλλ' ὦ ἀγαθὲ ἐμοὶ πείθου. παῦσαι δὴ ἐλέγχων. πραγμάτων δὴ εὐμουσίαν ἄσκει. καὶ ἄσκει ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν, ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεὶς, εἴτε ληρήματα χρὴ φάναι εἶναι, εἴτε φλυαρίας.

Ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις.

ζηλῶν σοὶ ἐλέγχοντας ἄνδρας τὰ μικρὰ ταῦτα, ἀλλ' οἷς ἔστι καὶ βίος, καὶ δόξα, καὶ ἄλλα πολλὰ ἀγαθά. Hæc Plato sub persona quidem, sicuti dixit, non proba, sed cum sensu tamen intelligentiæque communis fide, & cum quadam indissimulabili veritate disseruit; non de illa scilicet philosophia, quæ virtutum omnium disciplina est, quæque in publicis simul & privatis officiis excellit, civitatesque & rempublicam, si nihil prohibeat,

hibeat, constanter & fortiter & peritè administrat; sed de ista futili atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promovente: in qua id genus homines consenescunt malè feriati, quos philosophos esse & vulgus putat, & is putabat, ex cujus persona hæc dicta sunt.

CAP. XXIII.

Verba ex oratione M. Catonis de mulierum veterum victu & moribus: atque inibi, quòd fuerit jus marito in adulterio uxorem deprehensam necare.

QUi de victu atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod temetum prisca lingua appellatur, abstinuisse dicunt: institutumque ut cognatis osculum ferrent reprehendendi caussa, ut odor indicium faceret si bibissent. bibere autem solitas ferunt loream, passam, murinam, & quæ id genus sapiant, potu dulcia. atque hæc quidem, in his, quibus dixi, libris pervolgata sunt. sed M. Cato non solùm existimatas, sed multatas quoque à judice mulieres refert non minus, si vinum in se, quàm si probrum & adulterium admississent. Verba M. Catonis adscripsi, ex oratione quæ inscribitur, DE DOTE. in qua id quoque scriptum est, in adulterio uxores deprehensas jus fuisse mariti necare. *Vir*, inquit, *quum divortium fecit, mulieri judex pro censore est. imperium, quod videtur, habet. si quid perversè tetrèque factum est à muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* De jure autem occidendi ita scriptum. *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares. illa te, si adulterares, digito non auderet contingere: neque jus est.*

CAP.

Cap. XXIV.

Die pristini, die crastini & die quarti, & die quinti, *qui elegantius locuti sunt, non ut ea vulgo dicuntur nunc.*

Die quarto & die quinto, quod Græci εἰς τετάρτην καὶ εἰς πέμπτην dicunt, ab eruditis nunc quoque dici audio; & qui aliter dicit, pro rudi atque indocto despicitur: sed M. Tullii ætas ac supra eam non, opinor, ita dixerunt. *die quinte* enim & *die quinti* pro adverbio copulatè dictum est, & secunda in eo syllaba correpta. Divus etiam Augustus linguæ Latinæ non nescius, munditiarum patris sui in sermonibus sectator, in epistolis plurifariam significatione ista dierum non aliter usus est. is autem erit, perpetuæ veterum consuetudinis demonstrandæ gratia verba sollemnia prætoris ponere: quibus more majorum ferias concipere solet, quæ appellantur compitalia. ea verba hæc sunt: DIE. NONI. POPOLO. ROMANO. QUIRITIBUS. COMPITALIA. ERUNT. QUANDO. CONCEPTA. FUERINT. NEFAS. *die noni* prætor dicit, non *die nono*. Neque prætor solum, sed pleraque omnis vetustas sic locuta est. Venit ecce illius versus Pomponiani in mentem, qui est ex Atellana, quæ Mævia scribitur:

Dies hic sextus, quum nihil egi: die quarte moriar fame.

suppetit etiam Cælianum illud ex libro historiarum secundo: *Si vis mihi equitatum dare, & ipse cum cætero exercitu me sequi; die quinti Romæ in Capitolium curabo tibi cœna sit cocta.* & historiam autem & verbum hoc sumsit Cælius ex Origine M. Catonis; in quo ita scriptum est: *Igitur dictatorem Karthaginiensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum. die quinti in Capitolium tibi cœna cocta erit.* Extremam istius vocis

vocis syllabam tum per *e*, tum per *i*, scriptam legi. nam sanè quàm consuetum iis veteribus fuerit litteris his plerumque uti indifferenter; sicuti *præfiscini* & *præfiscine*, *proclivi* & *proclive*. atque alia item multa hoc genus variè dixerunt: *die pristini* quoque eodem modo dicebatur: quod significabat *die pristino*, id est priore: quod vulgo *pridie* dicitur, converso compositionis ordine, quasi *pristino die*. atque item simili figura *die crastini* dicebatur. id erat, *crastino die*. sacerdotes quoque populi Romani quum condicunt in diem tertium, diem perendini dicunt, sed ut plerique *die pristini*. ita M. Cato in oratione contra Furium *die proximi* dixit. *quarto* autem Cn. Matius, homo impensè doctus, in mimiambis pro eo dicit, quod *nudiusquartus* nos dicimus; in his versibus:

Nuper die quarto ut recordor, & certè
Aquarium urceum unicum domi fregit.

Hoc igitur intererit, ut *die quarto* quidem de præterito dicamus: *die* autem *quarte* de futuro.

CAP. XXV.

Telorum & jaculorum gladiorumque atque inibi navium quoque vocabula, quæ scripta in veterum libris reperiuntur.

TElorum, jaculorum, gladiorumque vocabula, quæ in historiis veteribus scripta sunt, item navigiorum genera & nomina, libitum fortè nobis est sedentibus in rheda conquirere: iisque vicem aliarum ineptiarum vacantem stupentemque animum occupare: quæ tum igitur suppetierant, hæc sunt: *hasta*, *pilum*, *phalarica*, *semiphalarica*, *soliferrea*, *gesa*, *lancea*, *spari*, *rumices*, *trifaces*, *tragulæ*, *frameæ*, *mesanculæ*, *cateiæ*, *rumpiæ*, *scorpii*, *sibynæ*, *sicilices*, *veruta*, *enses*, *sicæ*, *machæræ*, *spatæ*, *lingulæ*, *pugiones*, *clunaculæ*. de *lingula*,

gula, quoniam est minus frequens, admonendum existimo, lingulam veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguæ factum, cujus meminit Nævius in tragœdia Hesiona. Versum Nævii apposui:

Sine mihi gerere morem videar, haud lingua, verum lingula.

Item *rumpia* genus teli est Thracæ nationis: positumque hoc vocabulum in Q. Ennii annalium quartodecimo. Navium autem, quas reminisci tunc potuimus, appellationes hæ sunt: *gauli*, *corbitæ*, *caudicæ*, *longæ*, *hippagines*, *cercuri*, *celoces*, vel, ut Græci dicunt, *celetes*, *lembi*, *oriæ*, *lenunculi*, *actuariæ*, quas Græci ἐπικώπους vocant vel ἐπιβατίδας, *prosumiæ*, vel *geseoretæ*, vel *horiolæ*, *stlatæ*, *scaphæ*, *pontones*, *acatiæ*, *hemioliæ*, *phaseli*, *parones*, *myoparones*, *lintres*, *caupuli*, *camaræ*, *placidæ*, *cydarum*, *rataria*, *catascopium*.

CAP. XXVI.

Inscitè ab Asinio Pollione reprehensum Sallustium, quòd transfretationem transgressum *dixerit*, *&* transgressos *qui* transfretassent.

ASinio Pollioni in quadam epistola, quam ad Plancum scripsit, & quibusdam aliis C. Sallustii iniquis dignum nota visum est, quòd in primo historiarum maris transitum transmissumque navibus factum, *transgressum* appellavit; eosque, qui fretum transmiserant, quos *transfretasse* dici solitum est, *transgressos* dixit. Verba ipsa Sallustii posuit; *Itaque Sertorius levi præsidio relicto in Mauritania nactus obscuram noctem, æstu secundo furtim aut celeritate vitare prœlium in transgressu conatus est.* ac deinde infra ita scripsit: *Transgressos omnis recipit mons præceptus à Lusitanis.* hoc igitur & minus propriè & nullo gravi auctore dictum ajunt. nam *transgressus*, inquit, à transgrediendo dicitur, idque ipsum ab

ingressu & à pedum gradu appellatum. idcirco verbum, *transgredi*, convenire non putavit neque volantibus neque serpentibus neque navigantibus: sed his solis qui gradiuntur & pedibus iter emetiuntur. propterea negant apud scriptorem idoneum aut navium *transgressum* reperiri posse, aut pro tranfretatione *transgressum*. Sed quæro ego, cur non, sicuti *cursus* navium rectè dici solent, ita *transgressus* etiam navibus factus dici possit? præsertim quum brevitas tam anguſti freti, qui terram Africam Hispaniamque interfluit, elegantissimè transgressionis vocabulo quasi paucorum graduum spatium definita sit. Qui auctoritatem autem requirunt, & negant dictum ingredi transgredive in navigantibus; volo uti respondeant, quantum existiment interesse, ingredi atque ambulare. Atqui Cato in libro de re rustica, *Fundus*, inquit, *eo in loco habendus est, ut & oppidum propè amplum sit, & mare aut amnis, qua naves ambulant.* Appetitas porro hujuscemodi translationes habitasque esse pro honestamentis orationis, Lucretius quoque testimonium in hac eadem voce dicit. in quarto enim libro clamorem per arterias & per fauces gradientem dicit, quod est nimio confidentius, quàm illud de navibus Sallustianum. versus Lucretii hi sunt:

Prætèrea radit vox fauces sæpe; facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor.

propterea Sallustius in eodem libro non eos solùm, qui navibus veherentur, sed & scaphas quoque nantes progressas dicit. Verba ipsa de scaphis posui. *Earum aliæ paululum progressæ nimio simul & incerto onere, quum pavor corpora agitaverat, deprimebantur.*

CAP.

CAP. XXVII.

Historia de populo Romano deque populo Pœnico, quòd pari propemodum vigore fuerint æmuli.

IN litteris veteribus memoria exstat, quòd par fuit quondam vigor & acritudo amplitudoque populi Romani atque Pœni, neque immerito æstimatum. nam cum aliis quidem populis de uniuscujusque reipublicæ, cum Pœnis autem de omnium terrarum imperio decertatum. ejus rei specimen est in illo utriusque populi verbo factum; quod Q. Fabius imperator Romanus dedit ad Karthaginienses epistolam, ubi scriptum fuit populum Romanum misisse ad eos hastam & caduceum signa duo belli aut pacis: ex quîs utrum vellent eligerent; quod elegissent, id unum ut esse missum existimarent. Karthaginienses responderunt neutrum sese eligere: sed posse qui attulissent utrum mallent relinquere; quod reliquissent, id sibi pro lecto futurum. Marcus autem Varro non hastam ipsam neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas: in quarum altera caduceum, in altera hastæ simulachra fuerunt incisa.

CAP. XXVIII.

De ætatum finibus pueritiæ, juventæ, senectæ, *ex Tuberonis historia sumtum.*

C. Tubero historiarum primo scripsit Servium Tullium, regem populi Romani, quum illas quinque classes juniorum, census faciendi gratia, institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimodecimo, quòd idoneos jam esse reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse. Eam rem pro-

An non etiam seniorum? delet vocula Ruben. Elect. II. 22.

pterea notavit, ut discrimina quæ fuerint judicio moribusque majorum pueritiæ, juventæ, senectæ, ex ista censione Servii Tullii prudentissimi regis noscerentur.

CAP. XXIX.

Quod particula, atque, *non complexiva tantùm sit, sed vim habeat plusculam variamque.*

ATque particula, à grammaticis quidem conjunctio esse dicitur connexiva: & plerumque sanè conjungit verba & connectit: sed interdum alias quasdam potestates habet non satis notas, nisi in veterum litterarum tractatione atque cura exercitis. nam & pro adverbio valet, quum dicimus; *aliter ego feci atque tu:* significat enim *aliter quam tu*, & geminata fiet, auget intenditque rem, de qua agitur: ut animadvertimus in Q. Ennii annalibus, nisi memoria in hoc versu labor:

Atque atque accedit muros Romana juventus.

Cui significationi contrarium est, quod itidem à veteribus dictum est *déque*. & præterea pro alio quoque adverbio dicitur, id est, *statim*. quod in his Virgilii versibus existimatur obscurè & insequenter particula ista posita esse.

—— —— *sic omnia fatis*
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.
Non aliter quàm qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

LIBER.

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT I.

De origine vocabuli terræ Italiæ, deque ea multa quæ suprema appellatur, deque ejus nominis ratione: ac de lege Ateria. & quibus verbis antiquitus multa minima dici solita sit.

TIMAEUS in historiis, quas oratione Græca de rebus populi Romani composuit, & M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Græco vocabulo appellatam scripserunt; quoniam boves Græca vetere lingua ἰτάλοι vocitati sunt, quorum in Italia magna copia fuerit: bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima. conjectare autem possumus ob eandem causam, quòd Italia tunc esset armentosissima, multam, quæ appellatur *suprema*, institutam in singulos duarum ovium, boum triginta: pro copia scilicet boum, proque ovium penuria. sed quum ejusmodi multa pecoris armentique à magistratibus dicta erat, addicebantur boves oveſque aliàs precii parvi, alias majoris: eaque res faciebat inæqualem multæ pœnitionem. idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oves singulas æris deni, in boves æris centeni. *Minima* autem multa est ovis unius. *Suprema* multa est ejus numeri, cujus diximus: ultra quem multam dicere in singulos jus non est; & propterea *suprema* appellatur, id est, summa & maxima. quando igitur nunc quoque à magistratibus populi Romani more majorum multa dicitur vel minima vel suprema, observari solet, ut *oves* genere virili appellentur: atque ita M. Varro verba hæc legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: *M. Terentius quando citatus neque respondit neque excusatus est, ego*

ei unum ovem multam dico. ac nisi eo genere diceretur, negaverunt justam videri multam. Vocabulum autem ipsum *multæ* idem M. Varro in uno & vicesimo rerum humanarum non Latinum, sed Sabinum esse dicit; idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium, qui sunt à Sabinis orti. sed turba grammaticorum novitia καὶ' ἀντίφρασιν, ut quædam alia, hoc quoque dici tradiderunt. Quum autem usus & mos sermonum is sit, ut ita & nunc loquamur, ut plerique veterum locuti sunt, *multam dixit*, & *multa dicta est*: non esse ab re putavi notare, quod M. Cato aliter dixit. nam in quarto Originum, verba hæc sunt: *Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei multam facit.* potest autem videri consulta elegantia mutasse verbum, quum in castris & in exercitu multa fieret; non in comitio nec ad populum diceretur.

CAP. II.

Quod eligantia *apud antiquiores non de amœniore ingenio, sed de nitidiore cultu atque victu dicebatur, eaque in vitio ponebatur.*

ELigans homo non dicebatur cum laude: sed id ferè verbum ad ætatem M. Catonis vitii, non laudis, fuit. est namque hoc animadvertere, cùm in quibusdam aliis, tum in libro Catonis, qui inscriptus est, Carmen de moribus. Ex quo libro verba hæc sunt, *Avaritiam omnia vitia habere putabant; sumtuosus, cupidus, eligans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur.* ex quibus verbis apparet *eligantem* dictum antiquitus, non ob ingenii eligantiam, sed qui nimis lecto amœnoque cultu victuque esset. postea *eligans* reprehendi quidem desiit: sed laude nulla dignabantur, nisi cujus eligantia erat moderatissima. Sic M. Tullius L. Crasso & Q. Scævolæ non meram eligantiam, sed multam parsimoniam istam laudi

laudi dedit. *Crassus*, inquit, *erat parcissimus elegantium; Scævola parcorum elegantissimus.* præterea ex eodem libro Catonis hæc etiam sparsim & intercisè commeminimus. *Vestiri*, inquit, *in foro honestè mos erat: domi quod satis erat. equos carius quàm coquos emebant. poëticæ artis honos non erat. si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.* Illa quoque ex eodem libro præclaræ veritatis sententia est: *Nam vita*, inquit, *humana propè uti ferrum est; si exerceas, conteritur: si non exerceas, tamen rubigo interficit. item homines exercendo videmus conteri. si nihil exerceas; inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio.*

CAP. III.

Qualis quantaque sit, pro, *particulæ varietas deque exemplis ejus varietatis.*

QUando ab arbitriis negotiisque otium est, & motandi corporis gratia aut spatiamur aut vectamur: quærere nonnunquam apud memetipsum soleo res ejusmodi, parvas quidem minutasque & hominibus non bene eruditis aspernabiles; sed ad veterum scripta penitus noscenda & ad scientiam linguæ Latinæ cumprimis necessarias: velut est, quod fortè nuper in Prænestino recessu vespertina ambulatione solus ambulans considerabam; quantaque esset particularum quarumdam in oratione Latina varietas. quod genus est præpositio *pro*. aliter enim dici videbam, *pontifices pro collegio decrevisse*; aliter, *quempiam testem introductum pro testimonio dixisse*: aliter M. Catonem in Originum quarto, *prælium factum depugnatumque pro castris*, scripsisse: & item in quinto, *urbis insulasque omnis pro agro Illyrio esse*: aliter etiam dici, *pro æde Castoris*: aliter, *pro rostris*: aliter, *pro tribunali*: aliter *pro concione*: atque

aliter, *tribunum plebis propoteſtate interceſſiſſe.* ſed has omnis dictiones, qui aut omnino ſimiles & pares, aut uſquequaque diverſas exiſtimaret, errare arbitrabar. nam varietatem iſtam ejuſdem quidem fontis & capitis, non ejuſdem tamen eſſe finis putabam. Quod profectò facilè intelliget, ſi quis adhibeat ad meditationem ſuam intentionem, & habeat veteris orationis uſum atque notitiam celebriorem.

CAP. IV.

Quem in modum Q. Ennius verſus Euripidi æmulatus ſit.

EUripidi verſus ſunt in Hecuba, verbis, ſententia, brevitate inſignes illuſtreſque. Hecuba eſt ad Ulyxem dicens:

Τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει· λόγῳ γὰρ ἐκ τ' ἀδοξόντων ἰὼν,
Κἂκ τῶν δοκούντων, αὐτὸς οὐ τοιοῦτον ὤφελε.

Hos verſus Q. Ennius, quum eam tragœdiam verteret, non ſanè incommodè æmulatus eſt. verſus totidem Enniani hi ſunt:

Hæc tu etſi perversè dices, facile Achivos flexeris.
Nam quum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio æqua non æque valet.

bene, ſicuti dixi, Ennius: ſed ignobiles tamen & opulenti, ἀντὶ ἀδοξούντων & δοκούντων ſatisfacere ſententiæ non videntur. nam neque omnes ignobiles ἀδοξοῦσι, neque omnes opulenti δοκοῦσι.

CAP.

CAP. V.

De Pyrrhoniis philosophis quædam, déque Academicis strictim notata, déque inter eos differentia.

QUos Pyrrhonios philosophos vocamus, ii Græco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. id ferme significat quasi quæsitores & consideratores: nihil enim decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo semper considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum de quo decerni constituique possit. ac ne videre quoque planè quicquam neque audire sese putant; sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. eaque ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiant, qualia & cujusmodi sint, cunctantur atque insistunt, omniumque rerum fidem veritatemque mixtis confusisque signis veri atque falsi ita inprensibilem videri ajunt; ut quisquis homo est non preceps neque judicii sui prodigus, his uti verbis debeat, quibus auctorem philosophiæ istius Pyrrhonem esse usum tradunt: μᾶλλον ὅτως ἔχει τόδε ἢ ἐκεῖνος ἢ οὐδέτερος. judicia enim rei cujusque & sinceras proprietates negant posse nosci & percipi, idque ipsum docere atque ostendere multis modis conantur, super qua re Favorinus quoque subtilissimè argutissiméque decem libros composuit, quos πυῤῥωνείων τρόπων inscribit. Vetus autem quæstio & à multis scriptoribus Græcis tractata est, in quid & quantum Pyrrhonicos & Academicos philosophos intersit. utrique enim σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ, dicuntur; quoniam utrique nihil affirmant, nihilque comprehendi putant. sed ex omnibus rebus proinde visa fieri dicunt, quas φαντασίας appellant: non ut rerum ipsarum natura est, sed affectio animi corporisve est eorum, ad quos ea visa perveniunt. Itaque omnes omnino res, quæ sensus omnium movent, τὸ πρός τι esse dicunt. id verbum significat, nihil esse quicquam quod

ex seſe conſtet, nec quod habeat vim propriam & naturam, ſed omnia prorſum ad aliquid referri; taliaque videri eſſe, qualis ſit eorum ſpecies dum videntur, qualiaque apud ſenſus noſtros, quò pervenerunt, creantur; non apud ſeſe, unde profecta ſunt. Quum hæc autem conſimiliter tam Pyrrhonii dicant quàm Academici; differre tamen inter ſeſe & propter alia quædam, & vel maximè propterea exiſtimati ſunt, quòd Academici quidem ipſum illud nihil poſſe comprehendi, quaſi comprehendunt, & nihil poſſe decerni, quaſi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nihil eſſe verum videtur.

CAP. VI.

Quòd mulieres Romæ per Herculem non juraverunt, neque viri per Caſtorem.

IN veteribus ſcriptis neque mulieres Romanæ per Herculem dejurant, neque viri per Caſtorem. ſed cur illæ non juraverint Herculem, non obſcurum eſt. nam Herculaneo ſacrificio abſtinent. Cur autem viri Caſtorem jurantes non appellaverint, non facilè dictu eſt. Nuſquam igitur ſcriptum invenire eſt apud idoneos quidem ſcriptores, aut *mehercle* feminam dicere, aut *mecaſtor* virum. *Ædepol* autem, quod jusjurandum per Pollucem eſt, & viro & feminæ commune eſt. Sed M. Varro aſſeverat antiquiſſimos viros neque per Caſtorem neque per Pollucem dejurare ſolitos; ſed id jusjurandum fuiſſe tantùm feminarum ex initiis Eleuſiniis acceptum: paulatim tamen, inſcitia antiquitatis, viros dicere *ædepol* cœpiſſe; factumque eſſe ita dicendi morem: ſed *mecaſtor* à viro dici, in nullo vetere ſcripto inveniri.

CAP.

CAP. VII.

Verbis antiquissimis relictisque jam & desitis minimè utendum.

VErbis uti aut nimis obsoletis exculcatisque, aut insolentibus novitatisque duræ & illepidæ, par esse delictum videtur: sed molestius equidem culpatiusque esse arbitror, verba nova, incognita, inaudita dicere, quam invulgata & sordentia. Nova autem videri dico etiam ea, quæ sunt inusitata & desita, tametsi sunt vetusta. Est adeò id vitium plerumque ferè eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant; ut, quod numquam didiceris, diu ignoraveris, quum id scire aliquando cœperis, magnifacias quo in loco cumque & quacumque in re dicere: veluti Romæ, nobis præsentibus, vetus celebratusque homo in causis, sed repentina & quasi tumultuaria doctrina præditus, quum apud præfectum urbi verba faceret, & dicere vellet inopia quendam miseroque victu vivere & furfureum panem esitare, vinumque eructum & fœtidum potare. *Hic*, inquit, *eques Romanus apludam edit, & floces bibit.* Adspexerunt omnes qui aderant alius alium, primo tristiores turbato & requirente voltu, quidnam illud utriusque verbi foret; pòst inde, quasi nescio quid Tuscè aut Gallicè dixisset, universi riserunt. Legerat autem ille *apludam* veteres rusticos frumenti furfurem dixisse; idque à Plauto in comœdia, si ea Plauti est, quæ Astraba inscripta est, positum esse. Item *floces* audierat prisca voce significare vini fæcem è vinaceis expressam, sicuti fraces ex oleis: idque apud Cæcilium in Polumenis legerat, eaque sibi duo verba ad orationum ornamenta servaverat. Alter quoque à lectionibus id genus paucis apirocalus, quum adversarius causam differri postularet, *Rogo prætor*, inquit, *subveni, succurre: quonam usque nos bovinator*

hic

his demoratur ? Atque id voce magna ter quaterque inclamavit; *bovinator est.* Commurmuratio fieri cœpta est à plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus. At ille jactans & gestiens, Non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiversatorem *bovinatorem* dicit. Est autem in Lucilii undecimo versus hic:

Est tricosus, bovinatorque ore improbus duro.

CAP. VIII.

Quid senserit dixeritque M. Cato de Albino: qui homo Romanus Græca oratione res Romanas, venia sibi ante ejus imperitiæ petita, composuit.

JUstè venustéque admodum reprehendisse dicitur A. Albinum M. Cato. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Græca scriptitavit. In ejus historiæ principio scriptum est ad hanc sententiam: Neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum compositè aut minus eleganter scriptum foret. nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio. Græca oratio à nobis alieniissima est. ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Eam quum legisset M. Cato; Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, quum maluisti culpam deprecari, quàm culpa vacare. nam petere veniam solemus, aut quum imprudentes erravimus, aut quum compulsi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod, priusquam faceres, peteres ut ignosceretur? Scriptum est hoc in libro Cornelii Nepotis de illustribus viris.

CAP.

CAP. IX.

Historia de legatis Mileti & Demosthene rhetore in libris Critolai reperta.

CRitolaus scripsit legatos Mileto publicæ rei causa veniſſe Athenas, fortaſſe an auxilii petendi gratia; tum qui pro ſeſe verba facerent, quos viſum erat advocaviſſe; advocatos, uti erat mandatum, verba pro Mileſiis ad populum feciſſe: Demoſthenem Mileſiorum poſtulatis acriter reſpondiſſe, neque Mileſios auxilio dignos, neque ex republica id eſſe contendiſſe: rem in poſterum diem prolatam; legatos ad Demoſthenem veniſſe; magnoque opere oraſſe, uti contra ne diceret: cum pecuniam petiviſſe: & quantam petiverat abſtuliſſe: poſtridie, quum res agi denuò cœpta eſſet, Demoſthenem lana multa collum cervicesque circumvolutum ad populum prodiſſe, & dixiſſe ſe ſynanchen pati: eò contra Mileſios loqui non quire: tum è populo unum exclamaſſe, non ſynanchen, quod Demoſthenes pateretur, ſed argyranchen eſſe. Ipſe etiam Demoſthenes, ut idem Critolaus refert, non id poſtea celavit: quin gloriæ quoque hoc ſibi aſſignavit. nam quum interrogaſſet Ariſtodemum actorem fabularum quantum mercedis, uti ageret, accepiſſet: & Ariſtodemus talentum reſpondiſſet: At ego plus, inquit, accepi ut tacerem.

CAP. X.

Quòd C. Gracchus in oratione ſua hiſtoriam ſupra ſcriptam Demadi rhetori, non Demoſtheni attribuit: verbaque ipſius C. Gracchi relata.

QUod in capite ſuperiore à Critolao ſcriptum eſſe diximus ſuper Demoſthene; id C. Gracchus in oratione, qua legem Aufeiam diſſuaſit, in Demadem contulit

contulit verbis hisce: *Nam, vos, Quirites, si velitis sapientia atque virtute uti, & si quæritis; neminem nostrûm invenietis sine pretio huc prodire. omnes nos qui verba facimus, aliquid petimus: neque ullius rei caussa quisquam ad vos prodit, nisi ut aliquid auferat. ego ipse, qui apud vos verba facio, uti vectigalia vestra augeatis, quo faciliùs vestra commoda & remp. administrare possitis, non gratis prodeo: verùm peto à vobis non pecuniam, sed bonam existimationem atque honorem. qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis, petunt non honorem à vobis, verùm à Nicomede pecuniam. qui suadent ut accipiatis, hi quoque petunt non a vobis bonam existimationem, verùm a Mithridate rei familiaris suæ precium & præmium. qui autem ex eodem loco atque ordine placent, hi vel acerrimi sunt: nam ab omnibus precium accipiunt, & omnis fallunt. Vos, quum putatis eos ab his rebus remotos esse, impertitis bonam existimationem. Legationes autem a regibus, quum putant eos sua causa reticere, sumtus atque pecunias maximas præbent: uti in terra Græcia, quo in tempore tragœdus gloriæ sibi ducebat, talentum magnum ob unam fabulam datum esse: homo eloquentissimus civitatis suæ Demades ei respondisse dicitur: Mirum tibi videtur, si tu loquendo talentum acquisivisti? ego, ut tacerem, decem talenta a Rege accepi. Idem nunc isti precia maxima ob tacendum accipiunt.*

CAP. XI.

Verba P. *Nigidii, quibus differre dicit* mentiri *&* mendacium dicere.

VErba sunt hæc ipsa P. Nigidii, hominis in studiis bonarum artium præcellentis: quem M. Cicero ingenii doctrinarumque nomine summè reveritus est. *Inter mendacium dicere & mentiri distat. qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium*

dacium dicit, ipse fallitur. Item hoc addidit: *Qui mentitur*, inquit, *fallit, quantum in se est:* item hoc quoque super eadem re dicit: *Vir bonus*, inquit, *præstare debet, ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat: alterum incidit in hominem, alterum non.* Variè meherclè & lepidè Nigidius tot sententias in eandem rem, quasi aliud atque aliud diceret, disparavit.

CAP. XII.

Quòd Chrysippus philosophus omne verbum ambiguum dubiumque esse dicit; Diodorus contra nullum verbum ambiguum esse putat.

CHrysippus ait omne verbum ambiguum natura esse; quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt. Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit, *Nullum*, inquit, *verbum est ambiguum: nec quisquam ambiguum dicit aut sentit; nec aliud dici videri debet, quam quod se dicere sentit is, qui dicit. at quum ego*, inquit, *aliter sensi, tu aliud accepisti, obscurè magis dictum quam ambiguè videri potest. ambigui enim verbi natura illa esse debuit, ut qui id diceret, duo vel plura diceret. nemo autem duo vel plura dicit, qui se sentit unum dicere.*

CAP. XIII.

Quid T. Castricius de verbis deque sententia quadam C. Gracchi existimaverit, quodque esse eam sine ullo sensus emolumento docuerit.

APud T. Castricium disciplinæ rhetoricæ doctorem, gravi atque firmo judicio virum, legebatur oratio C. Gracchi in P. Popilium. in ejus orationis principio collocata verba sunt accuratiùs modulatiusque, quam veterum oratorum consuetudo fert. ea verba sicuti dixi composita hæc sunt: *Quæ vos*

cupidè

cupidè per hoſce annos appetiſtis atque voluiſtis, ea ſi temerè repudiaritis, abeſſe non poteſt, quin aut olim cupidè appetiſſe, aut nunc temerè repudiaſſe dicamini. Curſus igitur hic & ſonus rotundæ volubiliſque ſententiæ eximiè nos & unicè delectabat, tanto id magis, quòd jam tunc C. Graccho viro illuſtri & ſevero ejuſmodi compoſitionem fuiſſe cordi videbamus. ſed enim, quum eadem ipſa verba ſæpius petentibus nobis lectitarentur, admoniti à Caſtricio ſumus ut conſideraremus, quæ vis quodve emolumentum ejus ſententiæ foret; neque pateremur ut aures noſtræ cadentis aptè orationis modis eblanditæ animum quoque nobis voluptate inani perfunderent. quumque nos admonitione iſta attentiores feciſſet; Inſpicite, inquit, penitus, quid efficiant verba hæc; dicatque mihi quæſo aliquis veſtrûm, an ſit ulla hujuſce ſententiæ aut gravitas aut gratia: *Quæ vos cupidè per hoſce annos appetiſtis atque voluiſtis; ea temerè ſi repudiaritis, abeſſe non poteſt, quin aut olim cupidè appetiſſe, aut nunc temerè repudiaſſe dicamini.* Cui enim omnium hominum in mentem non venit id profectò uſu venire, ut quod cupidè appetieris, cupidè appetiſſe, &, quod temerè repudiaveris, temerè repudiaſſe dicaris? at ſi opinor, inquit, ita ſcriptum eſſet: *Quæ vos per hoſce annos appetiſtis atque voluiſtis, ea nunc ſi repudiaritis, abeſſe non poteſt, quin aut olim cupide appetiſſe, aut nunc temere repudiaſſe dicamini.* ſi, inquit, ita diceretur, gravior ſcilicet ſolidiorque fieret ſententia; & acciperet aliquid juſtæ in audiendo exſpectationis. nunc autem verba hæc, *cupide & temere*, in quibus verbis omne momentum rei eſt, non in concludenda ſententia tantùm dicuntur; ſed ſupra quoque nondum deſiderata ponuntur: &, quæ naſci oririque ex ipſa rei conceptione debebant, ante omnino, quam res poſtulat, dicuntur. nam qui ita dicit; ſi hoc feceris, cupidè feciſſe diceris: rem dicit ſenſus

dicæ-

alicujus ratione collectam & confectam. qui vero ita dicit ; si cupidè feceris, cupidè feciſſe diceris : non longè ſecus dicit, atque ſi diceret, ſi cupidè feceris, cupidè feceris. Hæc ego, inquit, admonui, non ut C. Graccho vitio darem (dii enim mentem meliorem mihi ! nam, ſi quicquam in tam fortis facundiæ viro vitii vel erroris eſſe dici poteſt, id omne & auctoritas ejus exhauſit, & vetuſtas conſumpſit) ſed uti caveretis, ne vos facilè perſtringeret modulatus aliquis currentis facundiæ ſonitus : atque ut vim ipſam rerum virtutemque verborum prius penſitaretis : &, ſi quidem gravis atque integra & ſincera ſententia diceretur, tum, ſi ita videretur, greſſibus quoque ipſis orationis & geſtibus plauderetis : ſi verò frigidi & leves & futiles ſenſus in verba aptè numeroſeque poſita includerentur, non eſſe id ſecus credueretis, quàm cum homines inſigni deformitate ad facienda ridicula imitantur hiſtriones & geſtiunt.

CAP. XIV.

Sobria & pulcherrima Romuli regis reſponſio circa vini uſum.

SImpliciſſima ſuavitate & rei & orationis L. Piſo Frugi uſus eſt in primo annali, quum de Romuli regis vita atque victu ſcriberet : ea verba, quæ ſcripſit, hæc ſunt : *Eumdem Romulum dicunt ad cœnam vocatum, ibi non multum bibiſſe, quia poſtridie negotium haberet. ei dicunt : Romule, ſi iſtuc omnes homines faciant, vinum vilius ſit. is reſpondit : imo verò carum, ſi quantum quiſque volet, bibat : nam ego bibi quantum volui.*

CAP. XV.

De ludibundo *&* errabundo, *atque id genus verborum productionibus : & quòd Laberius sic* amorabundam *dixit, ut dicitur* ludibunda *&* errabunda : *atque inibi, quòd Sisenna per hujuscemodi verbum nova figura usus est.*

LAberius in *lacu Averno* mulierem amantem verbo inusitatiùs facto, *amorabundam* dixit. id verbum Cæsellius Vindex in commentario lectionum antiquarum ex figura scriptum dixit, qua *ludibunda*, *ridibunda*, & *errabunda* dicitur, *ludens* & *ridens* & *errans*. Terentius autem Scaurus, divi Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus, inter alia quæ de Cæsellii erroribus composuit, in hoc quoque verbo errasse eum scripsit ; quòd idem esse putaverit, *ludens* & *ludibunda*, *ridens* & *ridibunda*, *errans* & *errabunda*. *nam ludibunda*, inquit, *& ridibunda, & errabunda ea dicitur, quæ ludentem vel ridentem vel errantem agit aut simulat*. Sed qua ratione Scaurus adductus sit, ut Cæsellium in eo reprehenderet, non herclè reperiebamus. non est enim dubium, quin hæc genere ipso dumtaxat idem significent, quod ea demonstrant, à quibus producuntur. quid esset autem ludentem agere vel imitari, non intelligere videri maluimus, quàm insimulare eum tanquam ipsum minùs intelligentem. Quin magis Scaurum oportuit commentaria Cæsellii criminantem, & hoc ab eo præteritum requirere, quod non dixerit, an quid & quantulum differret à *ludibundo ludens*, & *ridibundo ridens*, & *errabundo errans*, cæteraque eorum similia ; an à principalibus verbis paulum aliquid distarent, & quam omnino vim haberet particula hæc extrema ejusmodi vocabulis addita. hoc enim fuit potius requirendum in istiusmodi figuræ tractatu, sicuti requiri solet in *vinolento* &

to & lutulento & turbulento vacuane & inanis sit ista hæc productio, cujusmodi sunt, quæ παρεγωγὰς Græci dicunt; an extrema illa particula habeat aliquid suæ propriæ significationis. Quum reprehensionem autem illam Scauri notaremus, in memoriam nobis rediit, quòd Sisenna in quarto historiarum ejusdem figuræ verbo ita usus est: *Populabundus*, inquit, *agros ad oppidum pervenit.* quod scilicet significat, quum agros popularetur; non, ut Scaurus in consimilibus verbis ait, quum populantem ageret vel quum imitaretur. Sed inquirentibus nobis, quænam ratio & origo esset hujuscemodi figuræ, *populabundus*, & *errabundus*, & *lætabundus*, & *ludibundus*, multorumque aliorum id genus verborum, ἐπεξόλως herclè, Apollinaris noster sibi videri ait, particulam istam postremam, in quam verba talia exeunt, vim & copiam & quasi abundantiam rei, cujus id verbum esset, demonstrare; ut *lætabundus* is dicatur qui abundè lætus sit, & *errabundus* qui longo atque abundanti errore sit: cæteraque omnia ex ea figura ita dici ostendit, ut productio hæc & extremitas largam & fluentem vim & copiam declararet.

CAP. XVI.

Quòd Græcorum quorundam verborum, difficillima est in Latinam linguam mutatio, velut quod Græcè dicitur πολυπραγμοσύνη.

ADjecimus sæpe animum ad vocabula rerum non pauciſſima, quæ neque singulis verbis, ut à Græcis, neque, si maximè pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucidè tamque aptè demonstrari Latina oratione possunt, quàm Græci ea dicunt privis vocibus. Nuper etiam quum allatus esset ad nos Plutarchi liber, & ejus libri indicem legissemus, qui erat περὶ πολυπραγμοσύνης: percunctanti cuipiam, qui & litterarum & vocum Græ-

carum expers fuit, cujusnam liber, & qua de re scriptus esset: nomen quidem scriptoris statim diximus; rem, de qua scriptum fuit, dicturi hæsimus. ac tum quidem primò, quia non satis commodè opinabar interpretaturum esse, si dicerem librum scriptum esse de negotiositate, aliud institui apud me exquirere, quod, ut dicitur, verbum de verbo expressum esset. nihil erat prorsus, quod aut meminissem legere me: aut, si etiam vellem fingere, quod non insigniter asperum absurdumque esset, si ex multitudine & negotio verbum unum compingerem: sicuti *multijuga* dicimus & *multicolora* & *multiformia*. sed non minus illepidè ita diceretur, quàm si interpretari voce una velis πολυφιλίαν, aut πολυτροπίαν, aut πολυζωρίαν. quamobrem quum diutulè tacitus in cogitando fuissem, respondi tandem, non videri mihi significari eam rem posse uno nomine: & idcirco juncta oratione, quid vellet Græcum id verbum, pararam dicere. ad multas igitur res adgressio, earumque omnium rerum actio, πολυπραγμοσύνη, inquam, Græcè dicitur, de qua hunc librum compositum esse inscriptio ista indicat. Tum ille opicus verbis meis inchoatis & inconditis adductus, virtutem esse πολυπραγμοσύνην, Hortatur, inquit, nos profectò nescio quis hic Plutarchus ad negotia capessenda & ad res obeundas plurimas cum industria & celeritate: nomenque ipsius virtutis, de qua loquuturus esset, libro ipsi, sicuti dicis, non incommodè præscripsit. minimè, inquam, vero. neque enim ista omnino virtus est, cujus Græco nomine argumentum hoc libri demonstratur: neque id, quod tu opinare, aut ego me dicere sentio aut Plutarchus facit. deterret enim nos hoc quidem in libro, quàm potest maximè, à varia promiscaque & non necessaria rerum cujuscemodi plurimarum & cogitatione & petitione. sed hujus, inquam, tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet infacundia, qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obscurissimè dicere,

cere, quod à Græcis perfectissimè uno verbo & planissimè dicitur. Miratur Cler. art. cr. tom. I. p. II. l. II. c. III. §. 23. Gelium ex ipso Plutarcho potius non desumsisse definitionem hujus vocis. Add. Plutarch. oper. tom. II. p. 515. Edit. Wech.

CAP. XVII.

Quid significet in veteribus prætorum edictis, quòd flumina retanda publicè redemta habent.

EDicta veterum prætorum, sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani, & aliud quid requirentibus, quum in manus incidissent, legere atque cognoscere libitum est. Tum in quodam edicto antiquiore ita scriptum invenimus; QUI. FLUMINA. RETANDA. PUBLICE. REDEMTA. HABENT. SI. QUIS. EORUM. AD. ME. EDUCTUS. FUERIT. QUI. DICATUR. QUOD. EUM. EX. LEGE. LOCATIONIS. FACERE. OPORTUERIT. NON. FECISSE. *Retanda* igitur quid esset quærebatur. dixit ibi quispiam nobiscum sedens amicus meus, in libro se Gavii de origine vocabulorum septimo legisse *retas* vocari arbores, quæ aut ex ripis fluminum eminerent, aut in alveis eorum exstarent, appellatasque esse à retibus, quòd prætereuntes naves impedirent & quasi irretirent: idcircoque sese arbitrari *retanda* flumina locari solita esse, id est, purganda: ne quid aut moræ aut periculi navibus in ea virgulta incidentibus fieret.

CAP. XVIII.

Qua pœna Draco Athenienſis in legibus, quas populo Athenienſi ſcripſit, fures affecerit, & qua poſtea Solon, & qui item X-viri *noſtri, qui* XII *tabulas ſcripſerunt. atque inibi adſcriptum, quod apud Ægyptios furta licita & permiſſa ſunt, apud Lacedæmonios autem cum ſtudio quoque affectata & pro exercitio utili celebrata: ac præterea M. Catonis de pœniendis furtis digna memoriâ ſententia.*

DRaco Athenienſis vir bonus multaque esse prudentia existimatus est: juriſque divini & humani peritus fuit. Is Draco leges, quibus Athenienses uterentur,

primus omnium tulit: in illis legibus furem, cujus modi cumque furti, supplicio capitis pœniendum esse, & alia pleraque nimis severè censuit sanxitque. Ejus igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto jussoque, sed tacito illiteratoque Athenienſium consensu oblitteratæ sunt. Postea legibus aliis mitioribus à Solone compositis usi sunt. is Solo ex septem illis inclutis sapientibus fuit. is sua lege in fures, non, ut Draco antea, mortis, sed dupli pœna vindicandum existimavit. Decemviri autem nostri, qui post reges exactos leges, quibus populus Romanus uteretur, in duodecim tabulis scripserunt, neque pari severitate in pœniendis omnium generum furibus, neque remissa nimis lenitate usi sunt. Nam furem, qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut, cum faceret furtum, nox esset, aut interdiu telo se, quum prenderetur, defenderet. Ex cæteris autem manifestis furibus liberos verberari addicique jusserunt ei, cui factum furtum esset, si modò id luci fecissent, neque se telo defendissent: servos item furti manifesti prensos verberibus affici & è saxo præcipitari, sed pueros impuberes prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam sarciri. ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta essent, proinde ac si manifesta forent, vindicaverunt. Sed nunc à lege illa decemvirali discessum est. nam si qui super manifesto furto jure & ordine experiri velit, actio in quadruplum datur. *Manifestum* autem *furtum est*, ut ait Massurius, *quod deprehenditur dum fit*; *faciendi finis est*, *quum perlatum est*, *quo ferri cœperat*. furti concepti, item oblati, tripli pœna est. sed quod sit *oblatum*, quod *conceptum* & pleraque alia ad eam rem, ex egregiis veterum moribus accepta, neque inutilia cognitu neque injucunda, qui legere volet, inveniet Sabini librum, cui titulus est *de furtis*. in quo id quoque scriptum est, quod volgo inopinatum est, non hominum tantùm

tantùm neque rerum moventium, quæ efferri occultè & surripi possunt, sed fundi quoque & ædium fieri furtum: condemnatum quoque furti colonum, qui, fundo, quem conduxerat, vendito, possessione ejus dominum intervertisset; atque id etiam, quod magis inopinabile est, Sabinus dicit furem esse hominis judicatum, qui, quum fugitivus præter oculos forte domini iret, obtentu togæ, tanquam se amiciens ne videretur à domino, obstitisset. Aliis deinde furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli. Id etiam memini legere me in libro Aristonis jureconsulti, haudquaquam indocti viri: apud veteres Ægyptios, quod genus hominum constat & in artibus reperiendis sollertes exstitisse, & in cognitione rerum indaganda sagaces, furta omnia fuisse licita & impœnita. Apud Lacedæmonios quoque, sobrios illos & acres viros, cujus rei non adeò ut Ægyptiis fides longinqua est, non pauci neque ignobiles scriptores, qui de moribus legibusque eorum memorias condiderunt, jus atque usum fuisse furandi dicunt, idque à juventute eorum, non ob turpia lucra, neque ad sumtum libidini præbendum, comparandamve opulentiam, sed pro exercitio disciplinaque rei bellicæ factitatum: quòd & furandi sollertia & assuetudo acueret firmaretque animos adolescentium & ad insidiarum astus & ad vigilandi tolerantiam & obrependi celeritatem. Sed enim M. Cato in oratione, quam de præda militibus dividunda scripsit, vehementiùs & illustribus verbis de impunitate peculatus atque licentia conqueritur. ea verba, quoniam nobis impensè placuerunt, adscripsimus. *Fures*, inquit, *privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque in purpura.* Quàm castè autem ac religiosè à prudentissimis viris quid esset *furtum* definitum sit, prætereundum non puto: ne quis eum solum furem esse putet, qui occulte tollit, aut clam surripit. Verba sunt Sabini ex

libro juris civilis secundo : *Qui alienam rem attrectavit, quum id se invito domino facere judicare deberet, furti tenetur.* Item alio capite. *Qui alienum jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive nescit.* Hæc quidem sic in eo, quo nunc dixi, Sabinus scripsit de rebus furti faciendi causa attrectatis. Sed meminisse debemus, secundùm ea, quæ supra scripsi, furtum sine ulla quoque attrectatione fieri posse, sola mente atque animo, ut furtum fiat, annitente. quocirca ne id quidem Sabinus dubitare se ait, quin dominus furti sit condemnandus, qui servo suo, uti furtum faceret, imperavit.

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT I.

Dissertatio Favorini philosophi, qua suasit nobili feminæ, ut liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret.

NUnciatum quondam est Favorino philosopho, nobis præsentibus, uxorem auditoris sectatorisque sui paululum ante enixam, auctumque eum esse nato filio. Eamus, inquit, & puerperam visum & patri gratulatum. Is erat loci senatorii ex familia nobiliore. Imus unà, qui tum aderamus: prosecutique eum sumus ad domum quò pergebat; & cum eo simul introgressi sumus. Tum in primis ædibus complexus hominem congratulatusque assedit; atque ubi percunctatus est, quàm diutinum puerperium & quàm laborioſi nixus fuissent: puellamque defessam labore ac vigilia somnum capere cognovit; fabulari instituit prolixiùs. Et nihil, inquit, dubito, quin filium lacte suo nutritura sit. Sed quum mater puellæ parcendum esse ei diceret, adhibendasque puero

puero nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutricationis grave ac difficile accederet: Oro te, inquit, mulier, sine eam totam integram esse matrem filii sui. quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese abjecisse? aluisse in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret: non alere nunc suo lacte quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? an tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum ubera quasi quosdam nævulos venustiores, non liberûm alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? sic enim, quod à vobis scilicet abest, pleræque istæ prodigiosæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem, arefacere & exstinguere cum periculo quoque aversi corruptique lactis laborant; tamquam pulchritudinis sibi insignia devenustet. quod quidem faciunt eadem vecordia, qua quibusdam commenticiis fraudibus nituntur, ut fetus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur; ne æquor illud ventris irrugetur, ac de gravitate oneris & labore partus fatiscat. quod quum sit publica detestatione communique odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus interfectum ire: quantulum hinc abest, jam perfectum, jam genitum, jam filium proprii atque consueti atque cogniti sanguinis alimonia privare? Sed nihil interest, (hoc enim dicitur,) dum alatur & vivat, cujus id lacte fiat. cur igitur iste, qui hoc dicit, si in capessendis naturæ sensibus tam obsurduit, non id quoque nihil interesse putat, cujus in corpore cujusque ex sanguine concretus homo & coalitus sit? an quia spiritu multo & calore exalbuit, non idem sanguis est nunc in uberibus, qui in utero fuit? nonne hac quoque in re sollertia naturæ evidens est; quod postquam sanguis ille opifex in penetralibus suis omne corpus hominis finxit,

adventante jam partus tempore, in supernas se partis profert, ad fovenda vitæ atque lucis rudimenta præstò est, & recens natis notum & familiarem victum offert? Quamobrem non frustrà creditum est, sicuti valeat ad fingendas corporis atque animi similitudines vis & natura seminis, non secus ad eamdem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere; neque in hominibus id solùm, sed in pecudibus quoque animadversum. nam si ovium lacte hœdi aut caprarum agni alantur: constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. in arboribus etiam & frugibus major plerumque vis & potestas est, ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quàm ipsius quod jacitur seminis. ac sæpè videas arborem lætam & nitentem in locum alium transpositam, deterioris terræ succo, deperisse. Quæ, malùm, igitur ratio est, nobilitatem istam nati modò hominis, corpusque & animum bene ingeniatis primordiis inchoatum insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? præsertim si ista, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut serva aut servilis est, ut plerumque solet, externæ atque barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. nam plerumque sine discrimine, quæcumque id temporis lactens est, adhiberi solet. Patimurne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici; & spiritum ducere in animum atque in corpus suum ex corpore & animo deterrimo? id herclè ipsum est, quod sæpenumerò miramur quosdam pudicarum mulierum liberos parentum suorum neque corporibus neque animis similes exsistere. Scitè igitur & peritè noster Maro, quod, quum versus illos Homeri consectaretur,

—— ἐκ δ' ἔφυ οὐδὲ πατὴρ ᾧ ἴπποτα Πηλεΐδης
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα,
Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι νόος ἐνδὸς ἀπηνής.

non

non partionem solam, tamquam ille quem sequebatur, sed alituram quoque feram & sævam criminatus est: addidit enim hos de suo;

Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.

quoniam videlicet in moribus inolescendis magnam ferè partem ingenium altricis & natura lactis tenet: quæ jam à principio imbuta paterni seminis concretione, ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. & præter hæc autem, quis illud etiam negligere aspernarique possit, quòd quæ partus suos deserunt ablegantque à sese, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, aut certè quidem diluunt, deteruntque. nam ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est, vigor ille maternæ flagrantiæ sensim atque paulatim restinguitur: omnisque impatientissimæ sollicitudinis strepitus consilescit. neque multo minor amandati ad nutricem aliam filii, quàm morte amissi oblivio est. ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis, in ea sola, unde alitur, occupatur, & proinde, ut in expositis usu venit, matris quæ genuit neque sensum ullum neque desiderium capit. ac propterea oblitteratis & abolitis nativæ pietatis elementis, quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor est, sed civilis & opinabilis. Hæc Favorinum dicentem audivi Græca oratione: cujus sententias, communis utilitatis gratia, quantum meminisse potui, retuli. amœnitates verò & copias ubertatesque verborum Latina omnis facundia vix quidem indipisci potuerit; mea tenuitas nequaquam.

CAP

CAP. II.

Quòd Annæus Seneca judicans de Q. Ennio, déque M. Tullio, levi futilique judicio fuit.

DE Annæo Seneca partim existimant ut de scriptore minimè utili, cujus libros attingere nullum precium operæ sit: quòd oratio ejus vulgaris videatur & protrita; res atque sententiæ aut ut inepto inanique impetu sint; aut ut levi & quasi dicaci argutia; eruditio autem vernacula & plebeja, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiæ neque dignitatis. alii verò elegantiæ quidem in verbis parum esse non inficias eunt, sed & rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt, & in vitiis morum objurgandis severitatem gravitatemque non invenustam. Mihi de omni ejus ingenio deque omni scripto judicium censuramque facere non necessum est: sed quod de M. Cicerone & Q. Ennio & P. Virgilio judicavit, ea res cuimodi sit, ad considerandum ponemus. in libro enim vicesimosecundo Epistolarum moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit:

—— Dictus ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi, & suada medulla.

ac deinde scribit de eisdem versibus verba hæc: *Admiror eloquentissimos viros & deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certè inter bonos ejus versus & hoc refert.* atque id etiam de Cicerone dicit: *Non miror,* inquit, *fuisse qui hos versus scriberet; quum fuerit qui laudaret: nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam, & volebat hos versus videri bonos.* postea hoc etiam addidit insulsissimè: *Apud ipsum quoque,* inquit, *Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quædam; ex quibus intelligas*

illum

illum non perdidisse operam, quòd Ennium legit. ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendat, quasi Enniana; quòd ita scripserit in libris de republica: *Ut Menelao Laconi quædam fuit suaviloquens jucunditas*, & quod alio in loco dixerit, *breviloquentiam in dicendo colat.* atque ibi homo nugator Ciceronis errores deprecatur: &, *Non fuit*, inquit, *Ciceronis hoc vitium, sed temporis. necesse erat hæc dici, quum illa legerentur.* deinde adscribit Ciceronem hæc ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lasciuæ orationis & nitidæ. De Virgilio quoque eodem in loco verba hæc ponit: *Virgilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus & enormes & aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quam ut Ennianus populus agnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis.* Sed jam verborum Senecæ piget. hæc tamen & inepti & insubidi hominis joca non præteribo. *Quidam sunt*, inquit, *tam magni sensus Q. Ennii, ut, licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere.* &, quum reprehendisset versus quos suprà de Cethego posuimus, *Qui hujuscemodi*, inquit, *versus amant, liqueat tibi eosdem admirari & Soterici lectos.* Dignus sanè Seneca videatur lectione ac studio adolescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Soterici lectis compararit, quasi minimæ scilicet gratiæ, & relictis jam contemtisque. audias tamen commemorari ac referri pauca quædam, quæ idem ipse Seneca bene dixerit. quale est illud, quod in hominem avarum & avidum & pecuniæ sitientem dixit. *Quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est quod non habes.* bene hoc sanè, bene. sed adolescentium indolem non tam juvant quæ bene dicta sunt, quàm inficiunt quæ pessimè; multoque magis, si & plura tanto quæ deteriora sunt, & quædam in his non pro enthymemate aliquo rei parvæ ac simplicis, sed in re ancipite pro consilio dicuntur.

CAP.

CAP. III.

Lictoris vocabulum qua ratione conceptum ortumque sit; & super eo diversæ sententiæ Valgii Rufi & Tullii Ciceronis.

VAlgius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit de rebus per epistolam quæsitis, lictorem dicit à ligando appellatum esse. quod, quum magistratus P. R. virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus & manus ligari vincirique à viatore solita sint; isque, qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor sit appellatus: utiturque ad eam rem testimonio M. Tullii, verbaque ejus refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio. *Lictor*, inquit, *colliga manus.* Hæc ita Valgius. & nos sanè cum illo sentimus. sed Tiro Tullius M. Ciceronis libertus *lictorem* vel à *limo* vel à *licio* dictum scripsit. *licio enim transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus*, inquit, *præministrabant, cincti erant.* Si quis autem est, qui propterea putat probabilius esse, quod Tiro dixit, quoniam prima syllaba in lictore, sicuti in licio producta est, & in eo verbo, quod est ligo, correpta est, nihil ad rem istuc pertinet. nam sicut à ligando lictor, & à legendo lector, & à vivendo victor, & tuendo tutor, & struendo structor, productis quæ corripiebantur vocalibus dicta sunt.

CAP. IV.

Versus accepti ex Ennii septimo annalium, quibus depingitur finiturque ingenium, comitasque hominis minoris erga amicum superiorem.

DEscriptum definitumque est à Q. Ennio, in annali septimo, graphicè admodum scitèque, sub historia Gemini Servilii, viri nobilis, quo ingenio, qua comitate,

mitate, qua modestia, qua fide, qua linguæ parsimonia, qua loquendi opportunitate, quanta rerum antiquarum morumque veterum ac novorum scientia, quantaque servandi tuendique secreti religione, qualibus denique ad mœniendas vitæ molestias fomentis, levamentis, solatiis, amicum esse conveniat hominis genere & fortuna superioris. Eos ego versus non minus frequenti assiduoque memoratu dignos puto, quàm philosophorum de officiis decreta. ad hoc color quidam vetustatis in his versibus tam reverendus est, suavitas tam impromisca tamque à fuco omni remota est, ut, mea quidem sententia, pro antiquis sacratisque amicitiæ legibus observandi, tenendi, colendique sint, quapropter adscribendos eos existimavi, si quis jam statim desideraret.

Hæcce loquutus vocat, quicum bene sæpe libenter
Mensam sermonesque suos rerumque suarum
Comiter impertit: magnam cum lassus diei
Partem fuisset, de summis rebus gerundis,
Consilio, indu foro lato, sanctoque senatu,
Cui res audacter magnas parvasque jocumque
Eloqueretur; cuncta maluisque & quæ bona dictu
Evomeret si qui vellet, tutoque locaret.
Quo cum multa volup, ac gaudia clamque palamque.
Ingenium cui nulla malum sententia suadet,
Ut faceret facinus levis, haud malus, doctus, fidelis,
Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
Scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum
Paucum, multa tenens antiqua sepulta, vetustas
Quæ facit, & mores veteresque novosque tenentem.
Multarum veterum legum Divumque hominumque
Prudentem; qui dicta loquive tacereve posset,
Hunc inter pugnas compellat Servilius sic.

L. Ælium Stilonem dicere solitum ferunt Q. Ennium de semetipso hæc scripsisse; picturamque istam morum & ingenii ipsius Ennii factam esse.

CAP.

CAP. V.

Sermo Tauri philosophi de modo atque ratione tolerandi doloris secundum Stoicorum decreta.

QUum Delphos ad Pythia conventumque totius fermè Græciæ visendum philosophus Taurus iret; nosque ei comites essemus; inque eo itinere Lebadiam veniissemus, quod est oppidum antiquum in terra Bœotia: affertur ibi ad Taurum, amicum ejus quempiam nobilem in Stoica disciplina philosophum ægra valetudine oppressum decumbere. tunc omisso itinere, quod alioquin maturandum erat, & relictis vehiculis, pergit eum properè videre: nosque de more quem in locum cumque iret sequuti sumus. & ubi ad ædes, in quîs ille ægrotus erat, pervenîmus; videmus hominem doloribus cruciatibusque alvi, quod Græci colon dicunt, & febri simul adrapida afflictari; gemitusque ex eo compressos erumpere; spirituque & anhelitus è pectore ejus evadere, non dolorem magis indicantes, quàm pugnam adversum dolorem. Post deinde quum Taurus & medicos accersisset, colloquutusque de facienda medela esset; & eum ipsum ad retinendam patientiam testimonio tolerantiæ, quam videbat, perhibito stabilisset; egressique inde ad vehicula & ad comites rediremus: Vidistis, inquit Taurus, non sanè jucundum spectaculum, sed cognitu tamen utile, congredientes compugnantesque philosophum & dolorem. faciebat vis illa & natura morbi, quod erat suum, distractionem cruciatumque membrorum; faciebat contrà ratio & natura animi, quod erat æquè suum: perpetiebatur & cohibebat coërcebatque intra sese violentias effrenati doloris. nullos ejulatus, nullas complorationes, ne ullas quidem voces indecoras edebat: signa tamen quædam, sicut vidistis, exsistebant virtutis & corporis de possessione hominis pugnantium.

Tum

Tum è sectatoribus Tauri juvenis in disciplinis philosophiæ non ignavus, Si tanta, inquit, doloris acerbitas est, ut contra voluntatem contraque judicium animi nitatur, invitumque hominem cogat ad gemendum confitendumque de malo morbi sævientis, cur dolor apud Stoïcos indifferens esse dicitur, non malum? cur deinde aut Stoïcus homo cogi aliquid potest, aut dolor cogere, quum & dolorem Stoïci nihil cogere, & sapientem nihil cogi posse dicant? Ad ea Taurus vultu jam propemodum lætiore, (delectatus enim videbatur illecebra quæstionis) Si jam amicus, inquit, hic noster meliùs valeret, gemitus ejusmodi necessarios à calumnia defendisset, & hanc, opinor, tibi quæstionem dissolvisset: me autem scis cum Stoïcis non bene convenire, vel cum Stoïca potiùs disciplina. est enim pleraque & sibi & nobis incongruens: sicut libro, quem super ea re composuimus, declaratur. sed, ut tibi à me mos geratur, dicam ego indoctiùs, ut ajunt, & apertiùs: quæ fuisse dicturum puto sinuosiùs atque sollertiùs, si quis nunc adesset Stoïcorum. nosti enim, credo, verbum illud vetus & pervulgatum, ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ, καὶ σαφέστερον λέγε. Atque hinc exorsus de dolore atque de gemitu Stoïci ægrotantis ita disseruit; Natura, inquit, omnium rerum, quæ nos genuit, induit nobis inolevitque in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amorem nostri & caritatem; ita prorsus, ut nihil quicquam esset carius pensiusque nobis, quàm nosmet ipsi. atque hoc esse fundamentum rata est conservandæ hominum perpetuitatis, si unusquisque nostrum, simulatque editus in lucem foret, harum prius rerum sensum affectionemque caperet, quæ à veteribus philosophis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν appellata sunt; ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret. postea per incrementa ætatis exorta è seminibus suis ratio est & utendi consilii reputatio, & honestatis utilitatisque veræ

contemplatio, subtiliorque & exploratior commodorum delectus : atque ita præ cæteris omnibus enituit & præfulsit decori & honesti dignitas; ac, si ei retinendæ obtinendæve incommodum extrinsecus aliquod obstaret, contemtum est. neque aliud esse verè & simpliciter bonum nisi honestum, aliud quicquam malum nisi quod turpe esset, existimatum est. reliqua omnia, quæ in medio forent, ac neque honesta essent neque turpia, neque bona esse neque mala decretum est. productiones tamen & relationes suis quæque momentis distinctæ diversæque sunt, quæ προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα ipsi vocant; propterea voluptas quoque & dolor, quod ad finem ipsum bene beateque vivendi pertinet, & in mediis relicta, & neque in bonis neque in malis judicata sunt. Sed enim quoniam his primis sensibus doloris voluptatisque, ante consilii & rationis exortum, recens natus homo imbutus est; & voluptati quidem natura conciliatus, à dolore autem quasi ab gravi quodam inimico abjunctus alienatusque est : iccirco affectiones istas primitus penitusque inditas ratio post addita convellere ab stirpe atque exstinguere vix potest. pugnat autem cum his semper : exsultantis eas opprimit obteritque, & parêre sibi atque obedire cogit. itaque vidistis philosophum ratione decreti sui nixum cum petulantia morbi doloriſque exsultantia colluctantem, nihil cedentem, nihil confitentem, neque, ut plerique dolentes solent, hejulantem atque lamentantem, ac miserum sese & infelicem appellantem, sed acres tantum anhelitus & robustos gemitus edentem, signa atque indicia non victi neque oppressi à dolore, sed vincere eum atque opprimere enitentis. Sed haud scio, inquit, an dicat aliquis ipsum illud quòd pugnat, quòd gemit, si malum dolor non est, cur necesse est gemere & pugnare? quia enim omnia, quæ non sunt mala, molestia quoque omni non carent; sed sunt pleraque noxa quidem magna & pernicie privata,

quia

quia non sunt turpia; contra naturæ tamen mansuetudinem lenitatemque oppositæ sunt, & infestæ, per obscuram quandam & necessariam ipsius naturæ consequentiam. hæc ergo vir sapiens tolerare & cunctari potest; non admittere omnino in sensum sui non potest. ἀναλγησία enim atque ἀπάθεια non meo tantùm, inquit, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti Panætii gravis atque docti viri judicio improbata abjectaque est. Sed cur contra voluntatem suam gemitus facere cogitur philosophus Stoïcus, quem nihil cogi posse dicunt? nihil sanè potest cogi vir sapiens, quum est rationi obtinendæ locus. quum verò natura cogit, ratio quoque à natura data cogitur. quære etiam, si videtur, cur alicujus manu ob oculos suos repentè agitata invitus conniveat; cur fulgente cœlo à luminis jactu non sua sponte & caput & oculos declinet; cur tonitru vehementius facto sensim pavescat; cur sternumentis quatiatur; cur aut in ardoribus solis æstuet, aut in pruinis immanibus obrigescat. Hæc etenim, & pleraque alia non voluntas nec consilium nec ratio moderatur; sed naturæ necessitatisque decreta sunt. fortitudo autem non ea est, quæ contra naturam, monstri vicem, nititur, ultraque modum ejus egreditur, aut stupore animi aut immanitate aut quadam misera & necessaria in perpetiendis doloribus exercitatione: qualem fuisse accepimus ferum quemdam in ludo Cæsaris gladiatorem; qui, quum vulnera ejus à medicis exsecabantur, ridere solitus fuit: sed ea vera & proba fortitudo est, quam majores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum & non tolerandarum. per quod apparet esse quædam intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant, aut sustinendis. Quum hæc Taurus dixisset, videreturque in eamdem rem plura etiam dicturus, perventum est ad vehicula, & conscendimus.

CAP. VI.

De ænigmate.

QUæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam è noſtris veteribus ſirpos appellaverunt: quale eſt, quod nuper invenimus per herclè antiquum, perque lepidum, tribus verſibus ſenariis compoſitum ænigma: uod reliquimus inenarratum, ut legentium conjecturas in requirendo acueremus. Verſus tres hi ſunt:

Semel minuſne, an bis minus, non ſat ſcio:
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipſi regi noluit concedere.

Hoc qui nolet diutius apud ſeſe quærere, inveniet quid ſit in M. Varronis de ſermone Latino ad Marcellum libro ſecundo.

CAP. VII.

Quam ob cauſam Cn. Dolabella proconſul ream mulierem veneficii conſitentemque ad Areopagitas rejecerit.

AD Cn. Dolabellam proconſulari imperio provinciam Aſiam obtinentem deducta mulier Smyrnæa eſt. eadem mulier virum & filium eodem tempore venenis clam datis vita interfecerat: atque id feciſſe ſe confitebatur; dicebatque habuiſſe ſe faciendi cauſam, quoniam idem illi maritus & filius alterum filium mulieris ex viro priore genitum adoleſcentem optimum & innocentiſſimum exceptum inſidiis occidiſſent. idque ita eſſe factum controverſia non erat. Dolabella retulit ad conſilium. nemo quiſquam ex conſilio ſententiam ferre in cauſa tam ancipiti audebat; quòd confeſſum veneficium, quo maritus & filius necati forent, non admittendum impœnitum videbatur, & digna tamen pœna in homines ſceleratos vindicatum fuiſſet. Dolabella eam rem

Athenas

Athenas ad Areopagitas, ut ad judices graviores exercitatioresque, rejecit. Areopagitæ cognita causa accusatorem mulieris, & ipsam, quæ accusabatur, centesimo anno adesse jusserunt. sic neque absolutum mulieris veneficium est, quod per leges non licuit; neque nocens damnata pœnitaque, quæ digna venia fuit. Scripta hęc historia est in libro Valerii Maximi factorum & dictorum memorabilium octavo.

CAP. VIII.

Reditiones in gratiam nobilium virorum memoratu dignæ.

P. Africanus superior & Tib. Gracchus, Tib. & C. Gracchorum pater, rerum gestarum magnitudine, honorum atque vitæ dignitate illustres viri dissenserunt sæpenumerò de republica: & ea, sive qua alia re; non amici fuerunt. ea simultas quum diu mansisset, & solemni die Jovi libaretur, atque ob id sacrificium senatus in Capitolio epularetur; fors fuit, ut apud eamdem mensam duo illi junctim locarentur. tum, quasi dis immortalibus arbitris in convivio Jovis optimi maximi dexteras eorum conducentibus, repentè amicissimi facti: neque solùm amicitia incepta, sed affinitas simul instituta. nam P. Scipio filiam virginem habens jam viro maturam, ibi tunc eodem in loco despondit eam Tib. Graccho; quem probaverat elegeratque exploratissimo judicii tempore, dum inimicus est. Æmilius quoque Lepidus & Fulvius Flaccus nobili genere ampliſſimisque honoribus & summo loco in civitate præditi; odio inter sese gravi & simultate diutina conflictati sunt. postea populus eos simul censores facit. atque illi, ubi voce præconis renunciati sunt, ibidem in campo statim, nondum dimissa concione, ultro uterque & pari voluntate conjuncti complexique sunt: exque eo die & in ipsa censura & postea jugi concordia fidissimè ampliſſimèque vixerunt.

CAP. IX.

Quæ dicantur vocabula ancipitia, & quòd honoris *quoque vocabulum ancipiti sententia fuerit.*

EST plurifariam videre atque animadvertere in veteribus scriptis pleraque vocabula, quæ nunc in sermonibus volgi unam certamque rem demonstrent, ita fuisse media & communia, ut significare & capere possent duas inter se res contrarias; ex quibus quædam satis nota sunt, ut *tempestas*, *valetudo*, *facinus*, *dolus*, *gratia*, *industria*. hæc enim fere jam volgatum est ancipitia esse, & utroque versus dici posse. *periculum* etiam, & *venenum*, & *contagium*, non, uti nunc dicuntur, pro malis tantùm dicta esse, multum exemplorum hujusmodi reperias. sed *honorem* quoque mediam vocem fuisse, & ita appellatum, ut etiam *malus honos* diceretur, & significaret *injuriam*, id profecto rariffimum est. Quintus autem Metellus Numidicus in oratione, quam de triumpho suo dixit, his verbis usus est: *Qua in re quanto universi me unum antistatis; tanto vobis quam mihi majorem injuriam atque contumeliam facit, Quirites: & quanto probi injuriam facilius accipiunt, quàm alteri tradunt; tanto ille vobis quàm mihi pejorem honorem habuit: nam me injuriam ferre, vos facere vult, Quirites: ut hîc conquestio, istic vituperatio relinquatur. honorem*, inquit, *pejorem vobis habuit, quàm mihi.* cujus verbi sententia est, quam ipse quoque supra dicit: *majore vos affecit injuria & contumelia quàm me.* Præter hujus autem verbi notionem adscribendam esse hanc sententiam ex oratione Q. Metelli existimavi, ut definiremus Socratis esse decretum, Κάκιον εἶ τὸ ἀδικεῖν, ἢ τὸ ἀδικεῖσθαι.

CAP.

CAP. X.

Quòd æditumus *verbum Latinum sit.*

AE*Ditumus* verbum Latinum est & vetus, ea forma dictum, qua *finitimus* & *legitimus*. sed pro eo à plerisque nunc *æditus* dicitur nova & commentitia usurpatione; quasi à tuendis ædibus appellatus. Satis hoc esse potuit admonendi gratia dixisse, præter agrestes quosdam & indomitos certatores, qui nisi auctoritatibus adhibitis non comprimuntur. M. Varro, in libro secundo ad Marcellum de Latino sermone, *æditumum* dici oportere censet magis quàm *æditum*; quòd alterum sit recenti novitate fictum, alterum antiquâ origine incorruptum. Lævius quoque, ut opinor, in Protesilaodamia *claustritumum* dixit, qui claustris januæ præesset; eadem scilicet figura, qua *æditumum* dici videbat qui ædibus præest. In Verrem M. Tullii in exemplaribus fideliſſimis ita inveni scriptum, *æditumi custodesque maturè sentiunt*. in libris autem hoc vulgariis, *æditui*, scriptum est. Pomponii fabula Atellana est, quæ ita inscripta est, *Æditumus*, in qua hiç versus est:

Qui postquam tibi appareo atque æditumor in templo tuo.

Titus autem Lucretius in carmine suo, pro, *æditis*, *ædituentes* appellat.

CAP. XI.

Errare istos, qui spe & fiducia latendi peccent; quum latebra peccati perpetua nulla sit: & super ea re Peregrini philosophi sermo ex Sophocli poëtæ sententia.

PHilosophum nomine Peregrinum, cui postea cognomentum Proteus factum est, virum gravem atque constantem vidimus, quum Athenis essemus, di-

versantem in quodam tugurio extra urbem. quumque ad eum frequenter ventitaremus, multa herclè dicere eum utiliter & honestè audivimus. in quibus id fuit, quod præcipuum auditum memínimus. Virum quidem sapientem non peccaturum esse dicebat, etiamsi peccasse eum dii atque homines ignoraturi forent. non enim pœnæ aut infamiæ metu non esse peccandum, sed justi honestique studio & officio. si qui tamen non essent tali ingenio vel disciplina præditi, uti se vi sua ac sponte facilè à peccando tenerent, eos omnis tunc peccare procliviùs existimabat, quum latere posse id peccatum putarent, impunitatemque ex ea latebra sperarent. at si sciant, inquit, homines nihil omnium rerum diutiùs posse celari, repressiùs pudentiùsque peccabitur. propterea versus istos Sophocli prudentissimi poëtarum in ore esse habendos dicebat:

Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ὁ πάντ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

Alius quidam veterum poëtarum, cujus nomen mihi memoriæ non est, Veritatem Temporis filiam esse dixit.

CAP. XII.

Faceta responsio M. Ciceronis amolientis à se crimen manifesti mendacii.

HÆc quoque disciplina rhetorica est, callidè & cum astu res criminosas citra periculum confiteri; ut si objectum sit turpe aliquid, quod negari non queat, responsione joculari eludas, & rem facias risu magis dignam quàm crimine. sicut feciisse Ciceronem scriptum est, quum id, quod inficiari non poterat, urbano facetoque dicto diluit. nam quum emere vellet in palatio domum, & pecuniam in præsens non haberet; à P. Sulla, qui tum reus erat, mutuum sestertium viciens tacitè

citè accepit. ea res tamen, priusquam emeret, prodita est, & in vulgus exivit: objectumque ei est, quòd pecuniam, domus emendæ causa, à reo accepisset. tum Cicero, inopinata opprobatione permotus, accepisse se negavit, ac domum quoque se emturum negavit, atque adeò, inquit, verum sit accepisse me pecuniam, si domum emero. sed quum postea emisset, & hoc mendacium in senatu ei ab inimicis objiceretur, risit satis: atque inter ridendum, ἀληθινονόητε, inquit, homines estis, quum ignoratis prudentis & cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, emturum sese negare, propter competitores emtionis.

CAP. XIII.

Intra kalendas *quum dicitur*, *quid significet*, *utrum* ante kalendas, *an* kalendis, *an utrumque: atque inibi quid sit in oratione M. Tullii*, intra Oceanum, *&* intra montem Taurum, *& in quadam epistola*, intra modum.

QUum Romæ à Consulibus judex extra ordinem datus pronunciare intra Kalendas jussus essem, Apollinarem Sulpicium doctum hominem percunctatus sum, an his verbis, *intra kalendas*, ipsæ quoque kalendæ tenerentur: dixique ei me videlicet datum, kalendasque mihi prodictas, ut intra eum diem pronunciarem. Cur, inquit, hoc me potius rogas, quàm ex istis aliquem peritis studiosisque juris, quos adhibere in consilium judicaturi soletis? tum illi ego ita respondi: Si aut de vetere, inquam, jure, aut recepto, aut controverso & ambiguo, aut novo & constituto discendum esset; issem planè scisciatum ad istos quos dicis. sed quum verborum Latinorum sententia, usus, ratio exploranda sit; scævus profectò & cœcus animi forem, si quum haberem tui copiam, issem magis ad alium quàm ad te. Audi igitur, inquit, de ratione verbi quid existimem.

sed eo tamen pacto, ut id facias, non quod ego de proprietate vocis disseruero, sed quod in ea re omnium pluriumve consensu observari cognoveris: non enim verborum tantum communium veræ atque propriæ significationes longiore usu mutantur; sed legum quoque ipsarum jussa consensu tacito oblitterantur. Tum deinde disseruit, me & plerisque aliis audientibus, in hunc ferme modum: Quum dies, inquit, ita præfinita est, ut judex intra kalendas pronunciet; occupavit jam hæc omnis opinio, non esse dubium, quin ante kalendas jure pronuncietur. & id tantùm ambigi video, quod tu quæris, an kalendis quoque jure pronuncietur. ipsum autem verbum sic proculdubio natum est, atque ita sese habet: ut, quum dicitur, *intra kalendas*, non alius accipi dies debeat quam solæ kalendæ. nam tres istæ voces, *intra*, *ultra*, *citra*, quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, *in*, *cis*, *uls*, hæ deinde particulæ, quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba; & quod dicebatur *cis Tiberim*, & *uls Tiberim*, dici cœptum est *citra Tiberim*, & *ultra Tiberim*: item quod erat *in*, accedente eadem syllaba, *intra* factum est. sunt ergo hæc omnia quasi contermina junctis inter se finibus cohærentia, *intra oppidum*, *ultra oppidum*, *citra oppidum*. ex quibus *intra*, sicuti dixi, *in* significat. nam qui dicit *intra oppidum*, *intra cubiculum*, *intra ferias*, non dicit aliud quam *in oppido*, *in cubiculo*, *in feriis*. *intra kalendas* igitur non *ante kalendas* est, sed *in kalendis*: id est, eo ipso die quo kalendæ sunt. itaque, secundùm verbi ipsius rationem, qui jussus est *intra kalendas* pronunciare, nisi kalendis pronunciet, contra jussum vocis facit. nam, si ante id fiat, non *intra* pronunciat, sed *citra*. nescio quo autem pacto recepta volgò interpretatio est absurdissima. ut *intra kalendas* significare videatur etiam *citra kalendas* vel *ante kalendas*:

nihil

nihil enim ferme interest. atque insuper dubitatur, an *ante kalendas* quoque pronunciari possit: quando neque ultra neque citra, sed, quod inter hæc medium est, *intra kalendas*, id est *kalendis* pronunciandum sit. sed nimirum consuetudo vicit: quæ quum omnium domina rerum, tum maximè verborum est. Ea omnia quum Apollinaris scitè perquam atque enucleatè disputavisset, tum ego hæc dixi: Cordi, inquam, mihi fuit, priusquam ad te irem, quærere explorareque, quonam modo veteres nostri particula ista, qua de agitur, usi sint. atque ita invenimus Tullium in tertia in Verrem scripsisse. *Est autem modò locus intra Oceanum jam nullus, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit. intra Oceanum* dicit, contra rationem tuam. non enim vult, opinor, dicere *in Oceano*. terras enim demonstrat omnis, quæ oceano ambiuntur, ad quas è nostris hominibus adiri potest, quæ sunt *citra Oceanum*, non, *in Oceano*. neque enim videri potest insulas significare nescio quas, quæ penitus esse intra æquora ipsa oceani dicuntur. Tunc Sulpicius Apollinaris renidens, Non mehercle inargutè, inquit, nec incallidè oppositi hoc Tullianum. sed Cicero *intra oceanum*, non, ut tu interpretare, *citra oceanum* dixit. Quid enim potest dici *citra oceanum* esse, quum undique oceanus circumscribat omnis terras & ambiat? nam *citra* quod est, id *extra* est. quî autem potest *intra* esse dici quod *extra* est? sed si ex una tantùm parte orbis oceanus foret, *citra oceanum* esse dici posset, vel *ante oceanum*: quum verò omnis terras omnifariam & undiqueversum circumfluat, nihil citra eum est: sed, undarum illius ambitu terris omnibus convallatis, in medio ejus sunt omnia, quæ intra oras ejus inclusa sunt; sicuti herclè sol non citra cœlum vertitur, sed in cœlo & intra cœlum. Hæc tunc Apollinaris scitè acutéque dicere visus est. sed postea in

libro

bro M. Tullii epistolarum ad Ser. Sulpicium sic dictum esse invenimus *intra modum*, ut *intra kalendas* dicunt, qui dicere *citra kalendas* volunt. verba hæc Ciceronis sunt, quæ apposui: *Sed tamen quoniam effugi ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur me hanc rempublicam non putare, si perpetuò tacerem; modicè hoc faciam aut etiam intra modum, ut & illius voluntati & meis studiis serviam.* *modicè* dixerat, id est, cum modo æquo & pari; deinde, quasi hoc displiceret & corrigere id vellet *aut etiam intra modum.* per quod ostendit minus sese id facturum esse, quàm quod fieri modicè videretur: id est, non ad ipsum modum, sed retro paululum & citra modum. In oratione etiam, quam pro P. Sestio scripsit, *intra montem Taurum*, sic dicit, ut non significet *in monte Tauro*, sed *usque ad montem Taurum cum ipso monte.* verba sunt hæc ipsius M. Tullii, ex ea, quam dixi, oratione. *Antiochum Magnum illum majores nostri magna belli contentione terra marique superatum intra montem Taurum regnare jusserunt: Asiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is in ea regnaret, condonarunt.* *intra montem*, inquit, *Taurum regnare jusserunt.* quod non proinde est, ut, *intra cubiculum*, dicimus: nisi videri potest id esse *intra montem* quod est *intra regiones* quæ Tauri montis objectu separantur. nam sicuti qui *intra cubiculum* est, is non in cubiculi parietibus, sed intra parietes est, quibus cubiculum includitur, qui tamen ipsi quoque parietes in cubiculo sunt: ita, qui regnat intra montem Taurum, non solùm in monte Tauro regnat, sed in his etiam regionibus quæ Tauro monte clauduntur. Num igitur secundùm istam verborum M. Tullii similitudinem, qui jubetur *intra kalendas* pronunciare, is & *ante kalendas*, & *ipsis kalendis* jure pronunciare potest? neque id fit quasi privilegio quodam insitæ consuetudinis, sed certa rationis observatione: quoniam omne tempus, quod

kalen-

kalendarum die includitur, intra kalendas esse rectè dicitur.

CAP. XIV.

Saltem *particula quam vim habeat & quam originem.*

Saltem particula quam haberet principem significationem, quæque vocis istius origo esset, quærebamus. ita enim primitùs factam esse apparet, ut non videatur, sicuti quædam supplementa orationis, temerè & inconditè assumta. atque erat qui diceret legisse se in grammaticis commentariis P. Nigidii, *saltem* ex eo dictum, quod esset, si aliter; idque ipsum dici solitum per defectionem: nam plenam esse sententiam, *si aliter non potest.* sed id nos in iisdem commentariis Nigidii, quum eos non, opinor, incuriosè legissemus, nusquam invenimus. Videntur autem verba ista, *si aliter non potest*, à significatione quidem voculæ hujus, de qua quærimus, non aberrare: sed tot verba tamen in pauciſſimas litteras cludere improbæ cujusdam subtilitatis est. Fuit etiam qui diceret homo in libris atque litteris assiduus, *saltem* sibi dictum videri *u* littera media extrita. *salutem* enim ante dictum, quod nos *saltem* diceremus. nam quum alia quædam petita & non impetrata sunt; tum solemus, inquit, quasi extremum aliquid petituri, quod negari minimè debeat, dicere; *hoc saltem fieri aut dari oportere:* tamquam salutem postremò petentes, quam impetrari certè & obtineri sit æquissimum. sed hoc itidem non illepidè quidem fictum, nimis tamen esse videtur commenticium; censuimus igitur amplius quærendum.

CAP.

CAP. XV.

Quòd Sisenna in libris historiarum adverbiis hujuscemodi sæpenumero usus est, celatim, vellicatim, saltuatim.

QUum lectitaremus historiam Sisennæ assiduè, hujuscemodi figuræ adverbia in oratione ejus animadvertimus, cuimodi sunt hæc, *cursim*, *properatim*, *celatim*, *vellicatim*, *saltuatim*. ex quibus duo prima, quia sunt notiora, exemplis non indigebant. reliqua in historiarum sexto sic scripta sunt: *Quam maximè celatim poterat, in insidiis suos disponit.* item alio in loco: *Nos una æstate in Asia & Græcia gesta idcirco literis continentia mandavimus, ne vellicatim aut saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.*

LIBER TERTIUS DECIMUS.

CAPUT I.

Inquisitio verborum istorum M. Tullii curiosior, quæ fuit in primo Antonianarum libro: Multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum: *tractatumque an idem duo ista significent*, fatum, *atque* natura, *an diversum.*

MCICERO in primo Antonianarum ita scriptum reliquit: *Hunc igitur ut sequerer properavi, quem præsentes non sunt sequuti: non ut proficerem aliquid; neque enim sperabam id, nec præstare poteram; sed ut si quid mihi humanitùs accidisset (multa autem impendere videntur præter naturam etiam præterque fatum) hujus diei vocem testem reipublicæ relinquerem meæ perpetuæ erga

erga se voluntatis. præter naturam, inquit, *præterque fatum.* an utrumque idem valere voluerit, *fatum* atque *naturam*, & duas res καθ' ἑνὸς ὑποκειμένου posuerit, an verò diviserit separaritque, ut alios casus natura ferre videatur, alios fatum, considerandum equidem puto: atque id maximè requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitùs posse præter fatum: quando sic ratio & ordo & insuperabilis quædam necessitas fati constituitur, ut omnia intra fatum claudenda sint; nisi illud sanè Homeri sequutus est:

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἀΐδος εἰσαφίκηαι.

Nihil autem dubium est, quin violentiam & inopinatam mortem significaverit: quæ quidem potest rectè videri accidere præter naturam. sed cur id quoque genus mortis extra fatum posuerit, neque operis hujus est explorare, neque temporis. illud tamen non prætermittendum est, quòd Virgilius quoque idipsum quod Cicero de fato opinatus est, quum hoc in quarto libro dixit de Elisa, quæ mortem per vim potita est:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

tamquam in faciendo fine vitæ quæ violenta sunt non videantur è fato venire. Demosthenis autem, viri prudentia pari atque facundia præditi, verba idem ferè significantia de natura atque fato M. Cicero sequutus videtur. ita enim scriptum est in oratione illa egregia, cui titulus est, ὑπὲρ στεφάνου. Ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι μόνον γεγεννῆσθαι νομίζων τὴν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὴν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν ἐθελήσει. Quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, id multo ante Demosthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὴν αὐτόματον θάνατον appellavit. Αὐτόματος enim θάνατος, quasi naturalis & fatalis, nulla extrinsecus vi coactus venit.

CAP. II.

Super poëtarum Pacuvii & Accii colloquio familiari in oppido Tarentino.

QUibus otium & studium fuit vitas atque ætates doctorum hominum quærere ac memoriæ tradere, de M. Pacuvio & L. Accio tragicis poëtis historiam scripserunt hujuscemodi. Quum Pacuvius, inquiunt, grandi jam ætate & morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius tunc haud parvo junior proficiscens in Asiam, quum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium: comiterque invitatus, pluscullisque ab eo diebus retentus, tragœdiam suam, cui *Atreus* nomen est, desideranti legit. tum Pacuvium dixisse ajunt, sonora quidem esse, quæ scripsisset, & grandia: sed videri ea tamen sibi duriora paulum & acerbiora. Ita est, inquit Accius, uti dicis. neque id sanè me pœnitet: meliora enim fore spero quæ deinceps scribam. nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse ajunt in ingeniis: quæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & jucunda. sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atque in principio sunt uvida, non matura mox fiunt, sed putria. relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.

CAP. III.

An vocabula hæc, necessitudo *&* necessitas, *differenti significatione sint.*

RIsu prorsus atque ludo res digna est, quum plerique grammaticorum asseverant *necessitudinem* & *necessitatem* mutare longè, longéque differre: ideo quòd *necessitas* sit vis quæpiam premens & cogens; *necessitudo* autem dicatur jus quoddam & vinculum religiosæ conjunctionis;

ctionis; idque unum solitarium significet. sicut autem nihil quicquam interest *suavitudo* dicas an *suavitas*, *sanctitudo* an *sanctitas*, *acerbitudo* an *acerbitas*, *acritudo*, an, quod Accius in Neoptolemo scripsit, *acritas*: ita nihil rationis dici potest, quî *necessitudo* & *necessitas* separentur. itaque in libris veterum vulgo reperias *necessitudinem* dici, pro eo quod necessum est. sed *necessitas* sanè pro jure officioque observantiæ affinitatisque infrequens est: quamquam, qui ob hoc ipsum jus affinitatis familiaritatisve conjuncti sunt, necessarii dicuntur. repperi tamen in oratione C. Cæsaris, qua Plautiam rogationem suasit, *necessitatem* dictam pro *necessitudine*, id est, jure affinitatis. verba hæc sunt: *Equidem mihi videtur pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.* Hoc ego scripsi de utriusque vocabuli indifferentia, admonitus fortè verbi istius, quum legerem Sempronii Asellionis veteris scriptoris quartum ex historia librum, in quo de P. Africano Pauli filio ita scriptum est; *Nam se patrem suum audisse dicere L. Æmilium Paulum, nimis bonum imperatorem signis collatis non decertare, nisi summa necessitudo aut summa ei occasio data esset.*

CAP. IV.

Olympiadis Alexandri matris comis ac prudens ad filium Alexandrum rescriptio.

IN plerisque monumentis rerum ab Alexandro gestarum, & paulo antè in libro M. Varronis, qui inscriptus est *Orestes vel de insania*, Olympiadem Philippi uxorem festivissimè rescripsisse legimus Alexandro filio. nam quum is ad matrem ita scripsisset; REX. ALEXANDER. JOVIS. HAMMONIS. FILIUS. OLYMPIADI. MATRI. SALUTEM. DICIT. Olympias rescripsit ad hanc sententiam: *Amabo*, inquit, *mi fili, quiescas:*

neque deferas me neque criminere adversum Junonem: malum mihi prorsum illa magnum dabit, quum tu me litteris tuis pellicem illi esse confiteris. Ea mulieris scitæ atque prudentis erga ferocem filium comitas sensim & comiter admonuisse eum visa est, deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victoriis & adulantium blandimentis & rebus supra fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Jove.

CAP. V.

De Aristotele, Theophrasto, & Menedemo philosophis, deque eleganti verecundia Aristotelis successorem diatribæ suæ eligentis.

ARistoteles philosophus annos jam ferè natus duo & sexaginta, corpore ægro affectoque, ac spe vitæ tenui fuit. tunc omnis ejus sectatorum cohors ad eum accedit, orantes obsecrantesque, ut ipse deligeret loci sui & magisterii successorem; quo, post summum ejus diem, proinde ut ipso, uterentur ad studia doctrinarum complenda excolendaque, quibus ab eo imbuti fuissent. Erant tunc in ejus ludo boni multi, sed præcipui duo, Theophrastus & Menedemus. ingenio hi atque doctrinis cæteros præstabant. alter ex insula Lesbo fuit, Menedemus autem Rhodo. Aristoteles respondit, facturum esse quod vellent, quum id sibi foret tempestivum. postea brevi tempore quum idem illi, qui de magistro destinando petierant, præsentes essent; vinum, ait, quod tum biberet, non esse id ex valetudine sua, sed insalubre esse atque asperum; ac propterea quæri debere exoticum vel Rhodium aliquod vel Lesbium. id sibi utrumque ut curarent, petivit; usurumque eo dixit, quod sese magis juvisset. eunt, curant, inveniunt, adferunt. tum Aristoteles Rhodium petit, deguſtat. Firmum, inquit, hercle vinum & jucundum.

petit

petit mox Lesbium: quo item degustato, Utrumque, inquit, oppidò bonum, sed ἡδίων ὁ Λέσβιος. id ubi dixit, nemini fuit dubium, quin, lepidè simul & verecundè, successorem illa voce sibi, non vinum delegisset. is erat è Lesbo Theophrastus, suavitate homo insigni linguæ pariter atque vitæ. itaque non diu pòst, Aristotele vita defuncto, ad Theophrastum omnes concesserunt.

CAP. VI.

Quid veteres Latini dixerunt quas Græci προσῳδίας *appellant; & item quòd vocabulum* barbarismi *non usurpaverint neque Romani antiquiores, neque Attici.*

QUas Græci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant. quod nunc autem barbare quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed rusticum, & cum eo vitio loquentes rusticè loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis, *Rusticus fit sermo*, inquit, *si adspires perperam*. itaque id vocabulum quod dicitur vulgò barbarismus, qui ante Divi Augusti ætatem purè atque integrè loquuti sunt an dixerint, nondum equidem inveni.

CAP. VII.

Diversum de natura leonum dixisse Homerum in carminibus, & Herodotum in historiis.

LEænas inter omnem vitam semel parere, eoque uno partu nunquam edere plures quàm unum, Herodotus in tertia historia scriptum reliquit. verba ex eo libro hæc sunt: ἡ δὲ λέαινα, ἢν ἰχνεύσασα

καὶ θρασύτατον, ἅπαξ ἐν τῷ βίῳ τίκτει ἕν. τίκτουσα γὰρ συνεκβάλλει τῷ τέκνῳ τὰς μήτρας. Homerus autem leones (sic enim feminas quoque virili genere appellat, quod grammatici ἐπίκοινον vocant, pluris gignere atque educare catulos dicit. versus, quibus hoc apertè demonstrat, hi sunt:

Εἰστήκει ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
Ὡρά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσοντα ἐν ὕλῃ
Ἄνδρες ἐπακτῆρες.

Item alio in loco idem significat:

Πυκνὰ μάλα στενάχων, ὥσπερ λὶς ἠϋγένειος
Ὡράθ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἅρπασεν ἀνὴρ
Τ'λης ἐκ πυκινῆς:

Ea nos dissensio atque diversitas quum agitaret inclutissimi poëtarum & historicorum nobilissimi, placuit libros Aristotelis philosophi inspici, quos de animalibus exquisitissimè composuit. In quibus, quod super ista re scriptum invenimus, cum ipsius Aristotelis verbis, in his commentariis scribemus. verba Aristotelis hæc sunt ex libro de historia animalium sexto:

Λέων δ' ὅτι μὲν ὀχεύει ὄπισθεν, καί ἐστιν ὀπισθουρητικὸν, εἴρηται πρότερον. ὀχεύει δὲ καὶ τίκτει οὐ πᾶσιν ὥραν, καθ' ἕκαστον μέν τοι τὸν ἐνιαυτόν. τίκτει μὲν οὖν τοῦ ἔαρος. τίκτει δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δύο. τὰ μέν τοι πλεῖστα ἕξ. τίκτει δ' ἐνίοτε καὶ ἕν. ὃ δὲ λεχθεὶς μῦθος περὶ τοῦ ἐκβάλλειν τὰς ὑστέρας τίκτοντα, ληρώδης ἐστιν. συνετέθη δὲ ἐκ τοῦ σπανίους εἶναι τοὺς λέοντας, ἀποροῦντος τὴν αἰτίαν τοῦ τὸν μῦθον συνθέντος. σπάνιον γὰρ τὸ γένος τὸ τῶν λεόντων ἐστὶ, καὶ οὐκ ἐν πολλῷ γίγνεται τόπῳ. ἀλλὰ τῆς Εὐρώπης ἁπάσης ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ Ἀχελώου καὶ τοῦ Νέσσου ποταμοῦ. τίκτει δὲ ὁ λέων πάνυ μικρὰ, οὕτως ὥστε δίμηνα ὄντα μόλις βαδίζειν. οἱ δ' ἐν Συρίᾳ λέοντες τίκτουσι πεντάκις. τὸ πρῶτον πέντε, εἶτα ἀεὶ ἐνὶ ἐλάττονα. μετὰ δὲ ταῦτα οὐκ ἔτι οὐδὲν τίκτουσιν, ἀλλ' ἄγονοι διατελοῦσιν. οὐκ ἔχει δὲ ἡ λέαινα χαίτην, ἀλλ' ὁ ἄρρην λέων. βάλλει δὲ ὁ λέων

τοὺς

τοὺς κυνόδοντας καλουμένους τέτταρας μόνους, δύο μὲν ἄνωθεν, δύο δὲ κάτωθεν, βάλλει δὲ ἑξάμηνος ὢν τὴν ἡλικίαν.

CAP. VIII.

Quòd Afranius poëta prudenter & lepidè sapientiam filiam esse Usus & Memoriæ dixit.

EXimiè hoc atque verissimè Afranius poëta de gignenda comparandaque sapientia opinatus est, quòd eam filiam esse Usus & Memoriæ dixit. eo namque argumento demonstrat, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse; sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus cominus noscendis periclitandisque, eaque omnia acta & eventa firmiter meminisse: & proindè sapere ac consulere ex his, quæ pericula ipsa rerum docuerint, non quæ libri tantùm ac magistri per quasdam inanitates verborum & imaginum, tanquam in mimo aut in somnio, dictitaverint. Versus Afranii sunt in togata, cui Sellæ nomen est:

Usus me genuit, mater peperit Memoria.
Sophiam vocant me Graij, vos Sapientiam.

Item versus est in eamdem fermè sententiam Pacuvii, quem Macedo philosophus vir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum:

Ego odi homines ignava opera & philosopha sententia.

nihil enim fieri posse indignius neque intolerantius dicebat, quàm quod homines ignavi ac desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiæ in linguæ verborumque artes converterent; & vitia facundissimè accusarent intercutibus ipsi vitiis madentes.

CAP. IX.

Quid Tullius Tiro in commentariis scripserit de Suculis & Hyadibus, quæ sunt stellarum vocabula.

TUllius Tiro M. Ciceronis alumnus & libertus, adjutorque in literis studiorum ejus fuit. is libros compluris de usu atque ratione linguæ Latinæ, item de variis atque promiscis quæstionibus composuit. in his esse præcipui videntur, quos Græco titulo πανδέκτας inscripsit, tamquam omne rerum atque doctrinarum genus continentis. ibi de his stellis, quæ appellantur suculæ, hoc scriptum est: *Adeò*, inquit, *veteres Romani litteras Græcas nesciverunt, & rudes Græcæ linguæ fuerunt, ut stellas, quæ in capite Tauri sunt, propterea suculas appellarint, quod eas Græci ὑάδας vocant; tamquam id verbum Latinum Græci verbi interpretamentum sit. quia Græcè ὗες, sues Latinè dicantur. sed ὑάδες*, inquit, *οὐκ ἀπὸ τοῦ ὑῶν, ita ut nostri opici putaverunt, sed ab eo, quod est ὑων, appellantur. nam & quum oriuntur & quum occidunt, tempestates pluvias largosque imbres cient. pluere autem & Græca lingua ὕειν dicitur.* Hæc quidem Tiro in Pandectis. sed enim veteres nostri non usque eo rupices & agrestes fuerunt, ut stellas hyadas idcirco suculas nominarent, quod ὗες Latinè sues dicantur: sed ut quod Græci ὑπὲρ, nos *super* dicimus; quod illi ὕπτιος, nos *supinus*; quod ὑφορβὸς, nos *subulcus*; quod item illi ὕπνος, nos primo *sypnus*, deinde per *y* Græcæ Latinæque literæ cognationem *somnus*: sic quod ab illis ὑάδες, à nobis primo *syades*, deinde *suculæ* appellatæ. Stellæ autem istæ non in capite Tauri sunt, ut Tiro dicit (nullum enim videtur præter eas stellas Tauri caput) sed hæ ita circulo, qui Zodiacus dicitur, sitæ locatæque sunt; ut ex earum positu species quædam & simulacrum esse videatur Tauri capitis: sicuti cæteræ

partes

partes & reliqua imago Tauri conformata & quasi depicta est locis regionibusque earum stellarum, quas Græci πλειάδας, nos vergilias vocamus.

CAP. X.

Quod sororis *etymon esse dixerit Labeo Antistius & quod* fratris *Nigidius.*

LAbeo Antistius juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publicè responsitavit; cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit: & in grammaticam sese atque dialecticam litterasque antiquiores altioresque penetraverat, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat: eaque præcipuè scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur. Sunt adeò libri post mortem ejus editi, qui *posteriores* inscribuntur; quorum librorum tres continui tricesimus octavus & tricesimus nonus & quadragesimus pleni sunt id genus rerum ad enarrandam & illustrandam linguam Latinam conducentium. Præterea in libris, quos ad Prætoris edictum scripsit, multa posuit partim lepidè atque argutè reperta; sicuti hoc est, quod in quarto ad edictum libro scriptum legimus; *Soror*, inquit, *appellata est, quod quasi seorsum nascitur; separaturque ab ea domo in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur.* Fratris autem vocabulum P. Nigidius, homo impensè doctus, non minus arguto subtilique ἐτύμῳ interpretatur, *Frater*, inquit, *est dictus quasi ferè alter.*

CAP. XI.

Quem M. Varro aptum justumque esse numerum convivarum existimarit: ac de mensis secundis & bellariis.

LEpidissimus liber est M. Varronis ex satiris Menippæis, qui inscribitur, NESCIS. QUID. VESPER. SERUS. VEHAT. in quo disserit de apto convivarum numero, deque ipsius convivii habitu cultuque. dicit autem convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum; id est, proficisci à tribus, & consistere in novem: ut, cum pauciss*i*mi convivæ sunt, non pauciores sint quàm tres; quum plurimi, non plures, quàm novem. *nam multos*, inquit, *esse non convenit, quòd turba plerumque est turbulenta. & Romæ*, inquit, *constat, sed & Athenis, nusquam, aut cubat. Ipsum deinde convivium constat*, inquit, *ex rebus quatuor, & tum denique omnibus suis numeris absolutum est. si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. nec loquaces autem*, inquit, *convivas, nec mutos legere oportet. quia eloquentia in foro & apud subsellia, silentium verò non in convivio, sed in cubiculo esse debet.* Sermones igitur id temporis habendos censet non super rebus anxiis aut tortuosis, sed jucundos atque invitabiles & cum quadam illecebra & voluptate utiles; ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius. *Quod profectò*, inquit, *eveniet, si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium. dominum autem*, inquit, *convivii esse oportet non tam lautum, quàm sine sordibus: & in convivio legi non omnia debent, sed ea potissimum quæ simul sint βιωφελῆ & delectent.* Neque non de secundis quoque mensis cujusmodi esse eas oporteat

porteat præcipit. his enim verbis utitur : *Bellaria*, inquit, *ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. πέμμασιν enim cum πέψει societas infida.* Quod Varro hoc in loco dixit, *bellaria*, ne quis fortè in ista voce hæreat ; significat id vocabulum omne mensæ secundæ genus. nam quæ πέμματα Græci aut τραγήματα dixerunt, ea veteres nostri bellaria appellaverunt. vina quoque dulciora est invenire in comœdiis antiquioribus hoc nomine appellata : dictaque esse ea Liberi.

CAP. XII.

Tribunos plebis prensionem *habere*, vocationem *non habere.*

IN quadam epistola Atei Capitonis scriptum legimus Labeonem Antistium legum atque morum populi Romani jurisque civilis doctum apprimè fuisse. *Sed agitabat*, inquit, *hominem libertas quædam nimia atque vecors ; usque eo ut Divo Augusto jam principe & rempublicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.* ac deinde narrat, quid idem Labeo per viatorem à tribunis plebi vocatus responderit. *Quum à muliere*, inquit, *quadam tribuni plebis adversum eum aditi Gellianum ad eum misissent ut veniret & mulieri responderet : jussit eum, qui missus erat, redire, & tribunis dicere, jus eos non habere neque se neque alium quemquam vocandi ; quoniam moribus majorum tribuni plebis prensionem haberent, vocationem non haberent. posse igitur eos venire & prendi se jubere, sed vocandi absentem jus non habere.* Quum hoc in ea Capitonis epistola legissemus ; idipsum postea in M. Varronis rerum humanarum uno & vicesimo libro enarratius scriptum invenimus : verbaque ipsa super ea re Varronis adscripsimus : *In magistratu*, inquit,

habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum. vocationem; ut consules & cæteri qui habent imperium. prensionem; ut tribuni plebis & alii qui habent viatorem. neque vocationem, neque prensionem; ut quæstores & cæteri, qui neque lictorem habent neque viatorem. qui vocationem habent, idem prendere, tenere, abducere possunt. & hæc omnia, sive adsunt quos vocant, sive acciri jusserunt. tribuni plebis vocationem habent nullam. neque minus multi imperiti, proinde atque haberent, ea sunt usi. nam quidam non modò privatum, sed etiam consulem in rostra vocari jusserunt. ego triumvir vocatus à P. Porcio tribuno plebis non ivi auctoribus principibus, & vetus jus tenui. item tribunus quum essem, vocari neminem jussi, neque vocatum à collega parere invitum. Hujus ego juris, quod M. Varro tradit, Labeonem arbitror vana tunc fiducia, quum privatus esset, vocatum à tribunis non isse. quæ, malum, autem ratio fuit vocantibus nolle obsequi, quos confiteare jus habere prendendi? nam jure prendi qui potest, etiam in vincula duci potest. Sed quærentibus nobis quam ob causam tribuni, qui haberent summam coërcendi potestatem, jus vocandi non habuerint: quòd tribuni plebis antiquitùs creati videntur non juri dicundo, nec causis quereliſque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent: ut injuria, quæ coràm fieret, arceretur: ac propterea jus abnoctandi ademtum: quoniam, ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum & præsentium oculis opus erat.

CAP.

CAP. XIII.

Quòd in libris Humanarum M. Varronis scriptum est, ædiles & quæstores populi Romani in jus à privato ad prætorem vocari posse.

QUum ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in medium jam hominum & in lucem fori prodissem: quæsitum esse memini in plerisque Romæ stationibus jus publicè docentium aut respondentium, an quæstor populi Romani ad prætorem in jus vocari posset. id autem non ex otiosa quæstione agitabatur: sed usus fortè natæ rei ita erat, ut vocandus esset in jus quæstor. Non pauci igitur existimabant jus vocationis in eum prætori non esse: quoniam magistratus populi Romani proculdubio esset: & neque vocari, neque si venire nollet, capi aut prendi, salva ipsius magistratus majestate, posset. Sed ego, qui tum assiduus in libris M. Varronis fui, quum hoc quæri dubitarique animadvertissem; protuli unum & vicesimum rerum humanarum, in quo ita scriptum fuit: *Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prensionis, eos magistratus à privato in jus quoque vocari est potestas. M. Lævinus ædilis curulis à privato ad prætorem in jus est eductus. nunc stipati servis publicis non modò prendi non possunt, sed etiam ultrò summovent populum.* Hoc Varro in ea libri parte de ædilibus: suprà autem in eodem libro quæstores neque vocationem habere neque prensionem dicit. utraque igitur libri parte recitata in Varronis omnes sententiam concesserunt; quæstorque in jus ad prætorem vocatus est.

CAP.

CAP. XIV.

Quid sit pomœrium.

POmœrium quid esset, augures P. R. qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt: *Pomœrium est locus intra agrum effatum per totius urbis circuitum ponè muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.* Antiquissimum autem pomœrium, quod à Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur. sed id pomœrium pro incrementis reipublicæ aliquotiens prolatum est, & multos editosque collis circumplexum est. habebat autem jus proferendi pomœrii, qui populum R. agro de hostibus capto auxerat. Propterea quæsitum est, ac nunc etiam in quæstione est, quam ob causam ex septem urbis montibus, quum cæteri sex intra pomœrium sint, Aventinus solum, quæ pars non longinqua nec infrequens est, extra pomœrium sit: neque id Ser. Tullius rex, neque Sulla, qui proferendi pomœrii titulum quæsivit, neque postea Divus Julius, quum pomœrium proferret, intra effatos urbis fines incluserint. Hujus rei Messala aliquot causas videri scribit. sed præter eas omnes ipse unam probat, quòd in eo monte Remus urbis condendæ gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque in auspicio à Romulo sit. *iccirco*, inquit, *omnes, qui pomœrium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscœnis ominosum.* Sed de Aventino monte prætermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis grammatici veteris commentario offendi: in quo scriptum erat, Aventinum antea sicuti diximus, extra pomœrium exclusum, pòst auctore Divo Claudio receptum, & intra pomœrii fines observatum.

CAP.

CAP. XV.

Verba ex libro Messalæ auguris, quibus docet qui sint minores magistratus, *& consulem prætoremque collegas esse; & quædam alia de* auspiciis. *item verba ejusdem Messalæ differentis, aliud esse* ad populum loqui, *aliud* cum populo agere; *& qui magistratus à quibus avocent comitiatum.*

IN edicto consulum, quo edicunt qui dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua; NE. QUIS. MAGISTRATUS. MINOR. DE. CAELO. SERVASSE. VELIT. quæri igitur solet, qui sint magistratus minores. super hac re meis verbis nihil opus fuit: quoniam liber Messalæ auguris de auspiciis primus, quum hoc scriberemus, forte adfuit. propterea ex eo libro, verba ipsius Messalæ subscripsimus. *Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. maxima sunt, consulum, prætorum, censorum, neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem potestatis: ideo quòd collegæ non sunt censores consulum aut prætorum; prætores consulum sunt. ideoque neque consules aut prætores censoribus, neque censores consulibus aut prætoribus turbant aut retinent auspicia. at censores inter se, rursus prætores consulesque inter se & vitiant & obtinent. prætor, etsi collega consulis est, neque prætorem, neque consulem jure rogare potest, ut quidem nos à superioribus accepimus, aut ante hæc tempora servatum est: & ut in commentario tertiodecimo C. Tuditani patet, quia imperium minus prætor, majus habet consul: & à minore imperio majus aut major collega rogari jure non potest. prætores nos his temporibus prætore creante veterum auctoritatem sumus sequuti: neque iis comitiis in auspicio fuimus. Censores æquè non eodem rogantur auspicio atque consules & prætores. reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: ideo*

illi

illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justius curiata datur lege. majores centuriatis comitiis fiunt. Ex his omnibus verbis Messalæ manifestum fit & qui sint magistratus minores, & quamobrem minores appellentur. sed & collegam esse prætorem consuli docet, quòd eodem auspicio creantur. Majora autem dicuntur auspicia habere, quia eorum auspicia magis rata sunt quam aliorum. Idem Messala in eodem libro de minoribus magistratibus ita scribit: *Consul ab omnibus magistratibus & comitiatum & concionem avocare potest. prætor & comitiatum & concionem usquequaque avocare potest, nisi à consule. minores magistratus nusquam nec comitiatum nec concionem avocare possunt. ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is rectè agit: quia bifariam cum populo agi non potest. nec avocare alius alii posset, si concionem habere volunt, uti ne cum populo agant: quamvis multi magistratus simul concionem habere possunt.* Ex his verbis Messalæ manifestum est, aliud esse cum populo agere, aliud concionem habere. nam cum populo agere, est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat aut vetet; concionem autem habere, est verba facere ad populum sine ulla rogatione.

CAP. XVI.

Humanitatem *non id significare quod vulgus putat; sed eo vocabulo, qui sinceriter locuti sunt, magis propriè esse usos.*

QUi verba Latina fecerunt, quique his probè usi sunt, *humanitatem* non id esse voluerunt quod volgus existimat, quodque à Græcis φιλανθρωπία dicitur, & significat dexteritatem quamdam benevolentiamque erga omnis homines promiscam; sed *humanitatem* appellaverunt id propemodùm, quod Græci παιδείαν vocant;

vocant; nos eruditionem institutionemque in bonas artis dicimus: quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maximè humanissimi. hujus enim scientiæ cura & disciplina ex universis animantibus uni homini data est; iccircoque humanitas appellata est. sic igitur eo verbo veteres esse usos, & cumprimis M. Varronem Marcumque Tullium, omnes ferme libri declarant. quamobrem satis habui unum interim exemplum promere. itaque verba posui Varronis è libro rerum humanarum primo, cujus principium hoc est: *Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paulum modo humaniori ignotus. Humaniori*, inquit, non ita, ut volgo dicitur, facili & tractabili & benivolo, tametsi rudis literarum sit, (hoc enim cum sententia nequaquam convenit) sed eruditiori doctiorique, qui Praxitelem, quid fuerit, & ex libris, & ex historia cognoverit.

CAP. XVII.

Quid apud M. Catonem significent verba hæc inter os & offam.

ORatio est M. Catonis Censorii, de ædilibus vitio creatis. ex ea oratione verba hæc sunt: *Nunc ita ajunt, in segetibus, in herbis, bona frumenta esse. nolite ibi nimiam spem habere. sæpe audivi, inter os atque offam multa intervenire posse. verumverò inter offam atque herbam, ibi verò longum intervallum est.* Erucius Clarus, qui præfectus urbi & bis Consul fuit, vir morum & literarum veterum studiosissimus, ad Sulpicium Apollinarem scripsit hominem memoriæ nostræ doctissimum, quærere sese & petere, ut sibi rescriberet, quænam essent eorum verborum sententia. tum Apollinaris, nobis præsentibus, (nam id temporis ego adolescens Romæ sectabar eum discendi gratia,) rescripsit Claro, ut viro erudito, brevissimè;

vetus

vetus esse proverbium *inter os & offam*, idem significans quod Græcus ille παροιμιώδης versus:

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

CAP. XVIII.

Platonem tribuere Euripidi, Sophocli versum; & inveniri versus verbis isdem, aut paucis syllabis immutatis, apud diversos poëtas temporibus variis natos.

VErsus est notæ venustatis senarius:

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίαι.

eum versum Plato in Theæteto Euripidi esse dicit, quod quidem nos admodum miramur. nam scriptum eum legimus in tragœdia Sophocli, quæ inscripta est Αἴας ὁ Λοκρός. prior autem natus fuit Sophocles quàm Euripides. sed etiam ille versus non minus notus:

Γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ,

& in tragœdia Sophocli scriptus est, cui titulus est Φυλείδες, & in Bacchis Euripidi. id quoque animadvertimus apud Æschylum ἐν τῷ πυρφόρῳ Προμηθεῖ, & apud Euripidem in tragœdia, quæ inscripta est Εἰνώ, eumdem esse versum absque paucis syllabis. Æschylus sic:

Σιγῶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγοντα καιρία.

Euripides autem sic:

Σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν ἴν' ἀσφαλές.

Fuit autem Æschylus non brevi antiquior.

CAP. XIX.

De genere atque nominibus familiæ Porciæ.

QUum in domus Tiberianæ bibliotheca sederemus ego & Apollinaris Sulpicius, & quidam alii mihi aut illi familiares; prolatus forte liber est ita inscriptus: M. CATONIS. NEPOTIS. tum quæri cœptum

ptum est, quisnam is fuisset *M. Cato Nepos.* atque ibi adolescens quispiam, quod ex ejus sermonibus conjectare potui, non abhorrens à litteris; Hic, inquit, est M. Cato, non cognomento Nepos, sed M. Catonis Censorii ex filio nepos, qui pater fuit M. Catonis prætorii viri, qui bello civili Uticæ necem sibi gladio manu sua conscivit. de cujus vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur, *Laus Catonis*: quem in eodem libro idem Cicero pronepotem fuisse dicit M. Catonis Censorii. ejus igitur, quem Cicero laudavit, pater hic fuit M. Cato: cujus orationes feruntur inscriptæ, M. Catonis Nepotis. Tum Apollinaris, ut mos ejus in reprehendendo fuit, placidè admodum leniterque; Laudo, inquit, te, mi fili, quod in tantula ætate, etiam si hunc M. Catonem, de quo nunc quæritur, quis fuerit ignoras; auditiuncula tamen quadam de Catonis familia aspersus es. non unus autem, sed complures M. illius Catonis Censorii nepotes fuerunt, geniti non eodem patre. duos enim M. ille Cato, qui & orator & censor fuit, filios habuit & matribus diversos, & ætatibus longè dispares. nam jam adolescente altero, matre ejus amissa, ipse quoque jam multum senex, Salonii clientis sui filiam virginem duxit in matrimonium, ex qua natus est ei M. Cato Salonianus: hoc enim illi cognomentum fuit à Salonio patre matris datum. ex majore autem Catonis filio, qui prætor designatus patre vivo mortuus est, & egregios de juris disciplina libros reliquit, nascitur hic, de quo quæritur, M. Cato M. filius, M. nepos. is satis vehemens orator fuit: multasque orationes ad exemplum avi scriptas reliquit, & consul cum Q. Marcio Rege fuit: inque eo consulatu, in Africam profectus, in ea provincia mortem obiit. sed is non ita, ut dixisti, M. Catonis prætorii viri, qui se Uticæ occidit, & quem Cicero laudavit, pater fuit: nec, quia hic nepos Catonis Censorii, ille autem pro-

nepos fuit, propterea necessum est patrem hunc fuisse. hic enim nepos, cujus hæc modò prolata oratio est, filium quidem majorem Catonem habuit: sed non eum qui Uticæ periit; sed qui, quum ædilis curulis & prætor fuisset, in Galliam Narbonensem profectus, ibi vita functus est. ex altero autem viro Censorii filio longè natu minore, quem Salonianum esse appellatum dixi, duo nati sunt L Cato & M. Cato. is M. Cato tribunus plebis fuit; & præturam petens mortem obiit: exque eo natus est M. Cato prætorius, qui se bello civili Uticæ interemit, de cujus vita laudibusque quum M. Tullius scriberet, pronepotem eum Catonis Censorii dixit fuisse. videtis igitur hanc partem familiæ, quæ ex minore Catonis filio progenita est, non solum generis ipsius tramitibus, sed temporum quoque spatio differre. nam quia ille Salonianus in extrema patris ætate, sicuti dixi, natus fuit; prognati quoque ab eo aliquanto posteriores fuerunt, quàm qui à majore fratre ejus geniti erant. hanc temporum differentiam facilè animadvertetis ex hac ipsa oratione quum eam legetis. Hæc Sulpicius Apollinaris audientibus nobis dixit. quæ postea ita esse, uti dixerat, cognovimus; quum & laudationes funebres & librum commentarium de familia Porcia legeremus.

CAP. XX.

Quod à scriptoribus elegantissimis major ratio habita sit sonitus vocum atque verborum jucundioris, quæ à Græcis εὐφωνία dicitur, quam regulæ disciplinaque, quæ à grammaticis reperta est.

INterrogatus est Probus Valerius (quod ex familiari ejus quondam comperi) *hasne urbis*, an *has urbes* &, *hanc turrem*, an *hanc turrim*, dici oporteret. *Si aut versum*, inquit, *pangis, aut orationem solutam struis: atque*

atque ea verba tibi dicenda sunt, non finitiones illas prærancidas neque fœtutinas grammaticas spectaveris; sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere. quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum. Tum is, qui quæsierat, quonam modo, inquit, vis aurem meam interrogem? & Probum ait respondisse, quo suam Virgilius percunctatus est, qui diversis in locis *urbes* & *urbis* dixit arbitrio consilioque usus auris. nam in primo Georgicōn, quem ego, inquit, librum manu ipsius correctum legi, *urbis* per *i* litteram scripsit, verba è versibus ejus hæc sunt:

—— *urbisne invisere Cæsar*
Terrarumque velis curam.

verte enim, & muta, ut *urbes* dicas, insubidius nescio quid facies & pinguius. contrà in tertio Æneidos *urbes* dixit per *è* litteram.

Centum urbes habitant magnas.

Hic item muta, ut *urbis* dicas: nimis exilis vox erit & exsanguis. tanta quippe junctura differentia est in consonantia vocum proximarum. præterea idem Virgilius *turrim* dicit, non *turrem*, & *securim*, non *securem*,

Turrim in præcipiti stantem. &
Incertam excussit cervice securim.

quæ sunt, opinor, jucundioris gracilitatis, quàm si suo utrumque loco per *è* litteram dicas. At ille, qui interrogaverat, rudis profectò & aure agresti homo, Cur, inquit, aliud alio in loco potius rectiusque esse dicas, non sanè intelligo. Tum Probus jam commotior, Noli, inquit, igitur laborare, utrum istorum debeas dicere, *urbis* an *urbes*. nam quum id genus sis, quod video, ut sine jactura tui pecces, nihil perdes, utrum dixeris. His tum verbis Probus & hac fini, hominem dimisit, ut mos ejus fuit erga indociles, propè inclementer. Nos autem aliud quoque postea consimiliter à Virgilio duplici modo scriptum invenimus. nam & *tres*

& *tris* posuit, eodem in loco, ea judicii subtilitate, ut si aliter dixeris mutaverisque, & aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere. versus ex decimo hi sunt:

Tres quoque Threicios Boreæ de gente suprema,
Et tris quos Idas pater & patria Ismara mittit.

tres illic, *tris* hîc. pensicula utrumque & modulare: reperies suo quodque in loco sonare aptissimè. sed in illo quoque itidem Virgilii versu,

Hæc finis Priami fatorum,

simul ut & *hic finis* dicas, durum atque absonum erit, respuentque aures, quod mutaveris. sicut illud contrà ejusdem Virgilii insuavius facias si mutes:

Quem das finem, rex magne, laborum? nam si ita dicas, *Quam das finem*; injucundum nescio quo pacto & laxiorem vocis sonum feceris. Ennius item *rectos cupressos* dixit contra receptum vocabuli genus, hoc versu:

Capitibus nutantis pinos rectosque cupressos.

firmior ei, credo, & viridior sonus esse vocis visus est *rectos* dicere *cupressos*, quàm *rectas*. contrà verò idem Ennius in annali duodevicesimo *aëre fulva* dixit, non *fulvo*; non ob id solùm quòd Homerus χάλκεος βαθεῖαν dicit; sed quod hic sonus, opinor, vocabilior est visus & amœnior. sicuti etiam M. Ciceroni mollius teretiusque visum, in quinta in Verrem, *fretu*, scribere quàm, *freto*; *peranguſto*, inquit, *fretu divisa*. erat enim crassius vastiusque, *peranguſto freto*, dicere. itidem in secunda, simili usus modulamine, *manifesto peccatu*, inquit, non, *peccato*. hoc enim scriptum in uno atque in altero antiquissimæ fidei libro Tironiano reperi. verba sunt Ciceronis hæc: *Nemo ita vivebat, ut nulla ejus vitæ pars summæ turpitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccatu tenebatur, ut quum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur si negaret.* Hujus autem vocis quum elegantior hoc in loco sonus est, tum ratio certa

& pro-

& probata est. Hic enim *peccatus*, quasi *peccatio*, rectè Latinéque dicitur: sicut, *hic incestus*, non qui admisit, sed quòd admissum est, & *tributus* quod *tributum* nos dicimus, à plerisque veterum dicta sunt. hic quoque *allegatus* & hic *arbitratus* pro *allegatione* proque *arbitratione* dicuntur. qua ratione servata, *arbitratu* & *allegatu meo* dicimus. Sic igitur, *in manifesto peccatu*, dixit, ut, *in manifesto incestu*, veteres dixerunt. non quin Latinum esset, *peccato*, dicere: sed quia in loco isto positum subtilius ad aurem molliusque est. Lucretius æquè auribus serviens *funem* feminino genere appellavit, in hisce versibus,

Haud, ut opinor, enim mortalia sæcla supernè
Aurea de cœlo demisit funis in arva.

quum dicere usitatius manente numero posset,

Aureus è cœlo demisit funis in arva.

Sacerdotes quoque feminas M. Cicero *antistitas* dicit, non, secundùm grammaticam legem, *antistites*. nam quum insolentias verborum à veteribus dictorum plerumque respueret, hujus tamen verbi in ea parte sonitu delectatus, *Sacerdotes*, inquit, *Cereris atque illius fani antistitæ*. usque adeò in quibusdam neque rationem verbi neque consuetudinem, sed solam aurem secuti sunt suis verba modulis pensitantem. *Quod qui non sentiunt*, inquit idem ipse M. Cicero, quum de numerosa & apta oratione differeret, *quas auris habeant aut quid in his hominis simile sit, nescio*. illud verò cumprimis apud Homerum veteres grammatici annotaverunt; quòd, quum dixisset quodam in loco κηλοιάς τε ψῆρας τε alio in loco non ψηρῶντι, sed ψαρῶν dixit.

Τῶν δ' ὡς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κηλοιῶν,

sequutus non communem, sed propriam in quoque vocis situ jucunditatem: nam si alterum in alterius loco ponas, utrumque feceris sonitu insuave.

CAP. XXI.

Verba T. Castricii rhetoris ad discipulos adolescentes de vestitu atque calceatu non decoro.

T. Castricius rhetoricæ disciplinæ doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi ac docendi, summa vir auctoritate gravitateque, & à Divo Hadriano in mores atque litteras spectatus, quum me præsente (usus sum enim eo magistro) discipulos quosdam suos senatores vidisset die feriato tunicis & lacernis indutos & gallicis calceatos; *Equidem*, inquit, *maluissem vos togatos esse. pigitum est cinctos saltem esse & penulatos. sed si hic vester hujuscemodi vestitus de multo jam usu innoscibilis est, soleatos tamen vos populi Romani senatores per urbis vias ingredi nequaquam decorum est, non hercle vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine objectavit:* Hæc me audiente Castricius & quædam alia ad eam rem conducentia Romanè & fervere dixit. plerique autem ex iis, qui audiverant, requirebant, cur soleatos dixisset, qui gallicas, non soleas, haberent. sed Castricius profectò scitè atque incorruptè loquutus est. omnia enim fermè id genus quibus plantarum calces tantùm infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnumquam voce Græca crepidulas. *Gallicas* autem verbum esse opinor novum, non diu ante ætatem M. Ciceronis usurpari cœptum. itaque ab eo ipso positum est in secunda Antonianarum. *Cum Gallicis*, inquit, *& lacerna cucurristi.* neque in ea significatione id apud quemquam alium scriptum lego gravioris dumtaxat auctoritatis scriptorem: sed ut dixi, crepidas & crepidulas prima syllaba correpta id genus calceamentum appellaverunt, quod Græci κρηπῖδας vocant, ejusque calceamenti sutores crepidarios dixerunt. Sempronius

pronius Asellio in libro rerum gestarum quartodecimo, *Crepidarium*, inquit, *cultellum rogavit a crepidario sutare.*

CAP. XXII.

Comprecationes, quæ ritu Romano fiunt diis, expositæ sunt in libris sacerdotum; inter quas Marti Nerienem tribuunt; & quid Neriene *seu* Nerio *nomen importet.*

COmprecationes deûm immortalium, quæ ritu Romano fiunt, expositæ sunt in libris sacerdotum populi Romani & in plerisque antiquis orationibus. In iis scriptum est, *Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Jurites Quirini, Najam Volcani, Heriem Junonis, Molas Martis, Nerienemque Martis.* ex quibus id quod postremum posui, sic pleroſque dicere audio, ut primam in eo syllabam producant, quo Græci modo dicunt νηρείδας: sed qui probe loquuti sunt, primam correptam dixerunt, tertiam produxerunt. est enim rectus casus vocabuli ejus, sicut in libris veterum scriptum est, *Nerio.* quamquam M. Varro in satira Menippea, quæ inscribitur σωσιμαχία, non *Nerio* sed *Nerienis* vocativè dicit in his versibus:

Ted Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes, Minerva, Fortuna, ac Ceres.

ex quo nominandi quoque casum eumdem fieri necesse est. sed *Nerio* à veteribus sic declinatur, quasi Anio. nam proinde ut *Anienem*, sic *Nerienem* dixerunt tertia syllaba producta. id autem sive *Nerio* sive *Nerienes* est, Sabinum verbum est, eoque significatur virtus & fortitudo. itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia atque præstanti fortitudine *Nero* appellatus est. sed id Sabini accepisse à Græcis videntur, qui vincula & firmamenta membrorum *Neura* dicunt. unde nos quoque Latinè *nervos* appellamus. Ne-

rio igitur *Martis* vis & potentia & majestas quædam esse Martis demonstratur. Plautus autem in Truculento conjugem esse Nerienem Martis dicit; atque id sub persona militis in hoc versu:

Mars peregrè adveniens salutat Nerienem uxorem suam.

Super ea re audivi non incelebrem hominem dicere, nimis comicè Plautum imperito & incondito militi falsam novamque opinionem tribuisse, ut Nerienem conjugem esse Martis putaret. Sed id peritè magis quàm comicè dictum intelliget, qui leget Cn. Gellii annalem tertium, in quo scriptum est, Hersiliam, cum apud T. Tatium verba faceret pacemque oraret, ita precatam esse; *Neria Martis te obsecro, pacem dare, uti liceat nuptiis propriis & prosperis uti, quod de tui conjugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi, suis posteris, patriæ pararent. De tui*, inquit, *conjugis consilio*, Martem scilicet significans, per quod apparet non esse id poëticè à Plauto dictum; sed eam quoque traditionem fuisse, ut Nerio à quibusdam uxor esse Martis diceretur. Inibi autem animadvertendum est, quòd Gellius *Neria* dicit per *a* litteram, non *Nerio*, neque *Nerienes*. præter Plautum etiam præterque Gellium Licinius Imbrex vetus comœdiarum scriptor in fabula, quæ Neæra inscripta est, ita scripsit:

Nolo ego Neæram te vocent, sed Nerienem;
Quum quidem Marti es in connubium data.

ita se numerus hujusce versus habet, ut tertia in eo nomine syllaba, contrà quàm suprà dictum est, corripienda sit. cujus sonitus quanta apud veteres indifferentia sit, notius est, quàm ut plura in id verba sumenda sint: Ennius autem in primo annali in hoc versu;

Nerienem Mavortis & Herclem,

si, quod minimè solet, numerum servavit; primam syllabam intendit, tertiam corripuit. Ac ne hic quidem

dem prætermittendum puto, cuicuimodi est, quod in commentario quodam Servii Claudii scriptum invenimus, *Nerio* dictum quasi *Neirio*, hoc est, sine ira & cum placiditate: ut eo nomine mitem tranquillumque fieri Martem precemur. *ne* enim particula, ut apud Græcos, ita plerumque in Latina quoque lingua privativa est.

Cap. XXIII.

M. Catonis consularis & censorii pulcherrima exprobatio contra philosophantes nomine & non re.

M. Cato, consularis & censorius, publicis jam privatisque opulentus rebus, villas suas inexcultas & rudes, ne tectorio quidem prælitas fuisse dicit ad annum usque ætatis suæ septuagesimum. atque ibi postea his verbis utitur: *Neque mihi*, inquit, *ædificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manu pretiosum, neque pretiosus servus neque ancillæ est. si quid est*, inquit, *quod utar, utor. si non est, egeo. suum cuique per me uti atque frui licet.* tum deinde addit: *Vitio vertunt, quia multa egeo. at ego illis quia nequeunt egere.* Hæc mera veritas Tusculani hominis, egere se multis rebus, & nihil tamen cupere dicentis, plus herclè promovet ad exhortandam parsimoniam, sustinendamque inopiam, quam Græcæ istorum præstigiæ philosophari sese dicentium, umbrasque verborum inanes fingentium; qui se nihil habere & nihil tamen egere ac nihil cupere dicunt, quum & habendo & egendo & cupiendo ardeant.

CAP. XXIV.

Quæsitum tractatumque quid sint manubiæ: *atque inibi dicta quædam de ratione utendi verbis pluribus idem significantibus.*

IN fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circumundique inaurata equorum atque signorum militarium: subscriptumque est, EX MANUBIEIS. Quærebat Favorinus, quum in area fori ambularet, & amicum suum consulem operiretur causas pro tribunali cognoscentem, nosque tunc eum sectaremur: quærebat, inquam, quid nobis videretur significare propriè *manubiarum* illa inscriptio. Tum quispiam, qui cum eo erat, homo in studiis doctrinæ multi atque celebrati nominis: *Ex manubiis*, inquit, significat *ex præda*; *manubiæ* enim dicuntur præda, quæ manu capta est. Etiamsi, inquit Favorinus, opera mihi princeps & prope omnis in litteris disciplinisque Græcis sumta est: non usque eo tamen infrequens sum vocum Latinarum, quas subsicivo aut tumultuario studio colo, ut hanc ignorem interpretationem vulgariam, quòd esse dicantur manubiæ præda. sed quæro an M. Tullius, verborum homo diligentissimus, in oratione quam dixit de lege agraria kalendis Januariis contra Rullum, inani & illepida geminatione junxerit *manubias* & *prædam*, si duo hæc verba idem significant, neque ulla re aliqua dissident, atque, ut erat Favorinus egregia vel divina quadam memoria, verba ipsa M. Tullii statim dixit, ea nos adscribimus hic, *Prædam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeji sedente imperatore decemviri vendent.* & infrà itidem duo hæc simul junctim posita dixit: *Ex præda, ex manubiis, ex auro coronario.* ac deinde ad eum convertit, qui manubias esse prædam dixerunt: &, Videturne tibi, inquit, utroque in loco M. Cicero duobus

duobus verbis idem, ſicuti tu putas, ſignificantibus ineptè & frigidè eſſe uſus? ac tali loco dignus, quali apud Ariſtophanem facetiſſimum comicorum Euripides Æſchylum inſectatus eſt? quum ait,

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.
Ἥκω δ' εἰς γῆν φησὶ καὶ καπέρχομαι.
Ἥκω δ' ταυτὸν ἐστι τῷ καπέρχομαι.
Νὴ Δί' ὅπερ εἴπις εἶπε γείτονι,
Χρῆσον σὺ μάκλεφον, εἰ δ' βούλῃ κάρδοπον.

Nequaquam vero, inquit ille, talia videntur, quale eſt μάκτρα & κάρδοπος; quæ a poëtis vel oratoribus Græcis noſtriſque celebrandæ & ornandæ rei gratia duobus eadem pluribuſve nominibus frequentantur. Quid igitur, inquit Favorinus, valet hæc repetitio inſtauratioque ejuſdem rei ſub alio nomine in *manubiis* & in *præda?* num ornat, ut alioqui ſolet, orationem? num eam modulatiorem aptioremque reddit? num onerandi vel exprobrandi criminis cauſſa exaggerationem aliquam ſpeciosam facit? ſicuti in libro ejuſdem M. Tullii, qui de conſtituendo accuſatore eſt, una eademque res pluribus verbis vehementer atque atrociter dicitur: *Sicilia tota, ſi una voce loqueretur, hoc diceret, quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit.* nam quum urbes totas ſemel dixiſſet, ſedes delubraque addidit; quæ ſunt ipſa quoque in urbibus, item in eodem libro ſimili modo. *Siciliam*, inquit, *provinciam C. Verres per triennium depopulatus eſſe, Siculorum civitates vaſtaſſe, domos exinaniſſe, fana ſpoliaſſe dicitur.* Hæc, quid videtur, quum Siciliam provinciam dixerit, atque etiam inſuper civitates addiderit, domos etiam & fana, quæ infrà poſuit, comprehendiſſet, verba hæc item multa atque varia, *depopulatus eſſe, vaſtaſſe, exinaniſſe, ſpoliaſſe*, nonne unam & eamdem vim in ſeſe habent? ſanè. ſed quia cum dignitate orationis & cum gravi verborum copia dicuntur, quamquam

quam eadem ferè sint & una sententia cooriantur, plura tamen esse existimantur: quoniam & aures & animum sæpius feriunt. hoc ornatus genus, in crimine uno vocibus multis atque sævis exstruendo, ille jam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebravit. sicuti in illa, quæ inscripta est, *De decem hominibus:* quum Thermum accusavit quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset: hisce verbis eamdem omnibus rem significantibus usus est. quæ, quoniam sunt eloquentiæ Latinæ tunc primùm exorientis lumina quædam sublustria, libitum est ea mihi ἀπομνημονεύειν. *Tuum nefarium facinus pejore facinore operire postulas. succidias humanas facis, tantas trucidationes facis, decem funera facis. decem capita libera interficis. decem hominibus vitam eripis, indicta causa, injudicatis, indemnatis.* item M. Cato in orationis principio, quam dixit in senatu pro Rhodiensibus, quum vellet res nimis prosperas dicere, tribus vocabulis idem sentientibus dixit. verba ejus hæc sunt: *Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere.* Itidem Cato, ex Originum septimo, in oratione quam contra Servium Galbam dixit, compluribus vocabulis super eadem re usus est: *Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires, senectus, verum enimverò quum tantam rem publicam agier arbitrarer.* sed ante omnis apud Homerum ejusdem rei atque sententiæ luculenta exaggeratio est:

Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς ἐκ τε κονίης
ἔκ τ' ἀνδροκτασίης ἔκ θ' αἵματος ἔκ τε κυδοίμου;

item in alio versu.

ὑσμῖναί τε μάχαί τε φόνοι τ' ἀνδροκτασίαι τε.

nam quum omnia ista utrubique multa & continua nomina nihil plus demonstrent quàm prœlium, hujus tamen rei varia facies delectabiliter ac decorè multis variis-

que

que verbis depicta est. neque non illa quoque apud eumdem poëtam una in duobus verbis sententia cum egregia ratione repetita est. Idæus enim, quum inter Ajacem & Hectorem decertantes armis intercederet, his ad eos verbis usus est:

Μηκίτι παῖδε φίλω πολεμίζετε μηδὲ μάχεσθε.

in quo versu non oportet videri alterum verbum, idem quod superius significans, supplendi numeri causa extrinsecus additum & consarcinatum. est enim hoc inane admodum & futile, sed quum in juvenibus gloriæ studio flagrantibus pervicaciam ferociamque & cupidinem pugnæ leniter tamen ac blandè objurgaret: atrocitatem rei & culpam perseverandi bis idem dicendo alio atque alio verbo auxit, inculcavitque, duplexque eadem compellatio admonitionem facit instantiorem. ne illa quidem ejusdem significationis repetitio ignava & frigida videri debet:

Μνηστῆρες δ' ἄρα Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόροντε
ἤρτυον. ——

quòd bis idem θάνατον καὶ μόρον dixerit. indignitas enim moliendæ tam acerbæ tamque injustæ necis miranda mortis iteratione defleta est. Cæterum quis tam obtuso ingenio est, quin intelligat,

Βάσκ' ἴθι οὖλε Ονειρε, καὶ
Βάσκ' ἴθ' Ιρι ταχεῖα,

verba duo idem significantia non frustrà posita esse ἐκ παραλλήλου, ut quidam putant, sed hortamentum esse acre imperatæ celeritatis. Verba quoque illa Marci Ciceronis in L. Pisonem trigemina, etiam si duræ auris hominibus non placent, non venustatem modò numeris quæsiverunt, sed figuram simulationemque oris pluribus simul vocibus verberaverunt. *Vultus denique*, inquit, *totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit; hic eos quibus erat ignotus decepit, fefellit, induxit.* quid igitur? simile est, inquit, apud eundem

dem *in præda & manubiis?* nihil profectò istiusmodi. nam neque ornatius fit additis manubiis; neque exaggeratius modulatiusve: sed aliud omnino *præda* est, ut in libris rerum verborumque veterum scriptum est, aliud *manubiæ*. nam *præda* dicitur corpora ipsa rerum, quæ capta sunt: *manubiæ* verò appellatæ sunt pecunia à quæstore ex venditione prædæ redacta. utrumque ergo dixit M. Tullius, cumulandæ invidiæ gratia, decemviros ablaturos, persequuturosque & prædam quæ nondum esset venundata, & pecuniam quæ ex venditione prædæ percepta esset. Itaque hæc inscriptio, quam videtis, EX MANUBIEIS, non res corporaque ipsa prædæ demonstrat (nihil enim captum est horum à Trajano ex hostibus;) sed facta esse hæc comparataque ex manubiis, id est, ex pecunia prædaticia declarat. *manubiæ* enim sunt, sicuti jam dixi, non præda, sed pecunia per quæstorem populi Romani ex præda vendita contracta. Quod per quæstorem autem dixi, intelligi nunc oportet præfectum ærario significari. nam cura ærarii à quæstoribus ad præfectos ærarii tralata est. Est tamen non nusquam invenire ita scripsisse quosdam non ignobiles scriptores, ut aut temerè aut incuriosè *prædam* pro *manubiis*, & *manubias* pro *præda* posuerint: aut tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint. quod facere concessum est scitè id peritéque facientibus. sed enim, qui propriè atque signatè loquuti sunt, sicuti hoc in loco M. Tullius, *manubias* pecuniam dixerunt.

CAP. XXV.

Verba P. Nigidii, quibus dicit in nomine. Valeri, *in casu vocandi primam syllabam acuendam esse: & item alia ex ejusdem verbis ad rectam scripturam pertinentia.*

P. Nigidii verba sunt ex commentariorum grammaticorum vicesimoquarto, hominis in disciplinis doctrinarum

trinarum omnium præcellentis. *Deinde* inquit, *vocu-latio quî poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi an vocandi sint? nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quam prima: deinde novissima dejicitur. at in casu vocandi summo tono est prima; deinde gradatim descendunt.* sic quidem P. Nigidius dici præcipit. sed si quis nunc Valerium appellans, in casu vocandi, secundum id præceptum Nigidii acuerit primam; non aberit quin rideatur. Summum autem tonum προσῳδίαν acutam dicit: & quem *accentum* nos dicimus, *vocálationem* appellat: & *casum interrogandi* eum dicit, quem nunc nos *genitivum* dicimus. id quoque in eodem libro Nigidiano animadvertimus. *Si hujus*, inquit, *amici vel hujus magni scribas; unum, i, facito extremam. sin verò hi magnei, hi amicei, casu multitudinis recto, tum ante, i, scribendum erit, e, atque id ipsum facies in similibus. item si hujus terrai scribas; i littera sit extrema. si huic terræ; per, e, scribendum est. item qui scribit mei studiosus; per, e, & i, scribat. at quum mi; tum per i unum scribendum est, non per e: quia dandi casus est.* Hæc nos auctoritate doctissimi hominis adducti, propter eos qui harum quoque rerum scientiam quærunt, non prætermittenda existimavimus.

CAP. XXVI.

De versibus, quos Virgilius sectatus videtur Homeri ac Parthenii.

PArthenii poëtæ versus est:

Γλαύκῳ ἢ Νηρεΐῃ Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ.

eum versum Virgilius æmulatus est. Itaque fecit duobus vocabulis venustè immutatis parem:

Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

sed illi Homerico non sanè re parem neque similem fecit.

cit. esse enim videtur Homeri simplicior & sinceriore, Virgilii autem νεωτερικώτερον, & quodam quasi ferrumine immisso fucatior:

Ταῦρον δ' Ἀλφείῳ ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι.
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

CAP. XXVII.

De sententia Panætii philosophi, quam scripsit in libro de officiis secundo; qua hortatur ut homines ad cavendas injurias in omni loco intenti paratique sint.

LEgebatur Panætii philosophi liber de officiis secundus, ex tribus illis inclutis libris, quos M. Tullius magno cum studio maximoque opere æmulatus est. ibi scriptum est, cùm multa alia ad bonam frugem ducentia, tum vel maximè, quòd esse hærereque in animo debet. id autem est ad hanc fermè sententiam: Vita, inquit, hominum, qui ætatem in medio rerum agunt, ac sibi suisque esse usui volunt, negotia periculaque ex improviso assidua & prope quotidiana fert. ad ea cavenda atque declinanda proinde esse oportet animo semper promto atque intento, ut sunt athletarum, qui pancratiæ vocantur. nam sicuti illi ad certandum vocati projectis alte brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmœniunt; membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atque mens viri prudentis, adversus vim & petulantias injuriarum omni in loco atque in tempore prospiciens, debet esse erecta, ardua, septa solidè, expedita, numquam connivens, nusquam aciem suam flectens, consilia cogitationesque contra fortunæ verbera, contraque insidias iniquorum quasi brachia & manus protendens; ne qua in re adversa & repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur.

CAP.

CAP. XXVIII.

Quod Quadrigarius, cum multis mortalibus *dixit: ad quid & quantum differret si dixisset*, cum multis hominibus.

VErba sunt Claudii Quadrigarii ex annalium ejus tertiodecimo: *Concione dimissa Metellus in Capitolium venit cum mortalibus multis. inde domum proficiscitur. tota civitas eum reduxit.* Quum is liber eaque verba M. Frontoni, nobis ei ac plerisque aliis assidentibus, legerentur; & cuidam haud sanè viro indocto videretur *multis mortalibus*, pro *hominibus multis*, ineptè frigidéque in historia, nimisque id poëticè dixisse: tum Fronto illi, cui hoc videbatur, Ain' tu, inquit, aliarum homo rerum judicii elegantissimi *mortalibus multis* ineptum tibi videri & frigidum? nihil autem arbitrare causæ fuisse, quòd vir modestus atque puri ac propè quotidiani sermonis *mortalibus* maluit, quàm *hominibus* dicere? eamdémque credis futuram fuisse multitudinis demonstrationem, si *cum multis hominibus*, ac non, *cum multis mortalibus* diceret. Ego quidem, inquit, sic existimo, nisi si me scriptoris istius omnisque antiquæ orationis amor atque veneratio cœco esse judicio facit, longè atque longè esse amplius, prolixius, fortius, in significanda totius propè civitatis multitudine *mortales* quàm *homines* dixisse. namque multorum hominum appellatio intra modicum quoque numerum cohiberi atque includi potest, *multi* autem *mortales* nescio quo pacto & quodam sensu inenarrabili omne fere genus, quòd in civitate est, & ordinum & ætatium & sexus, comprehendunt. quod scilicet Quadrigarius, ita ut res erat, ingentem atque promiscam multitudinem volens ostendere, *cum multis mortalibus Metellum in Capitolium venisse* dixit, ἐμφατικώτερον, quàm si cum multis hominibus dixisset. Ea

nos omnia, quæ Fronto dixit, quum ita, ut par erat, non approbantes tantum, sed admirantes quoque audiremus, Videte tamen, inquit, ne existimetis semper atque in omni loco, *mortales multos*, pro *multis hominibus*, esse dicendum, ne planè fiat Græcum illùd de Varronis satira proverbium; τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Hoc judicium Frontonis, etiam de parvis minutisque vocabulis, non prætermittendum putavi: ne nos fortè fugeret lateretque subtilior hujuscemodi verborum consideratio.

CAP. XXIX.

Non hactenus esse faciem, *qua vulgò dicitur.*

ANimadvertere est pleraque verborum Latinorum ex ea significatione, in quâ nata sunt, decessisse vel in aliam longè vel in proximam, eamque decessionem factam esse consuetudine & insciția temerè dicentium, quæ, cuimodi sint, non didicerint. sicuti quidam faciem esse hominis putant os tantùm & oculos & genas, quod Græci πρόσωπον dicunt: quando facies sit forma omnis & modus & factura quædam corporis totius, à faciendo dicta, ut ab aspectu species & à fingendo figura. itaque Pacuvius in tragœdia, quæ Niptra inscribitur, *faciem* dixit *hominis* pro corporis longitudine.

Ætate, inquit, *integra*, *feroci ingenio*, *facie procera virum.*

Non solùm autem in hominum corporibus, sed etiam in rerum cujusquemodi aliarum, facies dicitur. nam montis & cœli & maris facies, si tempestivè dicatur, probè dicitur. Sallustii verba sunt ex historia secunda: *Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in Orientem quam in Occidentem latior prominet.* Ecce autem id quoque in mentem venit, quod etiam Plautus in Pœnulo

faciem,

faciem, pro totius corporis coloriſque habitu dixit. verba Plauti hæc ſunt:

Sed earum nutrix qua ſit facie, mihi expedi.
Statura haud magna, corpore aquilo'ſt. ipſa ea'ſt.
Specie venuſta, ore parvo atque oculis pernigris.
Formam quidem hercle verbis depinxti probè.

Præterea memini Quadrigarium in undecimo *faciem* pro ſtatura totiuſque corporis figura dixiſſe.

CAP. XXX.

Quid ſit in ſatira M. Varronis, caninum prandium.

LAudabat venditabatque ſe nuper quiſpiam in libraria ſedens, homo ineptè glorioſus, tamquam unus eſſet ſub omni cœlo ſatirarum M. Varronis enarrator; quas partim Cynicas, alii Menippeas appellant. & jaciebat inde quædam non admodum difficilia: ad quæ conjicienda adſpirare poſſe neminem dicebat. Tum fortè eum ego librum ex iſdem ſatiris ferebam, qui ὑδροκρύων inſcriptus eſt. propius igitur acceſſi: &, Noſti, inquam, magiſter, verbum illud ſcilicet è Græcia vetus; Muſicam, quæ ſit abſcondita, eam eſſe nulli rei? oro te legas hos verſus pauculos, & proverbii iſtius, quod in his verſibus eſt, ſententiam dicas mihi. lege, inquit, tu mihi potius, quæ non intelligis; ut ea tibi ego enarrem. Quonam, inquam, pacto legere ego poſſum, quæ non aſſequor? indiſtincta namque fient & confuſa quæ legero, & tuam quoque impedient intentionem. Tunc aliis etiam, qui ibi aderant, compluribus idem comprobantibus deſiderantibuſque, accepit à me librum veterem, fidei ſpectatæ, luculentè ſcriptum: accepit autem inconſtantiſſimo vultu & mœſtiſſimo. ſed quid deinde dicam? non audeo herclè poſtulare, ut id credatur mihi. pueri in ludo rudes, ſi eum librum accepiſſent, non ii magis in legendo deridiculi fuiſſent:

ita & sententias intercidebat, & verba corruptè pronunciabat. reddit igitur mihi librum multis jam ridentibus; &, Vides, inquit, oculos meos ægros assiduisque lucubrationibus prope jam perditos? vix ipsos litterarum apices potui comprendere: quum valebo ab oculis, revise ad me, & librum istum tibi totum legam. Rectè, inquam, sit oculis magister tuis. sed, in quo illis nihil opus est, id rogo te dicas mihi. *caninum prandium* in hoc loco, quem legisti, quid significat? atque ille egregius nebulo, quasi difficili quæstione perterritus, exsurgit statim: & abiens, Non, inquit, parvam rem quæris. talia ego gratis non doceo. Ejus autem loci, in quo id proverbium est, verba hæc sunt: *Non vides apud Mnestheum scribi tria genera esse vini, nigrum, album, medium, quod vocant μέσον; novum, vetus, medium: & efficere nigrum virus, album urinam, medium πέψαν? novum refrigerare, vetus calefacere, medium esse prandium caninum?* quid significet, *prandium caninum*, rem leviculam diu & anxiè quæsivimus: prandium autem abstemium, in quò nihil vini potatur, caninum dicitur, quoniam canis vino caret. quum igitur medium vinum appellasset, quod neque novum esset neque vetus, & plerumque homines ita loquantur, ut omne vinum aut novum esse dicant aut vetus: nullam vim habere significavit neque novi neque veteris quod medium esset; iccirco pro vino non habendum, quia neque refrigeraret, neque calefaceret. *refrigerare* id dicit, quod Græcè ἀναψύξαι dicitur.

Vide si præcedat hujus libri.

LIBER QUARTUS DECIMUS.

CAPUT I.

Dissertatio Favorini philosophi adversus eos, qui Chaldæi appellantur, & ex cœtu motibusque siderum & stellarum fata se hominum dicturos pollicentur.

ADVERSUM istos, qui sese Chaldæos seu genethliacos appellant, ac de motu deque positu stellarum dicere posse quæ futura sunt profitentur, audivimus quondam Favorinum philosophum Romæ Græcè disserentem egregia atque illustri oratione. exercendine autem anne ostentandi gratia ingenii, an quòd ita serio judicatóque existimaret, non habeo dicere. capita autem locorum argumentorumque, quibus usus est, quod ejus meminisse potui, egressus ibi ex auditione properè annotavi. eaque fuerunt ad hanc fermè sententiam: Disciplinam istam Chaldæorum tantæ vetustatis non esse, quantæ videri volunt: neque eos principes ejus auctoresque esse, quos ipsi ferant: sed id præstigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines æruscatores, & cibum quæstumque ex mendaciis captantes: atque quoniam viderent terrena quædam inter homines sita cœlestium rerum sensu atque ductu moveri; quale est quod oceanus quasi lunæ comes cum ea simul senescit adolescitque; hinc videlicet sibi argumentum ad persuadendum paravisse, ut crederemus omnia rerum humanarum & parva & maxima, tamquam stellis atque sideribus evincta, duci & regi. esse autem nimis quàm ineptum absurdumque; ut, quoniam æstus oceani cum lunæ curriculo congruit, negotium quoque alicujus, quod ei forte de aquæ ductu cum rivalibus, aut de communi pariete cum vicino apud judicem est, ut

existimemus id negotium quasi habena quadam de cœlo vinctum gubernari. quod & si vi & ratione quapiam divina fieri potest; nequaquã id tamen censebat in tam brevi exiguoque vitæ spatio quantovis hominis ingenio comprehendi posse & percipi; sed conjectari pauca quædam, verbo ipsius utar, παχυμερέστερον nullo scientiæ fundo concepta, sed fusa & vaga & arbitraria: qualis longinqua oculorum acies est per intervalla media caligantium. tolli enim, quod maximè inter deos atque homines differt, si homines quoque res omnis pòst futuras prænoscerent. ipsam deinde siderum stellarumque observationem, quam esse originem scientiæ suæ prædicarent, haudquaquam putabat liquidè consistere. nam si principes Chaldæi, qui in patentibus campis colebant, stellarum motus & vias & discessiones & cœtus intuentes, quid ex iis efficeretur observaverunt; procedat, inquit, hæc sanè disciplina, sed sub ea modò inclinatione cœli, sub qua tunc Chaldæi fuerunt: non enim potest, inquit, ratio Chaldæorum observationis manere, si quis ea uti velit sub diversis cœli regionibus. nam quanta, inquit, partium circulorumque cœli ex devergentia & convexionibus mundi varietas sit, quis non videt? eædem igitur stellæ, per quas omnia divina humanaque ferri agi contendunt, sicuti non usquequaque pruinas aut calores cient; sed mutant & variant, tempestatesque eodem in tempore alibi placidas, alibi violentas movent: cur non eventa quoque rerum ac negotiorum alia efficiunt in Chaldæis, alia in Gætulis, alia apud Danubium, alia apud Nilum? Per autem, inquit, inconsequens, ipsum quidem corpus & habitum tam profundi aëris sub alio atque alio cœli curvamine non eumdem manere; in hominum autem negotiis stellas istas opinari idem semper ostendere, si eas ex quacumque terra conspexeris. præterea mirabatur id cuiquam pro percepto liquere, stellas istas, quas à Chaldæis & Babyloniis sive Ægyptiis

ptiis obſervatas ferunt, (quas multi *erraticas*, Nigidius *errones* vocat) non eſſe plures quàm volgo dicerentur. poſſe enim fieri exiſtimabat, ut & alii quidam planetes pari poteſtate eſſent, ſine quibus recta atque perpetua obſervatio perfici non quiret; neque tamen cernere homines poſſint, propter exſuperantiam vel ſplendoris vel altitudinis. Nam & quædam, inquit, ſidera è quibuſdam terris conſpiciuntur, earumque terrarum hominibus nota ſunt: ſed eadem ipſa ex alia omni terra non videntur, & ſunt aliis omnino ignotiſſima; atque, ut demus, inquit, & has tantummodò ſtellas, & ex una parte terræ obſervari debuiſſe: quæ tandem finis obſervationis iſtius fuit, & quæ tempora ſatis eſſe viſa ſunt ad percipiendum, quid præmonſtraret aut cœtus ſtellarum, aut circumitus, aut tranſitus? nam ſi iſto modo cœpta fieri obſervatio eſt, ut animadverteretur quo habitu, quaque forma, quaque poſitura ſtellarum aliquis naſceretur: tum deinceps ab ineunte vita, fortuna ejus, & mores, & ingenium; & circumſtantia rerum negotiorumque, & ad poſtremum finis etiam vitæ exſpectaretur: eaque omnia, ut uſu venerant, litteris mandarentur; ac poſtea longis temporibus, quum ipſæ illæ eodem in loco eodemque habitu forent, eadem cæteris quoque eventura exiſtimarentur, qui eodem illo tempore nati fuiſſent; ſi iſto, inquit, modo obſervari cœptum eſt, & ex ea obſervatione compoſita quædam diſciplina eſt, nullo id pacto poteſt procedere. dicant enim quot tandem annis, vel potius quot ſæculis orbis hic obſervationis perfici quiverit. conſtare quidem inter aſtrologos dicebat, ſtellas ipſas, quas *erraticas* dicerent, quæ eſſe omnium rerum fatales viderentur, infinito prope & innumerabili numero annorum ad eumdem locum, quum eodem habitu ſimul omnes profectæ ſunt, regredi; ut neque ullus obſervationis tenor, neque memoriæ ulla effigies litterarum tanto ævo potuerint edu-

rare. atque illud etiam cuimodi esset considerandum putabat; quòd aliud stellarum agmen foret, quo primum tempore conciperetur homo in utero matris, aliud postea quum in decem mensibus proximis in lucem ederetur. quærebatque, quî conveniret diversam super eodem fieri demonstrationem: si, ut ipsi putarent, alius atque alius earundem stellarum situs atque ductus alias atque alias fortunas daret. sed & nuptiarum tempore, ex quibus liberi quærerentur, atque ipso etiam illo maris atque feminæ coitu, jam declarari oportere dicebat, certo quodam & necessario stellarum ordine, quales qualique fortuna homines gignerentur: ac multo etiam antè, quàm pater ipse atque mater nascerentur, ex eorum genitura debuisse jam tunc prospici, quinam olim futuri essent, quos ii creaturi forent, & suprà longè atque longè per infinitum: ut, si disciplina ista fundamento aliquo veritatis nixa est, centesimo usque abhinc sæculo, vel magis primo cœli atque mundi exordio, atque inde jam deinceps, continua significatione, quotiens generis auctores ejusdem homines nascerentur, stellæ istæ præmonstrare debuerint, qualis qualique fato futurus sit, quisquis hodie natus est. Quo autem, inquit, pacto credi potest, uniuscujusque stellarum formæ & positionis sortem atque fortunam uni omnino homini certam destinatamque esse: eamque formam, post longissima sæculorum spatia, restitui, si vitæ fortunarumque ejusdem hominis judicia, in tam brevibus intervallis, per singulos majorum ejus gradus, perque infinitum successionum ordinem, tam sæpe ac tam multipliciter eadem ipsa non eadem stellarum facie denotantur? quod si id fieri potest; eaque diversitas atque varietas admittitur per omnis antiquitatis gradus, ad significanda eorum hominum, qui post nascentur, exordia: imparilitas hæc turbat observationem, omnisque ratio disciplinæ confunditur. jam verò id minimè ferendum censebat,

censebat, quod non modò casus eventaque quæ evenirent extrinsecus, sed consilia quoque hominum ipsa & arbitria, & varias voluntates appetitionesque & declinationes & fortuitos repentinasque in leviſſimis rebus animorum impetus recessusque, moveri agitarique desuper è cœlo putarent: tamquam quod forte ire in balneas volueris, ac deinde nolueris, atque id rursum volueris, non ex aliqua dispari variaque animi agitatione, sed necessaria quadam errantium siderum reciprocatione contigerit: ut plane homines non, quod dicitur, λογικὰ ζῶα, sed ludicra & ridenda quædam neurospasta esse videantur, si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt: sed ducentibus stellis & aurigantibus. ac si, inquit, potuisset prædici affirmanter, Pyrrhusne rex, an M. Curius prælio victurus esset: cur tandem non de alea quoque, ac de calculis & alveolo audent dicere, quinam ibi ludentium vincat? an videlicet magna sciunt, parva nesciunt, & minora majoribus imperceptiora sunt? sed si magnitudines rerum sibi vindicant; magisque esse perspicuas, & facilius comprehendi posse dicunt: Volo, inquit, mihi respondeant, quid in hac totius mundi contemplatione, præstantis naturæ operibus, in tam parvis atque brevibus negotiis fortunisque hominum magnum putent? atque id velim etiam, inquit, ut respondeant: si tam parvum atque rapidum est momentum temporis, in quo homo nascens fatum accipit, ut in eodem illo puncto sub eodem circulo cœli plures simul ad eamdem competentiam nasci non queant: & si iccirco gemini quoque non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt; peto, inquit, respondeant, cursum illum temporis transvolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quonam pacto aut consulto assequi queant, aut ipsi perspicere & deprehendere: quum in tam præcipiti dierum noctiumque vertigine minima momenta ingentes facere dicant mutationes. ad

postremum autem, & quid esset, quod adversum hoc dici posset, requirebat; quod homines utriusque sexus omnium ætatium, diversis stellarum motibus in vitam editi, regionibus, sub quibus geniti sunt, longè distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut opidorum expugnationibus, aut eadem in navi fluctu obruti, eodem genere mortis, eodemque ictu temporis universi simul interirent. quod scilicet, inquit, numquam eveniret, si momenta nascendi singulis attributa suas unumquodque leges haberent. quod si quædam, inquit, in hominum morte atque vita etiam diversis temporibus editorum per stellarum pares quosdam postea conventus, paria nonnulla & consimilia posse dicunt obtingere: cur non aliquando possint omnia quoque paria usu venire; ut exsistant per hujuscemodi stellarum concursiones & similitudines Socratæ simul & Antisthenæ, & Platones multi, genere, forma, ingenio, moribus, vita omni & morte pari? quod nequaquam, inquit, prorsus fieri potest. non igitur hac causa probè uti queunt adversum hominum impares ortus, interitus pares. Illud autem condonare se iis dicebat, quòd non id quoque requireret, si vitæ mortisque hominum rerumque humanarum omnium tempus & ratio & causa in cœlo & apud stellas foret, quid de muscis aut vermiculis aut echinis, multisque aliis minutissimis terra marique animantibus diceret? an ista quoque isdem, quibus homines, legibus nascerentur, isdemque itidem exstinguerentur: ut aut ranunculis quoque & culicibus nascendi fata sint de cœlestium siderum motibus attributa; aut, si id non putarent, nulla ratio videretur, cur ea siderum vis in hominibus valeret, deficeret in cæteris. Hæc nos sicca & incondita & propemodum jejuna oratione attigimus. at Favorinus, ut hominis ingenium fuit, aut, quæ est Græcæ facundiæ copia simul & venustas, latius ea & amœni-

mœnius & splendidius & profluentius exsequebatur, atque identidem commonebat, ut caveremus, ne qua nobis isti sycophantæ ad faciendam fidem irreperent, quòd viderentur quædam interdum vera effutire aut spargere. non enim comprensa, inquit, neque definita neque percepta dicunt, sed lubrica atque ambagiosa conjectatione nitentes inter falsa atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt: & aut multa tentando incidunt repentè imprudentes in veritatem: aut ipsorum, qui eos consulunt, multa credulitate ducente perveniunt callidè ad ea quæ vera sunt: & iccirco videntur in præteritis rebus quàm in futuris veritatem faciliùs imitari. ista tamen omnia, quæ aut temerè aut astutè vera dicant, præ cæteris, inquit, quæ mentiuntur, pars ea non est millesima. Præter hæc autem, quæ dicentem Favorinum audivimus, multa etiam memini poëtarum veterum testimonia, quibus hujuscemodi ambages fallaciosæ confutantur. ex quibus est Pacuvianum illud:

Nam si qui, quæ eventura sunt, provideant;
Æquiparent Jovi.

item Accianum illud;

Nihil, inquit, *credo auguribus, qui aures verbis divitant*
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Idem Favorinus, deterrere volens ac depellere adolescentes à genethliacis istis & quibusdam aliis id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos se pollicentur, nullo pacto adeundos esse, consulendosque hujuscemodi argumentis concludebat. Aut adversa, inquit, eventura dicunt, aut prospera. si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra exspectando. si adversa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. sin vera respondent, eaque sunt non prospera; jam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias. si felicia promittunt, eaque eventura sunt; tum planè duo erunt incommo-

commoda: & exspectatio te spe suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi jam præfloraverit. nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus.

CAP. II.

Quem in modum disseruerit Favorinus consultus a me super officio judicis.

QUo primùm tempore à prætoribus lectus in judices sum, ut judicia, quæ appellantur privata, susciperem; libros utriusque linguæ de officio judicis scriptos conquisivi, ut homo adolescens à poëtarum fabulis & à rhetorum epilogis ad judicandas lites vocatus, rem judiciariam, quoniam vocis, ut dicitur, vivæ penuria erat, ex mutis, quod ajunt, magistris cognoscerem. atque in rerum quidem diffissionibus comperendinationibusque, & aliis quibusdam legitimis ritibus, ex ipsa lege Julia & ex Sabini Massurii & quorumdam aliorum jurisperitorum commentariis commoniti & adminiculati sumus. in his autem, quæ exsistere solent, negotiorum ambagibus, & in ancipiti rationum diversarum circumstantia, nihil quicquam nos hujuscemodi libri juverunt: nam, etsi consilia judicibus ex præsentium causarum statu capienda sunt, generalia tamen quædam prænonita & præcepta sunt, quibus ante causam præmœniri judex præpararique ad incertos casus futurarum difficultatium debeat, sicut illa mihi tunc accidit inexplicabilis reperiendæ scientiæ ambiguitas. Petebatur apud me pecunia, quæ dicebatur data numerataque. sed qui petebat neque tabulis neque testibus id factum docebat: & argumentis admodum exilibus nitebatur. sed eum constabat virum esse ferme bonum, notæque & expertæ fidei, & vitæ inculpatissimæ: multaque & illustria exempla probitatis sinceritatisque ejus exprome-

expromebantur. illum autem, unde petebatur, hominem esse non bonæ rei, vitaque turpi & sordida, convictumque vulgò in mendaciis, plenumque esse perfidiarum & fraudum ostendebatur. is tamen, cum suis multis patronis, clamitabat probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis, *expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium interceßione.* ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti jam se oportere, & adversarium de calumnia damnari. quod de utriusque autem vita atque factis diceretur, frustra id fieri atque dici. rem enim de petenda pecunia apud judicem privatum agi, non apud censores de moribus. Tunc ibi amici mei, quos rogaveram in consilium, viri exercitati atque in patrociniis & in operis fori celebres, semperque se circumundique distrahentibus causis festinantes, non sedendum diutius, ac nihil esse dubium dicebant, quin absolvendus foret, quem accepisse pecuniam nulla probatione sollemni docebatur. sed enim ego homines quum considerabam, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimæque vitæ ac deformatissimæ, nequaquam adduci potui ad absolvendum. jussi igitur diem diffindi, atque inde à subselliis pergo ire ad Favorinum philosophum, quem in eo tempore Romæ plurimum sectabar, atque ei de causa ac de omnibus quæ apud me dicta fuerant, ut res erat, narro omnia: ac peto ut & ipsum illud in quo hærebam, & cætera etiam quæ observanda mihi forent in officio judicis, faceret me ut earum rerum essem prudentior. tum Favorinus, religione illa cunctationis & solicitudinis nostræ comprobata, id quidem, inquit, super quo nunc deliberas, videri potest specie tenui parvaque esse; sed si de omni quoque officio judicis præire tibi me vis, nequaquam est vel loci hujus vel temporis. est enim disceptatio ista multijugæ & sinuosæ quæstionis, multaque & anxia cura & circumspicientia indigens.

gens. namque, ut pauca tibi nunc quæstionum capita attingam; jam omnium primum hoc de judicis officio quæritur, si judex forte id sciat, super qua re apud eum litigatur, eaque res uni ei, prius quàm agi cœpta aut in judicium deducta sit, ex alio quodam negotio casuque alio quo cognita liquidò & comperta sit; neque id tamen in agenda causa probatur: oporteatne eum secundùm ea, quæ sciens venit, judicare, an secundum ea quæ aguntur. Id etiam, inquit, quæri solet, an deceat atque conveniat judici causa jam cognita, si facultas esse videatur componendi negotii, officio paulisper judicis dilato communis amici & quasi pacificatoris partes recipere. atque illud amplius ambigi ac dubitari scio, debeatne judex inter cognoscendum ea, quæ dicto quæsitoque opus est, dicere & quærere, etiam si, cujus ea dici quærique intereſt, neque dicat neque postulet. patrocinari enim prorsus hoc esse ajunt, non judicare. Præter hæc, super ea quoque re dissentitur, an ex usu exque officio sit judicis rem causamque, de qua cognoscit, interloquutionibus suis ita exprimere consignareque, ut ante sententiæ tempus ex his, quæ apud eum in præsens confusè varièque dicuntur, proinde, ut quoquo in loco ac tempore movetur, signa & judicia faciat motus atque sensus sui. nam qui judices, inquit, acres atque celebres videntur, non aliter existimant rem, qua de agitur, indagari comprehendique posse, nisi is, qui judicat, crebris interrogationibus necessariisque interloquutionibus & suos sensus aperiat, & litigantium deprehendat. contrà autem, qui sedatiores & graviores putantur, negant judicem debere ante sententiam, dum causa utrimque agitatur, quotiens aliqua re proposita motus est, totiens significare quid sentiat. eventurum enim ajunt, ut, quia pro varietate propositionum argumentorumque alius atque alius motus animi patiendus est, aliter atque aliter eadem in causa eodemque

demque in tempore sentite & interloqui videatur. Sed de his, inquit, & cæteris hujuscemodi judicialis officii tractatibus, & nos posthac, quum erit otium, dicere quid sentiamus conabimur, & præcepta Ælii Tuberonis super officio judicis, quæ nuperrimè legi, recensebimus. quod autem ad pecuniam pertinet, quam apud judicem peti dixisti; suadeo herclè tibi, utare M. Catonis prudentissimi viri consilio: qui in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium dixit, ita esse à majoribus memoriæ traditum observatumque ait, ut si, quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit; tum apud judicem, qui de ea re cognosceret, uter ex iis vir melior esset quæreretur: &, si pares essent, seu boni pariter seu mali, tum illi, unde petitur, crederetur, ac secundum eum judicaretur. in hac autem causa, de qua tu ambigis, optimus est qui petit, unde petitur deterrimus; & res est inter duos acta sine testibus: eas igitur & credas ei qui petit: condemnesque eum de quo petitur: quoniam, sicuti dicis, duo pares non sunt: & qui petit melior est. Hoc quidem mihi tum Favorinus, ut virum philosophum decuit, suasit: sed majus ego altiusque id esse existimavi, quàm quod meæ ætati & mediocritati conveniret, ut cognovisse & condemnasse de moribus, non de probationibus rei gestæ, viderer: ut absolverem tamen, inducere in animum non quivi; & propterea juravi mihi non liquere: atque ita judicatu illo solutus sum. Verba ex oratione M. Catonis, cujus commeminit Favorinus, hæc sunt: *Atque ego à majoribus memoria sic accepi: si quis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, sive boni sive mali essent, quod duo res gessissent uti testes non interessent, illi unde petitur ei potius credendum esse. nunc si sponsionem fecisset Gellius cum Turio,* NI. VIR. MELIOR. ESSET. GELLIUS. QUAM. TURIUS. *nemo, opinor, tam insanus esset,*

qui

qui judicaret meliorem esse Gellium quam Turium. si non melior Gellius est Turio, potius oportet credi unde petitur.

CAP. III.

An æmuli offensique inter sese fuerint Xenophon & Plato.

QUi de Xenophontis Platonisque vita & moribus pleraque omnia exquisitissimè scripsere, non abfuisse ab eis motus quosdam tacitos & occultos simultatis æmulationisque mutuæ putaverunt: & ejus rei argumenta quædam conjectatoria ex eorum scriptis protulerunt. Ea sunt profectò hujuscemodi: quòd neque à Platone in tot numero libris mentio usquam facta sit Xenophontis, neque item contrà ab eo in suis libris Platonis; quamquam uterque, ac maximè Plato, complurium Socratis sectatorum in sermonibus, quos scripsit, commeminerit. Id etiam esse non sinceræ neque amicæ voluntatis indicium crediderunt, quòd Xenophon incluto illi operi Platonis, quod de optimo statu reipublicæ civitatisque administrandæ scriptum est, lectis ex eo duobus ferè libris, qui primi in volgus exierant, oppositum contra scripsitque diversum regiæ administrationis genus, quod παιδείας Κύρου inscriptum est. eo facto scriptoque ejus usque adeò permotum esse Platonem ferunt, ut quodam in libro mentione Cyri regis habita, retractandi levandique ejus operis gratia, virum quidem Cyrum gnavum & strenuum fuisse dixerit. παιδείας δ' ἐκ ὀρθῶς ἤφθαι τὸ παράπαν. hæc enim verba sunt de Cyro Platonis. Præterea putant id quoque ad ista, quæ dixi, accedere: quòd Xenophon in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios composuit, negat Socratem de cœli atque naturæ causis rationibusque umquam disputavisse: ac ne disciplinis quidem cæteras, quæ μαθήματα Græci appellant, quæ ad bene beatéque vivendum non pergerent, aut attigisse

tigisse aut comprobasse: iccircoque turpiter eos mentiri dicit, qui dissertationes istiusmodi Socrati attribuerent. hoc autem, inquiunt, Xenophon quum scripsit, Platonem videlicet notavit: in cujus libris Socrates de physica & musica & geometria disserit. Sed enim de viris optimis & gravissimis si credendum hoc aut suspicandum fuit, causam equidem esse arbitror non obtrectationis, nec invidiæ, neque de gloria majore parienda certationis: hæc enim procul à moribus philosophiæ absunt, in quibus illi duo omnium judicio excelluerunt. quæ igitur est opinionis istius ratio? hæc profectò est, æquiperatio ipsa plerumque & parilitas virtutum inter sese consimilium; etiamsi contentionis studium & voluntas abest, speciem tamen æmulationis creat. nam quum ingenia quædam magna duorum pluriumve in ejusdem rei studio illustrium, aut pari sunt fama aut proxima; oritur apud diversos fautores eorum industriæ laudisque æstimandæ contentio. tum postea ex alieno certamine ad eos quoque ipsos contagium certationis adspirat. cursusque eorum ad eamdem virtutis calcem pergentium, quando est compar vel ambiguus, in æmulandi suspiciones non suo, sed faventium studio delabitur. proinde igitur & Xenophon & Plato Socraticæ amœnitatis duo lumina certare æmularique inter sese existimati sunt: quia de iis apud alios, uter esset exsuperantior, certabatur; & quia duæ eminentiæ, quum simul junctæ in arduum nituntur, simulacrum quoddam contentionis æmulæ pariunt.

CAP. IV.

Quòd aptè Chrysippus & grafice imaginem Justitiæ modulis coloribusque verborum depinxit.

COndignè meherclè & condecorè Chrysippus in librorum, qui inscribuntur περὶ καλῆς ἡδονῆς, pri-

mo, os & oculos Justitiæ, vultumque ejus severis atque venerandis verborum coloribus depinxit. facit quippe imaginem Justitiæ, fierique solitam esse dicit à pictoribus rhetoribusque antiquioribus, ad hunc fermè modum: *forma atque filo virginali; aspectu vehementi & formidabili; luminibus oculorum acribus: neque humilis neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate.* ex imaginis autem istius significatione intelligi voluit, judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque & arduum ac potentem, vi & majestate æquitatis veritatisque terrificum. verba ipsa Chrysippi de justitia scripta hæc sunt:

Παρθένος δὲ εἶναι λέγεται, καὶ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μηδὲ προσίεσθαι, μήτε σοῦν ἐπικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν, καὶ δέησιν μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. οἷς ἀκολούθως καὶ συνθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον καὶ ἔντονον καὶ δεδορκὸς βλέπουσα, ὥς τε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος. τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις προσάντους.

Hæc verba Chrysippi eo etiam magis ponenda existimavi, ut promta ad considerandum judicandumque sint: quoniam legentibus ea nobis delicatiores quidam disciplinarum philosophi Sævitiæ imaginem istam esse, non Justitiæ, dixerunt.

CAP. V.

Lis atque contentio grammaticorum Romæ illustrium enarrata super casu vocativo vocabuli quod est, egregius

DEfessus ego quondam diutina commentatione, laxandi levandique animi gratia, in Agrippæ campo

campo deambulabam: atque ibi duos fortè grammaticos conspicatus non parvi in urbe Roma nominis, certationi eorum acerrimæ adfui; quum alter in casu vocativo, *vir egregi*, dicendum contenderet, alter *vir egregie*. Ratio autem ejus, qui *egregi* oportere dici censebat, hujuscemodi fuit: Quæcumque, inquit, nomina seu vocabula recto casu numero singulari, *us* syllaba finiuntur, in quibus ante ultimam syllabam posita est, *i*, litera: ea omnia casu vocativo, *i*, littera terminantur, ut *Cælius Cæli, modius modi, tertius terti, Accius Acci, Titius Titi*, & similia omnia. sic igitur *egregius*, quoniam, *us*, syllaba in casu nominandi finitur, eamque syllabam præcedit *i*, litera, habere, debebit in casu vocandi, *i*, literam extremam; & iccirco *egregi*, non *egregie* rectiùs dicetur. nam *divus* & *rivus* & *clivus*, & similia nomina, *us*, syllaba terminantur, sed ea, quæ per duo *u* scribenda est, propter cujus syllabæ sonum declarandum reperta erat nova litera, quæ digamma appellabatur. Hoc ubi ille alter audivit; O, inquit, egregie grammatice, vel, si id mavis, egregiissime, dic, oro te, *insçius* & *impius* & *sobrius* & *ebrius* & *proprius* & *propitius* & *anxius* & *contrarius*, quæ *us* syllaba finiuntur, quibus ante ultimam syllabam, *i* litera est, quem casum vocandi habent? me enim pudor & verecundia tenet pronunciare ea secundum tuam definitionem. sed quum ille paulisper oppositu horum vocabulorum commotus reticuisset, & mox tamen se collegisset; eamdemque illam, quam definierat, regulam retineret & propugnaret; diceretque & *proprium* & *propitium* & *anxium* & *contrarium* itidem in casu vocativo dicendum, ut & *adversarius* & *extrarius* diceretur: *insçium* quoque & *impium* & *ebrium* & *sobrium* insolentius quidem paulo, sed rectius per *i* litteram, non per *e* in casu eodem pronunciandum; eaque inter eos contentio longius duceretur: non arbitratus ego operæ precium esse eadem ista hæc

diutius audire, clamantes compugnantesque illos reliqui.

CAP. VI.

Cuimodi sint quæ speciem doctrinarum habeant: sed neque delectent neque utilia sint; atque inibi de vocabulis singularum urbium regionumque immutatis.

HOmo nobis familiaris, in litterarum cultu non ignobilis magnamque ætatis partem in libris versatus, Adjutum, inquit, ornatumque volo ire Noctes tuas. & simul dat mihi librum grandi volumine doctrinis omnigenis, ut ipse dicebat, præscatentem; quem sibi elaboratum esse ait ex multis & variis & remotis lectionibus: ut ex eo sumerem quantum liberet rerum memoria dignarum. accipio cupidus & libens: tamquam si copiæcornum nactus essem: & recondo me penitus, ut sine arbitris legam. at quæ ibi scripta erant, prò Jupiter, mera miracula! quo nomine fuerit qui primus grammaticus appellatus est; & quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocratæ & cuimodi Homerus fuisse dicat in Ulixis domo ἀδιρῶες, quam ob causam Telemachus cubans junctim sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit, sed pedis ictu excitarit, & Euryclia Telemachum quo genere claustri incluserit, & quapropter idem poëta rosam non norit, oleum ex rosa norit; atque illud etiam scriptum fuit, quæ nomina fuerint sociorum Ulixis qui à Scylla rapti laceratique sunt. utrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Ulixes erraverit καὶ Ἀρίσταρχον, an ἐν τῇ ἔξω καὶ Κράτητα. id etiam istic scriptum fuit, qui sint apud Homerum versus isopsephœ, & quorum ibi nominum παραστιχὶς reperiatur, & quis adeò versus sit qui per singula vocabula singulis syllabis increscat; ac deinde qua ratione dixerit singulas pecudes in singulos annos terna parere, & ex quinque operimentis, quibus Achillis

lis clypeus mœnitus est, quod factum ex auro est, summum sit an medium, & præterea quibus urbibus regionibusque vocabula jam mutata sint, quòd Bœotia ante appellata fuerit Aonia, quòd Ægyptus Aëria, quòd Creta eodem quoque nomine Aëria dicta est, quòd Attice Ἀκτὴ, quòd Corinthus Ephyre, quòd Macedonia Ημαθία, quòd Thessalia Αιμονία, quòd Tyros Sarra, quòd Thracia antè Sithon dicta sit, quòd Seston Ποσειδώνειον. Hæc atque item alia multa istiusmodi scripta in eo libro fuerunt. quem quum statim properans redderem, ὄναιό σε, inquam, doctissime virorum, ταύτης τῆς πολυμαθίας; & librum hunc opulentissimum recipe nihil prorsus ad nostras paupertinas litteras congruentem. nam meæ Noctes, quas instructum ornatumque isti, de uno maximè illo versu Homeri quærunt, quem Socrates præ omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat,

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

CAP. VII.

Quòd Marcus Varro Cn. Pompejo consuli primùm designato commentarium dedit, quem appellavit isagogicum, de officio senatus habendi.

CN. Pompejus consul primum cum M. Crasso designatus est. eum magistratum Pompejus quum initurus foret, quoniam, per militiæ tempora, senatus habendi consulendique, rerum etiam expers urbanarum fuit, M. Varronem familiarem suum rogavit, uti commentarium faceret εἰσαγωγικὸν, (sic enim Varro ipse appellat,) ex quo disceret quid facere dicereque deberet, quum senatum consuleret. Eum librum commentarium, quem super ea re Pompejo fecerat, perisse Varro ait in literis quas ad Oppianum dedit: quæ sunt in libro epistolicarum quæstionum quarto, in qui-

bus literis, quoniam quæ ante scripserat non comparebant, docet rursum multa ad eam rem ducentia. primum ibi ponit qui fuerint, per quos more majorum senatus haberi soleret; eosque nominat, *dictatores*, *consulem*, *prætores*, *tribunos plebi*, *interregem*, *præfectum urbi*: neque alii, præter hos, jus fuisse dixit facere senatusconsultum; quotiensque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi jus fuisse. addit deinde, extraordinario jure *tribunos* quoque *militares*, qui pro *consulibus* fuissent, item *decemviros*, quibus imperium consulare tum esset, item *triumviros reipublicæ constituendæ* causa creatos jus consulendi senatum habuisse. postea scripsit de intercessionibus: dixitque intercedendi, ne senatusconsultum fieret, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui senatusconsultum facere vellent, majoreve essent. tum adscripsit de locis, in quibus senatusconsultum fieri jure posset; docuitque confirmavitque, nisi in loco per augures constituto, quòd templum appellaretur, senatusconsultum factum esset, justum id non fuisse. propterea & in curia Hostilia & in Pompeja & post in Julia, quum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta; ut in iis senatusconsulta more majorum justa fieri possent. inter quæ id quoque scriptum reliquit: non omnis ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum esse. hæc deinceps dicit, senatusconsultum ante exortum aut post occasum solem factum ratum non fuisse. opus etiam censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore senatusconsultum factum esset. docet deinde inibi multa, quibus diebus habere senatum jus non sit: immolareque hostiam prius auspicarique debere, qui senatum habiturus esset: de rebusque divinis prius quàm humanis ad senatum referendum esse: tum porrò referri oportere aut infinitè

infinitè de republica aut de singulis rebus finitè: senatusque consultum fieri duobus modis: aut per discessionem, si consentitur: aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas: singulos autem debere consuli gradatim; incipique à consulari gradu. ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum, qui princeps in senatum lectus esset: tum autem, quum hæc scriberet, novum morem institutum refert, per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet qui haberet senatum, dum is tamen ex gradu consulari esset. præter hæc depignore quoque capiendo disserit, deque multa dicenda senatori, qui, quum in senatum venire deberet, non adesset. Hæc & alia quædam id genus in libro, quo supra dixi, M. Varro epistola ad Oppianum scripta exsequutus est. Sed quòd ait senatusconsultum duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis, aut per discessionem; parum convenire videtur cum eo quod Atejus Capito in conjectaneis scriptum reliquit. nam in libro ducentesimo quinquagesimo nono Tuberonem dicere ait, nullum senatusconsultum fieri posse non discessione facta. quia in omnibus senatusconsultis, etiam in iis quæ per relationem fierent, discessio esset necessaria: idque ipse Capito verum esse affirmat. sed de hac omni re alio in loco plenius accuratiusque nos memini scribere. Forte supra l. III. c. XVIII

CAP. VIII.

Quæsitum esse dissensumque, an præfectus Latinarum causa creatus jus senatus convocandi consulendique habeat.

PRæfectum urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Iunius negat, quoniam ne senator quidem sit; neque jus habeat sententiæ dicendæ, quum ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit senatoria. Marcus autem Varro in quarto epistolicarum quæstionum, & Atejus

Capito in Conjectaneorum ducentesimo quinquagesimo nono, jus esse præfecto senatus habendi dicunt: deque ea re assensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Iunii refert. *nam & tribunis*, inquit, *plebis senatus habendi jus erat, quamquam senatores non essent, ante Atinium plebiscitum.* Id forte a. 298. L. Valerio et Sp. Verginio Coss. confectum est. Cf. Dion. Hal. Lib. X. p. 657. ed. Sylb. Ante illud enim tempus ipsis curiam intrare non licebat. Val. Max. I. II. c. 2. §. 7.

LIBER QUINTUS DECIMUS.

CAPUT I.

Quòd in Q. Claudii annalibus scriptum est, lignum alumine oblitum non ardere.

DECLAMAVERAT Antonius Julianus rhetor præterquam semper aliàs, tum verò nimium quantum delectabiliter & feliciter. sunt enim fermè scholasticæ istæ declamationes ejusdem hominis ejusdemque facundiæ, non ejusdem tamen quotidie felicitatis. nos ergo familiares ejus circumfusi undique eum prosequebamur domum: quum deinde subeuntes montem Cispium conspicimus insulam quandam occupatam igni, multis arduisque tabulatis editam; & propinqua jam omnia flagrare vasto incendio. tum quispiam ibi ex comitibus Juliani, Magni, inquit, reditus urbanorum prædiorum; sed pericula sunt longè maxima. si quid autem posset remedii fore, ut ne tam assiduè domus Romæ arderent, venum herclè dedissem res rusticas, & urbicas emissem. Atqui illi Julianus lætâ, ut mos ejus fuit, inter fabulandum venustate, Si annalem, inquit, undevicesimum Q. Claudii legisses optimi & sincerissimi scriptoris, docuisset te profectò Archelaus regis Mithridati præfectus, qua medela quaque sollertia ignem defenderes; ut ne ulla tua ædificatio è ligno correpta atque insinuata

Ferri reponit, ne barbariei reus agi possit Gellius. Rub. El. II. 17.

sinuata flammis arderet. Percontatus ego sum quid esset illud mirum Quadrigarii. Repetit: in eo igitur libro scriptum inveni; Quum oppugnaret L. Sulla in terra Attica Præum, & contrà Archelaus regis Mithridati præfectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, quum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisse, quòd alumine ab Archelao oblita fuisset. Verba Quadrigarii ex eo libro hæc sunt: *Tum Sulla conatus est & tempore magno eduxit copias ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderit. venit. accessit. ligna subdidit. submovit Græcos. ignem admovit. satis sunt diu conati. numquam quiverunt incendere: ita Archelaus omnem materiam obleverat alumine. quod Sulla atque milites mirabantur; &, postquam non succendit, reduxit copias.*

CAP. II.

Quòd Plato in libris, quos de legibus composuit, largiores lætioresque in conviviis invitatiunculas vini non inutiles esse existimaverit.

EX insula Creta quispiam ætatem Athenis agens Platonicum se esse philosophum dicebat & viderier gestibat. erat autem nihili homo & nugator, atque in Græcæ facundiæ gloria jactabundus, & præterea vini libidine adusque ludibria ebriosus. is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ sollemne nobis fuit, simulatque modus epulis factus, & utiles delectabilesque sermones cœperant; tum silentio ad audiendum petito loqui cœptabat; atque id genus vili & incondita verborum caterva hortabatur omnes ad bibendum, idque se facere ex decreto Platonico prædicabat; tamquam Plato in libris, quos de legibus composuit, laudes ebrietatis copiosissimè scripsisset, utilemque esse eam bonis ac fortibus viris censuisset. ac simul inter e-

jusmodi orationem crebris & ingentibus poculis omne ingenium ingurgitabat; fomitem esse quemdam dicens & incitabulum ingenii virtutisque, si mens & corpus hominis vino flagraret. Sed enim Plato, in primo & secundo de legibus, non, ut ille nebulo opinabatur, ebrietatem istam turpissimam, quæ labefacere & imminuere hominum mentes solet, laudavit; sed hanc largiorem paulò jucundioremque vini invitationem, quæ fieret sub quibusdam quasi arbitris & magistris conviviorum sobriis, non improbavit. nam & modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia existimavit, reddique eos sensim lætiores atque ad intentiones rursum capiendas fieri habiliores: & simul, si qui penitus in iis affectionum cupiditatumque errores inessent, quos aliqui pudor reverens concelaret, ea omnia sine gravi periculo, libertate per vinum data, detegi, & ad corrigendum medendumque fieri opportuniora. atque hoc etiam Plato ibidem dicit, non defugiendas esse neque respuendas hujuscemodi exercitationes adversum propulsandam vini violentiam; neque ullum umquam continentem prorsum ac temperantem satis fideliter visum esse, cujus vita virtusque non inter ipsa errorum pericula & in mediis voluptatum illecebris explorata sit. nam cui Libentiæ Gratiæque omnes conviviorum incognitæ sint, quique illarum omnino expers sit; si eum forte ad participandas ejusmodi voluptates aut voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas compulerit, deleniri plerumque & capi; neque mentem animumque ejus consistere, sed vi quadam nova ictum labascere. congrediendum igitur censuit & tamquam in acie quadam cum voluptariis rebus, cumque ista vini licentia cominus decernendum: ut adversum eas non fugamus tuti nec absentia, sed vigore animi & constanti præsentia moderatoque usu temperantiam continentiamque

tueamur,

tueamur, & calefacto simul refotoque animo, si quid in eo vel frigidæ tristitiæ vel torpentis verecundiæ fuerit, deluamus.

CAP. III.

Quid M. Cicero de particula ista senserit scripseritque, quæ præposita est verbis aufugio *&* aufero. *& an in verbo* autumo *eadem ista hæc præpositio esse videri debeat.*

LEgimus librum Ciceronis, qui inscriptus est Orator. in eo libro Cicero, quum dixisset verba hæc, *aufugio*, & *aufero*, composita quidem esse ex præpositione *ab*, & ex verbis, *fugio*, & *fero*; sed eam præpositionem, quo fieret vox pronunciatu audituque lenior, versam mutatamque esse in *au* syllabam; cœptumque esse dici *aufugio* & *aufero*, pro *abfugio* & *abfero*: quum hæc, inquam, ita dixisset; tum postea ibidem super eadem particula ita scripsit: *Hæc*, inquit, *præpositio, præter hæc duo verba, nullo alio in verbo reperitur.* Invenimus autem in commentario Nigidiano verbum, *autumo* compositum ex *ab* præpositione & verbo *æstumo*, dictumque intercisè, *autumo*, quasi *ab æstumo*, quod significaret *totum æstumo*, tamquam *abnumero*. sed, quod sit cum honore multo dictum P. Nigidii hominis eruditissimi, audacius hoc argutiusque esse videtur, quàm verius. *autumo* enim non id solùm significat, sed & *dico* & *opinor* & *censeo*, cum quibus verbis præpositio ista neque cohærentia vocis, neque significatione sententiæ convenit. præterea vir acerrimæ in studio litterarum licentiæ M. Tullius non sola esse hæc duo verba dixisset, si reperiri posset ullum tertium. Sed illud magis inspici quærique dignum est, versane sit & mutata *ab*, præpositio in, *au*, syllabam propter lenitatem vocis, an potius *au*, particula sua sit propria

propria origine, & proinde, ut pleræque aliæ præpositiones à Græcis, ita hæc quoque inde accepta sit: sicuti est in illo versu Homeri:

αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν.

CAP. IV.

Historia de Ventidio Basso ignobili homine; quem primum de Parthis triumphasse memoriæ traditum est.

IN sermonibus nuper fuit seniorum hominum & eruditorum, multos in vetere memoria altissimum dignitatis gradum ascendisse ignobilissimos prius homines & despicatissimos. Nihil adeò de quoquam tantæ admirationi fuit, quantæ fuerunt, quæ de Ventidio Basso scripta sunt. eum Picentem fuisse, genere & loco humili; & matrem ejus à Pompejo Strabone Pompeji magni patre bello sociali, quo Asculanos subegit, captam cum ipso esse; mox triumphante Pompejo Strabone, eum quoque puerum inter cæteros ante currum imperatoris sinu matris vectum esse; post, quum adolevisset, victum sibi ægrè quæsisse, eumque sordidè invenisse comparandis mulis & vehiculis quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, præbenda publicè conduxisse; in isto quæstu notum esse cæpisse C. Cæsari, & cum eo profectum esse in Gallias: tum quia in ea provincia satis naviter versatus esset, deinceps civili bello mandata sibi pleraque impigrè & strenuè fecisset, non modò in amicitiam Cæsaris, sed ex ea in amplissimum quoque ordinem pervenisse: mox tribunum quoque plebi ac deinde prætorem creatum, atque in eo tempore judicatum esse à senatu hostem cum M. Antonio: post verò conjunctis partibus non pristinam tantùm dignitatem reciperasse, sed & pontificatum ac deinde consulatum quoque adeptum esse: eamque rem tam intoleranter tulisse populum Romanum, qui Ventidium Bassum meminerat curandis

mulis

mulis victitasse, ut vulgò per vias urbis versiculi proscriberentur:

Concurrite omnes augures haruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat consul factus est.

Eumdem Bassum Suetonius Tranquillus præpositum esse à M. Antonio provinciis orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentis tribus ab eo prœliis fusos scribit, eumque primum omnium de Parthis triumphasse, & morte obita publico funere sepultum esse

Cap. V.

Verbum profligo *à plerisque dici impropriè insciteque.*

Sicut alia verba pleraque, ignoratione & insciția improbe dicentium quæ non intelligant, deflexa ac depravata sunt à ratione recta & consuetudine; ita hujus quoque verbi, quod est, *profligo*, significatio versa & corrupta est. nam quum ab affligendo & ad perniciem interitumque deducendo inclinatum id tractumque sit, semperque eo verbo, qui diligenter loquuti sunt, ita usi sint, ut *profligare* dicerent *prodigere* & *deperdere*, *profligataque* res quasi *proflictas* & *perditas* appellarint: nunc audio ædificia & templa & alia ferè multa, quæ propè absoluta affectaque sunt, *in profligato esse* dici; ipsaque jam *esse profligata*. Quapropter urbanissimè respondisse prætorem non indoctum virum Barvasculo cuidam ex advocatorum turba Sulpicius Apollinaris in quadam epistola scriptum reliquit. nam quum ille, inquit, rabula audaculus ita postulasset, verbaque ita fecisset; Omnia, vir clarissime, negotia, de quibus te cogniturum esse hodie dixisti, diligentia & velocitate tua profligata sunt; unum id solum relictum est, de quo, rogo, audias: tum prætor satis ridiculè, An illa, inquit,

negotia

negotia de quibus jam cognoviſſe me dicis, profligata ſint, equidem neſcio. hoc autem negotium quod in te incidit, proculdubio, ſive id audiam ſive non audiam, profligatum eſt. Quod ſignificare autem volunt, qui *profligatum* dicunt; ii qui Latinè loquuti ſunt non *profligatum*, ſed *adfectum*, dixerunt. ſicut M. Cicero in oratione, quam habuit de provinciis conſularibus. ejus verba hæc ſunt: *Bellum adfectum videmus, &, vere ut dicam, pene confectum.* item infrà: *Nam ipſe Cæſar quid eſt quòd in ea provincia commorari velit, niſi ut ea, quæ per eum adfecta ſunt, perfecta reipublicæ tradat?* idem Cicero in OEconomico. *Quum verò adfecta jam prope æſtate uvas à ſole miteſcere tempus eſt.*

CAP. VI.

In libro M. Ciceronis de gloria ſecundo, manifeſtum erratum in ea parte, in qua ſcriptum eſt ſuper Hectore & Ajace.

IN libro M. Tullii, qui eſt ſecundus de gloria, manifeſtus error eſt non magnæ rei, quem errorem eſſe poſſit cognoſcere non aliquis eruditorum, ſed qui tantùm legerit Ομήρου τὰ ἡ. quamobrem non tam id mirabamur erraſſe in ea re M. Tullium: quàm non eſſe animadverſum hoc poſtea correctumque, vel ab ipſo, vel à Tirone liberto ejus, diligentiſſimo homine, & librorum patroni ſui ſtudioſiſſimo. ita enim ſcriptum in eo libro eſt: *Apud eumdem poëtam Ajax cum Hectore congrediens de pugnandi cauſa agit, ut ſepeliatur, ſi ſit fortè victus; declaratque ſe velle, ut ſuum tumulum multis etiam poſt ſæculis prætereuntes ſic loquantur:*

Hic ſitus eſt vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus concidit enſe.
Fabitur hæc aliquis. mea ſemper gloria vivet.

Hujus

Hujus autem sententiæ versus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non Ajax apud Homerum dicit, neque Ajax agit ut sepeliatur; sed Hector dicit, & Hector de sepultura agit, priusquam sciat, an Ajax secum depugnandi causa congressurus sit.

CAP. VII.

Observatum esse in senibus, quod annum ferè ætatis tertium & sexagesimum agant aut laboribus aut interitu, aut clade aliqua insignitum: atque inibi super eadem observatione exemplum appositum epistolæ Divi Augusti ad Cajum filium.

OBservatum in multa hominum memoria, expertumque est in senioribus plerisque omnibus, sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire aut corporis morbique gravioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. propterea, qui rerum verborumque istiusmodi studio tenentur, eum ætatis annum appellant κλιμακτηρικόν. Nocte quoque ista proxima superiore, quum librum epistolarum Divi Augusti, quas ad Cajum nepotem suum scripsit, legeremus; duceremurque eligantia orationis neque morosa neque anxia, sed facili hercle & simplici: idipsum in quadam epistola super eodem anno scriptum offendimus: ejusque epistolæ exemplum hoc est: VIII. Kalend. Octobr. *Have mi Cai, meus ocellus jucundissimus: quem semper medius fidius desidero quum à me abes; sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Cajum: quem, ubicumque hoc die fuisti, spero lætum & benevalentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum. nam, ut vides, κλιμακτῆρες communem seniorum omnium tertium & sexagesimum annum evasimus. deos autem oro, ut, quantum mihi supereſt temporis,*

id salvis

id salvis vobis traducere liceat in statu reipublicæ felicissimo ἀνδρασαθέντων ὑμῶν & διαδεχομένων stationem meam.

CAP. VIII.

Locus ex oratione Favorini veteris oratoris de cœnarum atque luxuriæ obprobratione, quâ usus est quum legem Liciniam de sumtu minuendo suasit.

QUum legeremus orationem veterem Favorini non indiserti viri: quam orationem totam, ut meminisse possemus, odio esse hercle istiusmodi sumtus atque victus, perdidicimus. verba hæc, quæ apposuimus, Favorini sunt: *Præfecti popinæ atque luxuriæ negant cœnam lautam esse, nisi, quum libentissimè edis, tum auferatur, & alia esca melior atque amplior succenturietur. is nunc flos cœnæ habetur inter istos, quibus sumtus & fastidium pro facetiis procedit: qui negant ullam avem præter ficedulam totam comesse oportere; cæterarum avium atque altilium, nisi tantùm apponatur ut à cluniculis inferiore parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere: superiorem partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere. si pro portione luxuria pergit crescere; quid reliquetur, nisi ut delibari sibi cœnas jubeant, ne edendo defatigentur? quando stratus, auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus quam diis immortalibus adornatur.*

CAP. IX.

Quod Cæcilius poëta frontem *genere virili, non poëticè, sed cum probatione & cum analogia appellavit.*

VEre ac disertè Cæcilius hoc Subditivo scripsit:

Nam hi sunt inimici pessumi fronte hilaro,
Corde tristi: quos neque ut apprendas neque ut
mittas scias.

hos

hos ego versus, quum de quodam istiusmodi homine sermones essent, in circulo fortè juvenum eruditorum dixi. tum de grammaticorum volgo quispiam nobiscum ibi assistens non sanè ignobilis, Quanta, inquit, licentia audaciaque Cæcilius hic fuit, quum *fronte hilaro*, non *fronte hilara*, dixit, & tam immanem solœcismum nihil veritus est? immo, inquam, potius nos & quàm audaces & quàm licentes sumus, qui frontem improbè indoctéque non virili genere dicimus, quum & ratio proportionis, quæ analogia appellatur, & veterum auctoritas non *hanc*, sed *hunc frontem* debere dici suadeant. quippe M. Cato in quinto Originum ita scripsit: *Postridie signis collatis, æquo fronte, peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavit. recto* quoque *fronte* idem Cato eodem in libro dicit. At ille semidoctus grammaticus; Missas, inquit, auctoritates facias: quas quidem ut habeas, posse fieri puto; sed rationem dic, quam non habes. atque ego his ejus verbis, ut tum ferebat ætas, irritatior, Audi, inquam, mi magister, rationem falsam quidem, sed quam redarguere falsam esse tu non queas. Omnia, inquam, vocabula tribus litteris finita, quibus *frons* finitur, generis masculini sunt, si in genitivo quoque casu eadem syllaba finiantur: ut, *mons*, *fons*, *pons*, *frons*. at ille contrà renidens, Audi, inquit, discipule, plura alia consimilia, quæ non sint generis masculini. petebant ibi omnes ut vel unum statim diceret, sed quum homo vultum intorqueret, & non hisceret, & colores mutaret: tum ego intercessi; &, Vade, inquam, nunc, & habeto ad requirendum triginta dies: postquam inveneris, repetes nos. atque ita hominem nulli rei ad indagandum vocabulum, quo rescinderet finitionem fictam, dimisimus.

CAP. X.

De voluntario & admirando interitu virginum Milesiarum.

PLutarchus in librorum, quos περὶ ψυχῆς inscripsit, primo, quum de morbis dissereret in animos hominum incidentibus, virgines dixit Milesii nominis, fere quot tum in ea civitate erant, repentè, sine ulla evidenti causa, voluntatem cepisse obeundæ mortis; ac deinde plurimas vitam suspendio amisisse. id quum accideret in dies crebrius, neque animis earum mori perseverantium medicina adhiberi quiret; decrevisse Milesios, ut virgines, quæ corporibus suspensis demortuæ forent, eæ omnes nudæ cum eodem laqueo, quî essent prævinctæ, efferrentur: post id decretum virgines voluntariam mortem non petisse, pudore solo deterritas tam inhonesti funeris.

CAP. XI.

Verba senatusconsulti, de exigendis urbe Roma philosophis: item verba edicti Censorum, quo improbati & coerciti sunt, qui disciplinam rhetoricam instituere & exercere Romæ cœperant.

CFannio Strabone, M. Valerio Messala COSS. senatusconsultum de philosophis & de rhetoribus Latinis factum est. M. POMPONIUS. PRAETOR. SENATUM. CONSULUIT. QUOD. VERBA. FACTA. SUNT. DE. PHILOSOPHIS. ET. DE. RHETORIBUS. DE. EA. RE. ITA. CENSUERUNT. UTI. M. POMPONIUS. PRAETOR. ANIMADVERTERET. COERARET. Q. UTI. EI. E. REPUBLICA. FIDE. QUE. SUA. VIDERETUR. UTI. ROMAE. NE. ESSENT. Aliquot deinde annis post id senatusconsultum Cn. Domitius AEnobarbus & L. Licinius

cinius Crassus Censores de coërcendis rhetoribus Latinis ita edixerunt: RENUNCIATUM. EST. NOBIS. ESSE. HOMINES. QUI. NOVUM. GENUS. DISCIPLINAE. INSTITUERUNT. AD. QUOS. JUVENTUS. IN. LUDUM. CONVENIAT. EOS. SIBI. NOMEN. IMPOSUISSE. LATINOS. RHETORAS. IBI. HOMINES. ADULESCENTULOS. DIES. TOTOS. DESIDERE. MAIORES. NOSTRI. QVAE. LIBEROS. SUOS. DISCERE. ET. QUOS. IN. LUDOS. ITARE. VELLENT. INSTITUERUNT. HAEC. NOVA. QUAE. PRAETER. CONSUETUDINEM. AC. MOREM. MAIORUM. FIUNT. NE. QUE. PLACENT. NE. QUE. RECTA. VIDENTUR. QUA. PROPTER. ET. HIS. QUI. EOS. LUDOS. HABENT. ET. HIS. QUI. EO. VENIRE CONSUERUNT. VISUM. EST. FACIUNDUM. UT. OSTENDEREMUS. NOSTRAM. SENTENTIAM. NOBIS. NON. PLACERE. Neque illis solùm temporibus nimis rudibus necdum Græca doctrina expolitis, philosophi ex urbe Roma pulsi sunt: verum etiam Domitiano imperante senatusconsulto ejecti, atque urbe & Italia interdicti sunt. qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id senatusconsultum Nicopolin Roma decessit.

CAP. XII.

Locus ex oratione Gracchi de parsimonia ac de pudicitia sua memoratissimus.

C. Gracchus, quum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit. ea verba hæc sunt: *Versatus sum*, inquit, *in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar; nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie stabant: sed in convivio liberi vestri modestiùs erant, quàm apud principia.* post deinde hæc dicit: *Ita versatus sum in provincia, ut nemo*

posſit verè dicere assem aut eo plus in muneribus me accepisse ; aut mea opera quemquam sumtum fecisse. biennium enim fui in provincia : si ulla meretrix domum meam introivit, aut cujusquam servulus propter me solicitus est , omnium natorum postremissimum nequissimumque existimatote. quum à servis eorum tam castè me habuerim , inde poteritis considerare , quomodo me putetis eum liberis vixisse. Atque ibi ex intervallo , *Itaque*, inquit, *Quirites, quum Romam profectus sum , zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. alii vini amphoras quas plenas tulerunt , eas argento plenas domum reportaverunt.*

CAP. XIII.

De verbis inopinatis, quæ utroque versum dicuntur, & à grammaticis communia vocantur.

UTor, & *vereor*, & *hortor*, & *consolor*, communia verba sunt, ac dici utroque versus possunt : *vereor te* & *vereor abs te*, id est, tu me vereris : *utor te* & *utor abs te* , id est, tu me uteris. *hortor te* & *hortor abs te* , id est, tu me hortaris. *consolor te* & *consolor abs te*, id est, tu me consolaris. *testor* quoque & *interpretor* significatione reciproca dicuntur. Sunt autem verba hæc omnia ex altera parte inusitata ; & an dicta sint in eam quoque partem quæri solet. Afranius in Consobrinis :

Hem isto parentum est vita vilis liberis :
Ubi malunt metui quàm vereri se ab suis.

hîc *vereri* ex ea parte dictum est, quæ est non usitatior. Novius in Ligartaca verbum, quod est , *utitur* , ex contraria parte dicit. *Quia supellex multa , quæ non utitur , emitur tamen* : id est, quæ usui non est. M. Cato in quinta Origine , *Exercitum* , inquit, *suum pransum paratum cohortatum eduxit foras atque instruxit.*

Consolor

Consolor quoque in partem alteram, præterquam dici solitum est, scriptum invenimus in epistola Q. Metelli: quam quum in exsilio esset, ad Cn. & ad L. Domitios dedit: *At quum animum*, inquit, *vestrum erga me video, vehementer consolor: fides virtusque vestra mihi ante oculos versatur.* *Testata* itidem & *interpretata* eadem ratione dixit M. Tullius in primo libro de divinatione: ut *testor interpretorque* verba communia videri debeant. Sallustius quoque eodem modo, *Dilargitis proscriptorum bonis*, dicit, tamquam verbum *largior* sit ex verbis communibus. *Veritum* autem, sicut *puditum* & *pigitum*, non personaliter per infinitum modum dictum esse non à vetustioribus tantùm videmus, sed à M. quoque Tullio in secundo de Finibus. *Primum*, inquit, *Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum in ea voluptate, quæ maxima dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere.* *Dignor* quoque & *veneror* & *confiteor* & *testor* habita sunt in verbis communibus. sic illa in Virgilio dicta sunt:

Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo, &:
Cursusque dabis venerata secundos.

Confessi autem æris, de quo facta confessio est, in XII tabulis scriptum est, his verbis: AERIS. CONFESSI DEBITI. QUE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO. item ex isdem tabulis quoque est: QUI. SE. SIERIT. TESTARIER. LIBRIPENS. VE. FUERIT. NI. TESTIMONIUM. FARIATUR. IMPROBUS. INTESTABILIS. QUE. ESTO.

CAP. XIV.

Quod Metellus Numidicus figuram orationis novam ex orationibus Græcis mutuatus est.

APud Q. Metellum Numidicum, in libro accusationis in Valerium Messalam tertio, novè dictum

esse annotavimus. verba ex oratione ejus hæc sunt: *Quum se sciret in tantum crimen venisse, atque socios ad senatum questum flentes venisse, sese pecunias maximas exactos esse. pecunias*, inquit, *maximas exactos*, pro eo quod est, *pecunias à se maximas exactas.* Id nobis videbatur Græca figura dictum. Græci enim dicunt, εἰσπεπράξατό με χρήμεον: id significat, *exegit me pecuniam.* quod si id dici potest, etiam *exactus esse aliqui pecuniam* dici potest; Cæciliusque eadem figura in Hypobolimæo AEschino usus videtur;

Ego illud minus nihilo exigor portorium:

id est; *nihilominus exigitur de me portorium.*

CAP. XV.

Passis velis, & passis manibus *dixisse veteres non à verbo suo, quod est* patior; *sed ab alieno, quod est* pandor.

AB eo quod est, *pando*, *passum* veteres dixerunt, non *pansum*, & cum præpositione, *expassum*, non, *expansum.* Cæcilius in Synaristosis:

Heri verò prospexe eumce ex tegulis:
Hæc nunciasse, & flammeum expassum domi.

capillo quoque esse mulier *passo* dicitur, quasi porrecto & expanso; & *passis* manibus & velis *passis* dicimus, quod significat diductis atque distentis. itaque Plautus in Milite glorioso, *a* littera in *e* mutata, per compositi vocabuli morem, *dispessis* dicit, pro eo quod est, *dispassis*:

Credo ego isthoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam.
Dispessis manibus patibulum quum habebis.

CAP.

CAP. XVI.

De novo genere interitus Crotoniensis Milonis.

MIlo Crotoniensis athleta illustris, quem in chronicis scriptum est olympiade quinquagesima coronatum esse, exitum habuit vitæ miserandum & mirandum. quum jam natu grandis artem athleticam desisset, iterque faceret fortè solus in locis Italiæ silvestribus: quercum vidit proximè viam patulis in parte media rimis hiantem. tum experiri, credo, etiam tunc volens an ullæ sibi reliquæ vires adessent, immissis in cavernas arboris digitis diducere & rescindere quercum conatus est, ac mediam quidem partem discidit divellitque. quercus autem in duas diducta partes, quum ille, quasi perfecto quod erat connixus, manus laxasset, cessante vi rediit in naturam; manibusque ejus retentis incluisque stricta denuo & cohæsa, dilacerandum hominem feris præbuit.

CAP. XVII.

Quam ob causam nobiles pueri Athenienſium tibiis canere deſierint, quum patrium istum morem canendi haberent.

ALcibiades Athenienſis quum apud avunculum Periclen puer artibus ac disciplinis liberalibus eruditetur; & arcessi Pericles Antigenidam tibicinem jussisset, ut eum canere tibiis, quod honestissimum tum videbatur, doceret: traditas sibi tibias, quum ad os adhibuisset inflassetque, pudefactus oris deformitate abjecit infregitque. ea res quum percrebuisset; omnium tum Athenienſium consensu disciplina tibiis canendi desita est. scriptum hoc est in commentario Pamphilæ nono & vicesimo.

CAP. XVIII.

Quod pugna belli civilis victoriaque C. Cæsaris, quam vicit in Pharsalicis campis, nunciata prædictaque est per cujusdam sacerdotis vaticinium eodem ipso die in Italia Patavij.

QUo C. Cæsar & Cn. Pompejus die per civile bellum signis collatis in Thessalia conflixerunt, res accidit Patavii in Transpadana Italia memorari digna. Cornelius quidam sacerdos, & loco nobilis, & sacerdotii religionibus venerandus, & castitate vitæ sanctus, repentè mota mente conspicere se procul dixit pugnam acerrimam pugnari, ac deinde cedere alios, alios urgere, eædem, fugam, tela volantia, instaurationem pugnæ, impressionem, gemitus, vulnera, proinde ut si ipse in prœlio versaretur, coram videre sese vociferatus est; ac postea subito exclamavit Cæsarem vicisse. Ea Cornelii sacerdotis hariolatio levis tum quidem visa est & vecors: magnæ mox admirationi fuit: quòd non modò pugnæ dies, quæ in Thessalia pugnata est, neque prœlii exitus, qui erat prædictus, idem fuit: sed omnes quoque pugnandi reciprocæ vices, & ipsa exercituum duorum conflictatio vaticinantis motu atque verbis repræsentata est.

CAP. XIX.

Verba M. Varronis memoria digna, ex satira quæ inscribitur, περὶ ἐδεσμάτων.

NOn pauciſſimi ſunt, in quos poteſt convenire id quod M. Varro dicit, in ſatira quæ inſcribitur περὶ ἐδεσμάτων. verba hæc ſunt: *Si, quantum operæ ſumpſiſti ut tuus piſtor bonum faceret panem, ejus duodecimam philoſophiæ dediſſes; ipſe bonus jampridem eſſes factus. nunc, illum qui uorunt, volunt emere milibus centum, te, qui novit, nemo centuſſis.*

CAP.

CAP. XX.

Notata quædam de Euripidis poëtæ genere, vita, moribus, deque ejusdem fine vitæ.

EUripidis poëtæ matrem Theopompus agrestia olera vendentem victum quæsisse dicit. patri autem ejus nato illo responsum est à Chaldæis, eum puerum, quum adolevisset, victorem in certaminibus fore. id ei puero fatum esse. pater interpretatus athletam debere esse, roborato exercitatoque filii sui corpore, Olympiam certaturum eum inter athletas pueros deduxit. ac primo quidem in certamen per ambiguam ætatem receptus non est. pòst Eleusinio & Thesæo certamine pugnavit, & coronatus est. mox, à corporis cura ad excolendi animi studium transgressus, auditor fuit physici Anaxagoræ & Prodici rhetoris, in morali autem philosophia Socratis, tragœdiam scribere natus annos duodeviginti adortus est. Philochorus refert in insula Salamine speluncam esse tetram & horridam, quam nos vidimus; in qua Euripides tragœdias scriptitarit. mulieres ferè omnes in majorem modum exosus fuisse dicitur. sive quòd natura abhorruit à mulierum cœtu, sive quòd duas simul uxores habuerat, quum id decreto ab Athenienſibus facto jus esset; quarum matrimonii pertædebat. Ejus odii in mulieres Aristophanes quoque meminit, ἐν ταῖς προτέραις θεσμοφοριαζούσαις, in his versibus:

Νῦν οὖν ἁπάσαισι παραινῶ καὶ λέγω,
Τοῦτον κολάσαι τὴν ἄνδρα πολλῶν οὕνεκα.
Ἄγρια γὰρ ἡμᾶς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακὰ,
Ἀτ' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.

Alexander autem AEtolus hos de Euripide versus composuit:

O'

Ὁ δὲ Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου
Στρυφνὸς μὲν ἐμοί γε ἔοικε προσείπειν,
Καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον
Μεμαθηκώς, ἀλλ' ὅ, τι καὶ γράψαι, τοῦτ' ἂν
Μέλιτος καὶ σειρήνων ἐτετεύχει.

is, quum in Macedonia apud Archelaum regem esset, utereturque eo rex familiariter, rediens nocte ab ejus cœna canibus à quodam æmulo immissis dilaceratus est: & ex his vulneribus mors secuta est. sepulcrum autem ejus & memoriam Macedones eo dignati sunt honore, ut in gloriæ quoque loco prædicarent, ὅπτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετο πῦ, quod egregius poëta morte obita sepultus in eorum terra foret. quamobrem quum legati ad eos ab Athenienſibus missi petissent, ut ossa Athenas in terram illius patriam permitterent transferri; maximo consensu Macedones in ea re deneganda perstiterunt.

CAP. XXI.

Quod à poëtis Jovis filii prudentissimi humanissimique, Neptuni autem ferocissimi & inhumanissimi traduntur.

PRæstantissimos virtute, prudentia, viribus, Jovis filios poëtæ appellaverunt, ut AEacum & Minoa & Sarpedona; ferocissimos & immanes & alienos ab omni humanitate, tamquam è mari genitos Neptuni filios dixerunt, Cyclopa & Cercyona & Scyrona & Læstrygonas.

CAP.

CAP. XXII.

Historia de Sertorio duce, deque astu ejus commentitiisque simulamentis, quibus ad barbaros milites continendos conciliandosque sibi utebatur.

SErtorius vir acer, egregiusque dux, & tuendi regendique exercitus peritus fuit. is, in temporibus difficillimis, & mentiebatur ad milites si mendacium prodesset, & literas compositas pro veris legebat, & somnium simulabat, & falsas religiones conferebat, si quid istæ res eum apud militum animos adjutabant. illud adeò Sertorii nobile est. cerva alba eximiæ pulchritudinis & vivacissimæ celeritatis à Lusitano ei quodam dono data est. hanc sibi oblatam divinitus & instinctam Dianæ numine colloqui secum monereque & docere, quæ utilia factu essent, persuadere omnibus instituit: ac, si quid durius videbatur quod imperandum militibus foret, à cerva sese monitum prædicabat. id quum dixerat: universi, tamquam si deo, libentes parebant. Ea cerva quodam die, quum incursio esset hostium nunciata, festinatione ac tumultu consternata in fugam se prorupit, atque in palude proxima delituit; & postea requisita periisse credita est. neque multis diebus post, inventam esse cervam Sertorio nunciatur. tum qui nunciaverat jussit tacere: ac, ne cui palam diceret, interminatus est: præcepitque ut eam postero die repentè in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, immitteret: admissis deinde amicis postridie, visum sibi esse ait in quiete cervam, quæ periisset, ad se reverti, &, ut prius consuerat, quod opus esset facto, prædicare. tum Sertorio, quod imperaverat, significante cerva emissa in cubiculum Sertorii introrupit. clamor factus, & orta admiratio est: eaque hominum barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus magno usui fuit. Memoriæ proditum est,

ex iis

ex iis nationibus, quæ cum Sertorio faciebant, quum multis prœliis superatus esset, neminem umquam ab eo desciviſſe: quamquam id genus hominum esset mobiſſimum.

CAP. XXIII.

De ætatibus historicorum nobilium Hellanici, Herodoti, Thucydidis.

HEllanicus, Herodotus, Thucydides, historiæ scriptores in isdem temporibus ferè laude ingenti floruerunt, & non nimis longè distantibus fuerunt ætatibus. nam Hellanicus initio belli Peloponnesiaci fuisse quinque & sexaginta annos natus videtur: Herodotus tres & quinquaginta: Thucydides quadraginta. scriptum hoc in libro undecimo Pamphilæ.

CAP. XXIV.

Quid Vulcatius Sedigitus in libro, quem de poëtis scripsit, de comicis Latinis judicarit.

SEdigitus in libro, quem scripsit de poëtis, quid de iis sentiat qui comœdias fecerunt, & quem ex omnibus præstare cæteris putet, ac deinceps quo quemque in loco & honore ponat, his versibus suis demonstrat:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poëtæ comico cui deferant.
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi:
Ut contra si quis sentiat nihil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facilè exsuperat cæteros.
Dein Nævius, qui fervet, pretium tertium est:
Si erit, quod quarto; dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto sequitur hoc loco Terentius.

Turpilius

Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facilè facio Lusium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Cap. XXV.

De verbis quibusdam novis, quæ in Cn. Matij mimiambis offenderamus.

CN. Matius vir eruditus in mimiambis suis non absurdè neque absonè finxit. *recentatur*, pro eo quod Græci dicunt ἀναπνεῖται. Versus, in quibus hoc verbum est, hi sunt:

Jamjam albicascit Phœbus & recentatur
Commune lumen hominibus voluptásque.

Idem Matius in isdem mimiambis *edulcare* dicit: quod est, dulcius reddere, in his versibus:

Quapropter edulcare convenit vitam;
Curasque acerbas sensibus gubernare.

Cap. XXVI.

Quibus verbis Aristoteles philosophus definierit syllogismum: ejusque definitionis interpretamentum verbis Latinis factum.

ARistoteles quid syllogismus esset his verbis definivit: λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων. ejus definitionis non videbatur habere incommodè interpretatio facta hoc modo: *Syllogismus est oratio, in qua consensis quibusdam & concessis, aliud quid, quam quæ concessa sunt, per ea quæ concessa sunt, necessario conficitur.*

Cap.

CAP. XXVII.

Quid sint comitia calata, *quid* curiata, *quid* centuriata, *quid* tributa, *quid* concilium; *atque inibi quædam ejusmodi.*

IN libro Lælii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, *calata comitia* esse, quæ pro collegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa. eorum autem alia esse curiata, alia centuriata. curiata per lictorem curiatim calari, id est, convocari: centuriata per cornicinem: isdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & sacrorum detestatio & testamenta fieri solebant. tria enim genera testamentorum fuisse accepimus, unum, quod calatis comitiis in populi concione fieret: alterum in procinctu, quum viri ad prœlium faciendum in aciem vocabantur. tertium per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur. in eodem Lælii Felicis libro, hæc scripta sunt: *Is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed concilium edicere debet. tribuni autem neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re possunt: ita ne leges quidem propriè, sed plebiscita appellantur quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt: quibus rogationibus antè patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Item in eodem libro hoc scriptum est: *Quum ex generibus hominum suffragium feratur, curiata comitia esse: quum ex censu & ætate, centuriata: quum ex regionibus & locis, tributa. centuriata autem comitia intra pomœrium fieri fas esse, quia exercitum extra urbem imperari oporteat; intra urbem imperari jus non sit: propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum: quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.*

CAP.

Cap. XXVIII.

Quòd erravit Cornelius Nepos quum scripsit Ciceronem tres & viginti annos natum causam pro Sex. Roscio dixisse.

Cornelius Nepos & rerum memoriæ non indiligens, & M. Ciceronis, ut qui maximè, amicus familiaris fuit. atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur; quum eum scripsit tres & viginti annos natum primam causam judicii publici egisse, Sextumque Roscium parricidii reum defendisse. dinumeratis quippe annis à Q. Cæpione & Q. Serrano, quibus Consulibus ante diem III nonas Januarias M. Cicero natus est, ad M. Tullium & Cn. Dolabellam, quibus consulibus causam privatam pro Quintio apud Aquilium Gallum judicem dixit, sex & viginti anni reperiuntur. neque dubium est quin post annum, quàm pro Quintio dixerat, Sex. Roscium reum parricidii defenderit, annos jam septem atque viginti natus, L. Sulla Felice Q. Metello Pio consulibus. in qua re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius animadvertit, quòd eum scripserit sexto vicesimo ætatis anno pro Sex. Roscio dixisse. Longior autem Nepotis quàm Fenestellæ error est, nisi quis vult in animum inducere, studio amoris & amicitiæ adductum, amplificandæ admirationis gratia, quadriennium suppressisse: ut M. Cicero orationem florentem dixisse pro Roscio admodum adolescens videretur. illud adeò ab utriusque oratoris studiosis animadversum & scriptum est; quòd Demosthenes & Cicero pari ætate illustrissimas orationes in causis dixerint, alter κατὰ ἀνδροτίωνος καὶ κατὰ τιμοκράτους septem & viginti annos natus, alter anno minor pro P. Quintio, septimoque & vicesimo pro Sex. Roscio. vixerunt quoque non nimis numerum annorum diversum,

versum, alter tres & sexaginta annos, Demosthenes sexaginta.

CAP. XXIX.

Quali figura orationis & quam nova L. Piso annalium scriptor usus sit.

DUæ istæ in loquendo figuræ notæ satis usitatæque sunt, *Mihi nomen est Julio* & *mihi nomen est Julii.* tertiam figuram novam hercle reperi apud Pisonem in secundo annalium. verba Pisonis hæc sunt. *L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere:* eumque *orat uti sua voluntate Romam contendat. quia Tarquinium*, inquit, *nomen esset.* hoc proinde est, tamquam si ego dicam, *mihi nomen est Iulium.*

CAP. XXX.

Vehiculum, quod petorritum *appellatur, cujatis linguæ vocabulum sit, Græcæ an Gallicæ.*

QUi ab alio genere vitæ detriti jam & retorridi ad litterarum disciplinas seriùs adeunt, si fortè idem sunt garruli natura & subargutuli, oppidò quam fiunt in litterarum ostentatione inepti & frivoli. quod genus profectò ille homo est, qui de *petorritis* nuper argutissimas nugas dixit. nam quum quæreretur *petorritum* quali forma vehiculum cujatisque linguæ vocabulum esset: & faciem vehiculi ementitus est longè alienam falsamque, & vocabulum Græcum esse dixit; atque id significare volucres rotas interpretatus est: commutataque una littera *petorritum* esse dictum volebat, quasi *petorotum.* scriptum etiam hoc esse à Valerio Probo contendit. Ego quum Probi multos admodum commentationum libros anquisierim, neque scriptum in his inveni, nec

nec usquam alioqui Probum scripsisse credo. *petorritum* enim est non ex Græca dimidiatum, sed totum transalpibus. nam est vox Gallica. id scriptum est in libro M. Varronis quartodecimo rerum divinarum. quo in loco Varro, quum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum; *lanceam* quoque dixit, non Latinum, sed Hispanicum verbum esse.

CAP. XXXI.

Quæ verba legaverint Rhodii ad hostium ducem Demetrium, quum ab eo obsiderentur, super illa incluta Jalysi imagine.

RHodum insulam celebritatis antiquissimæ, oppidumque in ea pulcherrimum ornatissimumque, obsidebat oppugnabatque Demetrius dux ætatis suæ inclutus: cui à peritia disciplinaque faciendi obsidii, machinarumque sollertia ad capienda oppida repertarum, cognomentum πολιορκητὴς fuit. tum ibi in obsidione illa ædes quasdam publicè factas, quæ extra urbis muros cum parvo præsidio erant, aggredi & vastare atque absumere igni parabat. in his ædibus erat memoratissima illa imago Jalysi, Protogenis manu facta illustris pictoris: cujus operis pulchritudinem præstantiamque ira percitus Rhodiis invidebat. mittunt Rhodii ad Demetrium legatos, cum his verbis: Quæ, malum, inquiunt, ratio est, ut tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere? nam si nos omnes superaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris. sin verò nos vincere obsidendo nequiveris; petimus, consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse. hoc ubi ex legatis audivit, oppugnatione desita, & imagini & civitati pepercit.

LIBER SEXTUSDECIMUS.

CAPUT I.

Verba Musonii philosophi Græca, digna atque utilia audiri observarique, ejusdemque utilitatis sententia à M. Catone multis ante annis Numantiæ ad equites dicta.

ADOLESCENTULI quum etiamtum in scholis essemus, ἐν ὑπομνήματον hoc Græcum, quod apposui, dictum esse à Musonio philosopho audiebamus, & quoniam verè atque luculentè dictum, verbisque est brevibus & rotundis vinctum, perquam libenter memineramus: ἂν τι πεάξῃς καλὸν μὴ πόνῳ, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει. ἂν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μὴ ἡδονῇς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. postea istam ipsam sententiam in Catonis oratione, quam dixit Numantiæ apud equites, positam legimus: quæ etsi laxioribus paulò longioribusque verbis comprehensa est præquam illud Græcum quod diximus, quoniam tamen priore tempore antiquiorque est, venerabilior videri debet. verba ex oratione hæc sunt: *Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis; labor ille à vobis citò recedet. bene factum à vobis, dum vivitis, non abscedet. sed si qua per voluptatem nequiter feceritis: voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.*

CAP. II.

Cuimodi sit lex apud dialecticos percontandi differendique, & quæ sit ejus legis reprehensio.

LEgem esse ajunt disciplinæ dialecticæ, si de quapiam re quæratur disputeturque, atque ibi quid rogere

rogere ut respondeas : tum ne amplius quid dicas quàm id solum quod es rogatus, aut ajas aut neges, eamque legem qui non servent, & aut plus aut aliter quàm sunt rogati respondeant, existimantur rudes indoctique esse, disputandique morem atque rationem non tenere. Hoc quidem, quod dicunt, in plerisque disputationibus procul dubio fieri oportet. indefinitus namque inexplicabilisque sermo fiet, nisi interrogationibus responsionibusque simplicibus fuerit determinatus. sed enim esse quædam videntur, in quibus si breviter & ad id, quod rogatus fueris, respondeas, capiare. Nam si quis his verbis interroget : postulo uti respondeas, desierisne facere adulterium an non : utrumcumque dialectica lege responderis, sive ajas, sive neges, hærebis in captione, tamquam si te dicas adulterum. sed quod minus est in interrogatione, id est addendum. nam qui facere non desinit, non id necessario etiam fecit; falsa igitur est species istius captionis : & nequaquam procedere ad id potest, ut colligi concludique possit eum facere adulterium, qui se negaverit facere desisse. quid autem legis istius propugnatores in illa captiuncula facient, in qua hærere eos necessum est, si nihil amplius quàm quod interrogati erunt responderint? nam, si ita ego istorum aliquem rogem; Quicquid non perdidisti, habeasne an non habeas, postulo ut ajas aut neges : utrumcumque breviter responderit, capietur. nam si non habere se negaverit, quod non perdidit; colligetur oculos eum non habere, quos non perdidit. sin verò habere se dixerit; colligetur eum habere cornua, quæ non perdidit. rectius igitur cautiusque ita respondebitur : quicquid habui, id habeo, si id non perdidi. sed hujuscemodi responsio non sit ex ea lege, quam diximus. plus enim quàm quod rogatus est respondet. & propterea id quoque ad eam legem addi solet, non esse captiosis interrogationibus respondendum.

CAP. III.

Quanam ratione effici dixerit Erasistratus medicus, si cibus fortè deerit, ut tolerari aliquantisper inedia possit & tolerari fames, verbaque ipsa Erasistrati super ea re scripta.

CUm Favorino Romæ dies plerumque totos eramus, tenebatque animos nostros homo fandi dulcissimus. atque eum quoquo iret, quasi ex lingua prorsum ejus capti prosequebamur. ita sermonibus usquequaque amœnissimis demulcebat. tum ad quemdam ægrum quum isset visere, nosque cum eo una introissemus, multaque ad medicos, qui tum fortè istic erant, valetudinis ejus gratia, oratione Græca dixisset: Ac ne hoc quidem, inquit, mirum videri debet, quod, quum antehac semper edundi fuerit appetens, nunc, post imperatam inediam tridui omnis ejus appetitio pristina elanguerit. nam quod Erasistratus scriptum, inquit, reliquit, propemodum verum est: esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibræ, & cava intus ventris ac stomachi vacua & hiantia: quæ ubi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur & connivent; tunc loco, in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto, voluntas capiendi ejus desiderandique restinguitur. Scythas quoque, ait eumdem Erasistratum dicere, quum sit usus ut famem longius tolerent, fasciis ventrem strictissimè circumligare. ea ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est. Hæc tum Favorinus, multaque istiusmodi alia affabilissimè dicebat. Nos autem postea, quum librum fortè Erasistrati legeremus διαιρέσεων primum, id ipsum in eo libro, quod Favorinum audiebamus dicere, scriptum offendimus. Verba Erasistrati ad eam rem pertinentia hæc sunt: ἐλογιζόμεθα οὖν σπαρὰ τὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν τῆς κοιλίας εἶναι τὴν σφόδρα ἀσιτίαν. καὶ

γὰρ τοῖς

γὰρ τοῖς ἐπιπλέον ἀσιτοῦσι καὶ προαίρεσιν, ἐν τοῖς πρώτοις χρόνοις ἡ πεῖνα παρακολουθεῖ. ὕστερον δὲ οὐκέτι. deinde paulum infra, εἰθισμένοι δέ εἰσι καὶ οἱ Σκύθαι ὅταν διά τινα καιρὸν ἀναγκάζονται ἄσιτοι εἶναι, ζώναις πλατείαις τὴν κοιλίαν διασφίγγειν, ὡς τῆς πείνης αὐτοὺς ἧττον ἐνοχλούσης. σχεδὸν δὲ καὶ ὅταν πλήρης ἡ κοιλία ᾖ, διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τοῦτο οὐ πεινῶσιν. ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκυῖα ᾖ, κένωμα οὐκ ἔχει. In eodem libro Erasistratus vim quamdam famis non tolerabilem, quam Græci βούλιμον appellant, in diebus frigidissimis multo faciliùs accidere ait, quàm quum serenum atque placidum est: atque ejus rei causas, cur is morbus in eo plerumque tempore oriatur, nondum sibi esse compertas dicit. Verba quibus id dicit hæc sunt: ἄπορον δὲ καὶ δεόμενον ἐπισκέψεως, καὶ ἐπὶ τούτου καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν βουλιμιώντων, διατι ἐν τοῖς ψύχεσι μᾶλλον τὸ σύμπτωμα τοῦτο γίνεται ἢ ἐν τοῖς εὐδίαις.

CAP. IV.

Quo ritu, quibusque verbis fecialis populi Romani bellum indicere solitus sit his, quibus populus Romanus bellum fieri jusserat: & item in quæ verba conceptum fuerit jusjurandum de furtis militaribus sanciendis, & uti milites scripti intra prædictum diem in loco certo frequentarent, causis quibusdam exceptis, propter quas id jus jurandum remitti æquum esset.

Cincius, in libro tertio de re militari, fecialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum jacientem his verbis uti scripsit: QUOD. POPULUS. HERMUNDULUS. HOMINES. QUE. POPULI. HERMUNDULI. ADVERSUS. POPULUM. ROMANUM. BELLUM. FECERE. DELIQUERUNT. QUE. QUOD. QUE. POPULUS. ROMANUS. CUM. POPULO. HERMUNDULO. HOMINIBUS. QUE. HERMUNDULIS.

BELLUM. JUSSIT. OB. EAM. REM. EGO. POPULUS. QUE. ROMANUS. POPULO. HERMUNDULO. HOMINIBUS. QUE. HERMUNDULIS. BELLUM. INDICO. FACIO. QUE. Item, in libro ejusdem Cincii de re militari quinto, ita scriptum est. *Quum dilectus antiquitus fieret, & milites scriberentur: jus jurandum eos Tribunus militaris adigebat, in verba hæc:* IN. MAGISTRATU. C. LAELII. C. FILII. CONSULIS. L. CORNELII. P. FILII. CONSULIS. IN. EXERCITU. DECEM. QUE. MILIA. PASSUUM. PROPE. FURTUM. NON. FACIES. DOLO. MALO. SOLUS. NEQUE. CUM. PLURIBUS. PLURIS. NUMMI. ARGENTEI. IN. DIES. SINGULOS. EXTRAQUE. HASTAM. HASTILE. LIGNA. NAPUM. PABULUM. UTREM. FOLLEM. FACULAM. SI. QUID. IBI. INVENERIS. SUSTULERIS. VE. QUOD. TUUM. NON. ERIT. QUOD. PLURIS. NUMMI. ARGENTEI. ERIT. UTI. TU. AD. C. LAELIUM. C. FILIUM. CONSULEM. L. VE. CORNELIUM. P. FILIUM. CONSULEM. SIVE. QUEM. AD. UTRUM. EORUM. JUS. ERIT. PROFERES. AUT. PROFITEBERE. IN. TRIDUO. PROXIMO. QUICQUID. INVENERIS. SUSTULERIS. VE. SINE. DOLO. MALO. AUT. DOMINO. SUO. CUJUM. ID. CENSEBIS. ESSE. REDDES. UTI. QUOD. RECTUM. FACTUM. ESSE. VOLES. Militibus autem scriptis dies præfiniebatur, quo die adessent: & ut citanti consuli responderent. deinde ita concipiebatur jusjurandum, ut adessent, his additis exceptionibus; *nisi harumce quæ causa erit, funus familiare, feriæve denicales, quæ non ejus rei causa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve quod sine piaculo præterire non liceat, sacrificiumve anniversarium quod rectè fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit; vis hostisve, status condictusve dies cum hoste: si cui eorum harumce quæ causa erit, tum se postridie quam per eas causas licebit eo die venturum, adjutu-*

Vid Gronovium in Lexif. huj. edition.

juturumque eum, qui eum pagum, vicum, opidumve delegerit. Item in eodem libro verba hæc sunt: *Miles quum die qui prædictus est aberat, neque excusatus erat, infrequens dabatur.* Item in libro sexto hoc scriptum est: *Alæ dictæ exercitus equitum ordines; quòd circum legiones dextra sinistraque tamquam alæ in avium corporibus locabantur. in legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.*

CAP. V.

Vestibulum quid significet; deque ejus vocabuli rationibus.

PLeraque sunt vocabula, quibus volgò utimur, neque tamen liquidò scimus quid ea propriè atque verè significent: sed incompertam & volgariam traditionem rei non exploratæ sequuti videmur magis dicere quod volumus, quàm dicimus. sicuti est *vestibulum*, verbum in sermonibus celebre atque obvium; non omnibus tamen, qui illo facilè utuntur, satis spectatum, animadverti enim quosdam haudquaquam indoctos viros opinari *vestibulum* esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat. Cæcilius Gallus, in libro de significatione verborum quæ ad jus civile pertinent secundo, *vestibulum esse* dicit, *non ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum; per quem à via aditus accessusque ad ædis est, quum dextra sinistraque januarum tecta sunt viæ juncta, atque ipsa janua procul a via est area vacanti interjita.* Quæ porrò huic vocabulo ratio sit, quæri multum solet. sed quæ scripta legi, ea ferme omnia inconcinna atque absurda visa sunt. quod Sulpicium autem Apollinarem memini dicere virum eleganti scientia ornatum, hujuscemodi est. *Ve* particula, sicuti quædam alia, tum intentionem significat, tum minutionem. nam *vetus*, *vehemens*, alterum

Vid. Gronovium in Præf. ad hanc editionem.

terum ab ætatis magnitudine compositum elisumque est, alterum à mentis vi atque impetu dicitur. *vescum* autem, quod ex *ve* particula & *esca* copulatum est, utriusque diversæ significationis vim capit. aliter enim Lucretius *vescum salem* dicit ex edendi intentione: aliter Lucilius *vescum* appellat cum edendi fastidio. qui domos igitur amplas antiquitùs faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset. in eo loco, qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant: & neque in via stabant, neque intra ædis erant. ab illa ergo grandis loci consistione, & quasi quadam stabulatione, vestibula appellata sunt; spatia, sicut diximus, grandia ante fores ædium relicta: in quibus starent, qui venissent, priusquam in domum intromitterentur. Meminisse autem debemus id vocabulum non semper à veteribus propriè, sed per quasdam translationes, esse dictum: quæ tamen ita sunt factæ, ut ad ista, de qua diximus, proprietate non longè desciverint: sicut illud in sexto Virgilii:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus orci,
Luctus & ultrices posuere cubilia curæ.

non enim vestibulum priorem partem domus infernæ esse dicit, quod obrepere potest tamquam si ita dicatur. sed loca duo demonstrat extra orci fores, vestibulum & fauces: ex quibus & vestibulum appellat ante ipsam quasi domum & ante ipsa orci penetralia: fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum aditetur.

CAP.

CAP. VI.

Hostiæ, *quæ dicuntur* bidentes, *quid, & quam ob causam ita appellatæ sunt: superque ea re* P. *Nigidii & Julii Higini sententia.*

Redeuntes Græcia Brundusium navem advertimus. ibi quispiam linguæ Latinæ litterator Româ à Brundusinis accersitus experiundum sese volgo dabat; imus ad eum nos quoque oblectamenti gratia. erat enim fessus atque languens animus de æstu maris. legebat barbarè inscitèque Virgilii septimum: in quo libro hic versus est;

Centum lanigeras mactabat rite bidentes:

& jubebat rogare se, si quis quid omnium rerum vellet dicere. tum ego indocti hominis confidentiam demiratus, Docesne, inquam, nos, magister, cur *bidentes* dicantur? *bidentes*, inquit, oves appellatæ: iccircoque *lanigeras* dixit, ut oves planiùs demonstraret. posthac, inquam, videbimus an oves solæ, ut ais, bidentes dicantur: & an Pomponius Atellanarum poëta in Gallis Transalpinis erraverit, quum hoc scripsit:

Mars tibi voveo facturum, si unquam redierit, bidenti verre.

sed nunc ego à te rogavi, ecquam scias esse hujusce vocabuli rationem. atque ille nihil contatus, sed nimium quantum audacter, Oves, inquit, bidentes dictæ, quòd duos tantùm dentes habeant. Ubi terrarum, quæso te, inquam, duos solos per naturam dentes habere ovem vidisti? ostentum enim est, & piaculis factis procurandum. tum ille permotus mihi & iratus, Quære, inquit, ea potiùs quæ ex grammatico quærenda sunt. nam de ovium dentibus opiliones percontantur. Facetias nebulonis hominis risi & reliqui. Publius autem Nigidius, in libro quem de extis composuit, bidentes

appellari ait, non oves solas, sed omnes bimas hostias, neque tamen dixit apertius cur *bidentes*: sed, quod ultro existimabamus, id scriptum invenimus in commentariis quibusdam ad jus pontificium pertinentibus, *bidennes* primò dictas, *d* littera immissa, quasi *biennes*: tum longo usu loquendi corruptam vocem esse, & ex *bidennibus bidentes* factum: quoniam id videbatur esse dictu facilius leniusque. Higinus tamen Julius, qui jus pontificium non videtur ignorasse, in quarto librorum, quos de Virgilio fecit, appellari *bidentes* scripsit hostias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent. verba illius ipsa posui: *Quæ bidens est*, inquit, *hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore ætate in majorem transcendisse.* Hæc Higini opinio an vera sit, non argumentis, sed oculis judicari potest.

CAP. VII.

Quòd Laberius verba pleraque licentius petulantiusque finxit: quòd multis item verbis utitur, de quibus an sint Latina quæri solet.

Laberius in mimis, quos scriptitavit, oppidò quàm verba finxit prælicenter. nam & *mendicimonium* dicit & *mœchimonium* & *adulterionem adulteritatemque* pro *adulterio*, & *depudicavit* pro *stupravit* & *abluvium* pro *diluvio*, &, quod in mimo ponit, quum *cophinum* scripsit, *manuatus est*, pro *furatus est*, item in *Fullone, furem*, *manuarium* appellat:

Manuari, inquit, *pudorem perdidisti.*

multaque alia hujuscemodi novat; neque non obsoleta quoque & maculantia ex sordidiore vulgi usu ponit: quale est in Staminariis,

Tollet bona fide vos Orcus nudas in Catonium.

& *elutriare linteа* & *lavandria* dicit quæ ad lavandum sint

sint data; & *covicior*, inquit, *in fullonicam. Ecquid properas? ecquid præcurris Caldonia!* item in Restione, *calabarriunculos* dicit, quos vulgus *Calabarriones*: item in Compitalibus, *malas malaxavi.* Item in Cacomemmone.

Hic est, inquit, *ille gurdus, quem ego*
Me abhinc duos menses ex Africa
Venientem excepisse tibi narravi,

item in mimo, qui inscribitur *Natal*, *cippum* dicit, & *obbam*, & *camellam*, & *pictacium*, & *capitium*; *induis*, inquit, *capitium tunicæ pictacium.* præterea in Anna Perenna *gubernium* pro *gubernatore*, & *planum* pro *sycophanta*, & *nanum* pro *pumilione* dicit. quamquam *planum* pro *sycophanta* M. quoque Cicero in oratione scriptum reliquit, quam pro Cluentio dixit. atque item in mimo, qui *Saturnalia* inscriptus est, *botulum* pro *farcimine* appellat, & *hominem levennam* pro *levi.* item in Necyomantia, *cocionem* pervulgatè dicit, quem veteres *arulatorem* dixerunt. verba Laberii hæc sunt: *Duas uxores; hoc herclè plus negotii est inquit Cocio; sed ædilis viderit.* sed enim in mimo, quem inscripsit *Alexandream*, eodem quidem modo quo vulgus, sed probè Latineque usus est Græco vocabulo. emplastrum enim dixit ἀδετέρως, non genere feminino, ut isti novicii semidocti. verba ex eo mimo appositi:

Quid est jusjurandum? emplastrum aris alieni.

CAP. VIII.

Quid significet, & quid a nostris appellatum sit, quod ἀξίωμα dialectici dicunt: & quædam alia, quæ prima in disciplina dialectica traduntur.

QUum in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus; necessum fuit adire atque cognoscere quas

quas vocant dialectici εἰσαγωγὰς, tum quia in primo περὶ ἀξιωμάτων discendum, quas M. Varro aliàs profata, aliàs proloquia appellat, commentarium de proloquiis L. AElii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiosè quæsivimus: eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus. sed in eo nihil edocenter, neque ad instituendum explanatè scriptum est: fecisseque videtur eum librum Ælius sui magis admonendi, quàm aliorum docendi gratia. redimus igitur necessario ad Græcos libros: ex quibus accepimus ἀξίωμα definitum esse his verbis, λεκτὸν αὐτοτελὲς ὑποφαντὸν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ. hoc ego supersedi vertere, quia novis & incondi.is vocibus utendum fuit, quas pati aures per insolentiam vix possent. Sed M. Varro, in libro de lingua Latina ad Ciceronem quarto vicesimo, expeditissimè ita finit: *Proloquium est sententia, in qua nihil desideratur.* erit autem planius, quid istud sit, si exemplum ejus dixerimus. ἀξίωμα igitur, sive id proloquium dicere placet, hujusmodi est: *Hannibal Pœnus fuit: Scipio Numantiam delevit: Milo cædis damnatus est: neque bonum est voluptas neque malum* & omnino quicquid ita dicitur plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum aut falsum esse, id à dialecticis ἀξίωμα appellatum est, à M. Varrone, sicuti dixi, *proloquium*, à M. autem Cicerone *pronunciatum.* quo ille tamen vocabulo tantisper uti se attestatus est, *quoad melius*, inquit, *invenero.* Sed quod Græci συνημμένον ἀξίωμα dicunt, id alii nostrorum *adjunctum*, alii *connexum* dixerunt. id connexum tale est: *si Plato ambulat, Plato movetur. si dies est, Sol super terras est.* Item quod illi συμπεπλεγμένον, nos vel *conjunctum* vel *copulatum* dicimus, quod est ejusmodi: *P. Scipio Pauli filius & bis consul fuit, & triumphavit, & censura functus est, & collega in censura L. Mummii fuit.* In omni autem conjuncto si unum est mendacium, etiam

Vide Gronovium in Præfatione hujus libri.

si cæ-

si cætera vera sunt, totum esse mendacium dicitur. nam si ad ea omnia, quæ de Scipione illo vera dixi, addidero, *& Hannibalem in Africa superavit*, quod est falsum: universa quoque illa, quæ conjunctè dicta sunt, propter hoc unum quod falsum accesserit, quia simul dicentur, vera non erunt. Est item aliud, quod Græci διεζευγμένον ἀξίωμα, nos *disjunctum* dicimus. id hujuscemodi est: *Aut malum est voluptas, aut bonum: aut neque bonum, neque malum est.* Omnia autem, quæ disjunguntur, pugnantia esse inter sese oportet: eorumque opposita, (ἀντικείμενα Græci dicunt,) ea quoque ipsa inter sese adversa esse: ex omnibus quæ disjunguntur unum esse verum debet, falsa cætera. quòd si aut nihil omnium verum, aut omnia plurave quam unum vera erunt, aut quæ disjuncta sunt, non pugnabunt, aut quæ opposita eorum sunt, contraria inter sese non erunt; tunc id disjunctum mendacium est; & appellatur παραδιεζευγμένον. sicuti hoc est, in quo quæ opposita, non sunt contraria. *Aut curris, aut ambulas, aut stas.* nam ipsa quidem inter sese adversa sunt: sed opposita eorum non pugnant. *non ambulare* enim & *non stare* & *non currere* contraria inter sese non sunt: quoniam contraria ea dicuntur, quæ simul vera esse non queunt. possis enim simul eodemque tempore neque ambulare, neque stare, neque currere. sed hoc breve ex dialectica libamentum dedisse nunc satis erit: atque id solùm addendum admonendumque est, quòd hujus disciplinæ studium atque cognitio in principiis quidem tetra & aspernabilis insuavisque esse & incivilis videri solet: sed, ubi aliquantum processeris, tum denique & emolumentum ejus in animo tuo dilucebit, & sequetur quædam discendi voluptas insatiabilis; cui sane nisi modum feceris, periculum non mediocre erit, ne, ut plerique alii, tu quoque in illis dialecticæ gyris atque mæandris tamquam apud Sirenios scopulos consenescas.

CAP.

CAP. IX.

Quid significet verbum in libris veterum creberrime positum, susque deque.

Susque deque fero aut *susque deque habeo* (his enim omnibus modis dicitur) verbum est ex hominum doctorum sermonibus: in poëmatis quoque & in epistolis veterum scriptum est plurifariam, sed facilius reperias, qui id verbum ostentent, quàm qui intelligant. ita plerique nostrûm, quæ remotiora verba invenimus, dicere ea properamus, non discere. Significat autem *susque deque ferre*, animo æquo esse, & quod accidit non magni pendere, atque interdum negligere & contemnere: & propemodum id valet, quod dicitur Græcè ἀδιαφορεῖν. Laberius in Compitalibus:

Nunc tu lentus es: nunc tu susque deque fers.
Mater familias tua in lecto adverso sedet.
Servos sextantis verbis nefariis utitur.

M. Varro in Sisenna vel de historia: *Quod si non horum omnium similia essent principia ac postprincipia, susque deque esset.* Lucilius in tertio:

Verum hæc ludus ibi susque omnia deque fuerunt:
Susque & deque fuere, inquam, omnia ludus jocusque:
Illud opus durum ut Setinum acceßimus finem:
Αἰγίλιπα montes, Ætnæ omnes, asperi Athones.

CAP. X.

Quid sint proletarii, *quid* capitecensi, *quid item sit in* XII *tabulis* assiduus, *& quæ ejus vocabuli ratio sit.*

OTium erat quodam die Romæ in foro à negotiis, & læta quædam celebritas feriarum: legebaturque in

in conſeſſu fortè complurium Ennii libet ex annalibus, in eo libro verſus hi fuerunt:

Proletarius publicitus ſcutiſque feroque
Ornatur ferro: muros urbemque forumque
Excubiis curant.

tum ibi quæri cœptum eſt quid eſſet *proletarius*. atque ego, adſpiciens quempiam in eo circulo jus civile callentem familiarem meum, rogabam ut id verbum nobis enarraret. &, quum ille ſe juris, non rei grammaticæ, peritum eſſe reſpondiſſet: Eò maximè, inquam, te dicere hoc oportet, quando, ut prædicas, peritus juris es. nam Q. Ennius verbum hoc ex duodecim tabulis veſtris accepit: in quibus, ſi rectè commemini, ita ſcriptum eſt: ASSIDUO. VINDEX. ASSIDUUS. ESTO. PROLETARIO. QUOI. QUIS. VOLET. VINDEX ESTO. petimus igitur, ne annalem nunc Q. Ennii, ſed duodecim tabulas legi arbitrere, & quid ſit in ea lege *proletarius*, ſi vis, interpretere. Egò vero, inquit ille, dicere atque interpretari hoc deberem, ſi jus Faunorum & Aborigi-num didiciſſem. Sed enim quum *proletarii*, *& aſſidui*, *& ſanates*, *& vades*, *& ſubvades*, *& vigintiquinque aſſes*, *& taliones*, *furtorumque quæſtio cum lance & licio* evanuerint; omniſque illa duodecim tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus centumviralium cauſarum, lege Ebutia lata, conſopita ſit: ſtudium ſcientiamque ego præſtare debeo juris & legum vocumque earum, quibus utimur. Tum forte quadam Julium Paulum, poëtam memoriæ noſtræ doctiſſimum, prætereuntem conſpeximus. is à nobis ſalutatus rogatuſque, uti de ſententia deque ratione iſtius vocabuli nos doceret, Qui in plebe, inquit, Romana tenuiſſimi paupertimique erant, neque amplius quàm mille quingentum æris in cenſum deferebant, *proletarii* appellati ſunt. qui verò nullo aut perquam parvo ære cenſebantur, *capitecenſi* vocabantur. extremus autem cenſus capitecenſorum æris fuit

CCCLXXX. Sed quoniam res pecuniaque familiaris obsidis vicem pignorisque esse apud rempublicam videbatur; amorisque in patriam fides quædam in ea firmamentumque erat; neque proletarii neque capitecensi milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur; quia familia pecuniaque his aut tenuis aut nulla esset. proletariorum tamen ordo honestior aliquanto & re & nomine quàm capitecensorum fuit: nam & asperis reipublicæ temporibus, quum juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur: armaque iis sumtu publico præbebantur; & non capitis censione, sed prosperiore vocabulo à munere officioque prolis edendæ appellati sunt. quod, quum re familiari parva minus possent rempublicam juvare, subolis tamen gignendæ copia civitatem frequentarent. Capitecensos autem primus C. Marius, ut quidam ferunt, bello Cimbrico difficillimis reipublicæ temporibus, vel potius, ut Sallustius ait, bello Jugurthino, milites scripsisse traditur, quum id factum antè in nulla memoria exstaret. ASSIDUUS, in duodecim tabulis, pro locuplete & facilè facienti dictus aut ab assibus, id est, ære dando, quum id tempora reipublicæ postularent: aut à muneris pro familiari copia faciendi assiduitate. verba autem Sallustii in historia Jugurthina de C. Mario consule & de capitecensis hæc sunt: *Ipse interea milites scribere, non more majorum nec ex classibus: sed ut lubido cujusque erat, capitecensos pleroſque. id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant, quòd ab eo genere celebratus auctusque erat: & homini potentiam quærenti egentissimus quisque oportunissimus.*

CAP.

CAP. XI.

Historia ex Herodoti libris sumta de Psyllorum interitu, qui in Syrtibus Africanis colebant.

GEns in Italia Marsorum orta esse fertur à Circæ filio: propterea Marsis hominibus, quorum dumtaxat familiæ cum externis cognationibus nondum etiam permixtæ corruptæque sunt, vi quadam genitali datum est, ut serpentium virulentorum domitores sint, & incentionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. Hac eadem vi præditos esse quosdam videmus, qui *Psylli* vocantur: quorum super nomine & genere quum in veteribus litteris quæsissem; in quarto denique Herodoti libro fabulam de Psyllis hanc invenimus. Psyllos quondam fuisse in terra Africa conterminos Nasamonibus: Austrumque in finibus eorum quodam in tempore perquam validum ac diutinum flavisse: eo flatu aquam omnem in locis, in quibus colebant, exaruisse: Psyllos re aquaria defectos eam injuriam graviter Austro succensuisse; decretumque fecisse, uti armis sumtis ad Austrum, proinde quasi ad hostem, jure belli, res repetitum proficiscerentur: atque ita profectis ventum Austrum magno spiritus agmine venisse obviam; eosque universos, cum omnibus copiis armisque cumulis montibusque harenarum supervectis, operuisse: eo facto Psyllos ad unum omnis interisse: itaque eorum fines à Nasamonibus occupatos.

CAP. XII.

De his vocabulis quæ Cloatius Verus aut satis commodè, aut nimis absurdè & illepidè ad origines linguæ Græcæ redigit.

CLoatius Verus in libris, quos inscripsit *Verborum à Græcis tractorum*, non pauca herclè dicit curiosè

& ſagaciter conquiſita, neque non tamen quædam futilia & frivola. *Errare*, inquit, *dictum eſt*, ἀπὸ τοῦ ἐῤῥεῖν; verſumque infert Homeri, in quo id verbum eſt:

Ἔῤῥ' ἐκ νήϛου θᾶσσον ἐλέγχιϛε ζωόντων.

Item *alucinari* factum ſcripſit, ex eo quod dicitur Græcè ἀλύειν; unde *elucum* quoque eſſe dictum putat, *a* littera in *e* verſa, tarditatem quamdam animi & ſtuporem, qui alucinantibus plerumque uſu venit. Item *faſcinum* appellat, quaſi βάσκανον, & *faſcinare* eſſe quaſi βασαίνειν. Commodè hæc ſanè omnia & conducenter. Sed in libro quarto, *Fenerator*, inquit, *appellatus eſt*, *quaſi* φαινεράτωρ, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἐπὶ τὸ χρηϛότερον, *quoniam id genus hominum ſpeciem oſtentent humanitatis*, *& commodi eſſe videantur inopibus nummos deſiderantibus*: idque dixiſſe ait Hypſicratem quempiam grammaticum; cujus libri ſanè nobiles ſunt ſuper his, quæ à Græcis accepta ſunt. Sive hoc autem ipſe Cloatius ſive neſcio qui alius nebulo effutivit; nil poteſt dici inſulſius. *fenerator* enim, uti M. Varro in libro tertio de ſermone Latino ſcripſit, *à fenore eſt nominatus. fenus autem dictum à fetu & quaſi à fetura quadam pecuniæ parientis atque increſcentis.* iccirco & M. Catonem & ceteros ætatis ejus *feneratorem*, ſine *a* littera pronunciaſſe tradit, ſicuti *fetus* ipſe & *fecunditas* appellata.

CAP. XIII.

Quid ſit municipium, *& quid à* colonia *differat*, *& quid ſint* municipes, *quæque ſit ejus vocabuli ratio ac proprietas: atque inibi quòd divus Hadrianus in ſenatu de jure atque vocabulo* municipum *verba fecit.*

M*Unicipes* & *municipia*, verba ſunt dictu facilia & uſu obvia: & neutiquam reperias, qui hæc dicit,

dicit, quin scire se planè putet quid dicat: sed profecto aliud est, aliud dicitur. quotus enim ferè nostrum est, qui quum ex colonia ex populo Romano sit, non & se *municipem* esse & populares suos *municipes* esse dicat? quod est à ratione & à veritate longè aversum. sic adeò & *municipia* quid & quo jure sint, quantumque à *colonia* differant, ignoramus: existimamusque meliore conditione esse *colonias*, quàm *municipia*. de cujus opinionis tam promiscæ erroribus D. Hadrianus, in oratione quam de Italicensibus, unde ipse ortus fuit, in senatu habuit, peritissimè disseruit: mirarique se ostendit, quòd & ipsi Italicenses, & quædam item alia municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, quum suis moribus legibusque uti possent, in jus coloniarum mutare gestiverint. Prænestinos autem refert maximo opere à Tiberio imperatore petisse orasseque, ut ex colonia in municipii statum redigerentur: idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quòd in eorum finibus, sub ipso opido, ex capitali morbo revaluisset. *Municipes* ergo sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis & suo jure utentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege adstricti, ni, inquam, populus eorum fundus factus est. primos autem municipes sine suffragii jure Cærites esse factos accepimus: concessumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. hinc tabulæ Cærites appellatæ, versa vice, in quas censores referri jubebant, quos notæ causa suffragiis privabant. Sed *Coloniarum* alia necessitudo est: non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur: sed ex civitate quasi propagatæ sunt: & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent. quæ tamen conditio quum

sit magis obnoxia & minus libera: potior tamen & præstabilior existimatur, propter amplitudinem majestatemque populi Romani, cujus istæ coloniæ quasi effigies parvæ simulacraque esse quædam videntur: & simul quia obscura oblitterataque sunt municipiorum jura, quibus uti jam per innotitiam non queunt.

CAP. XIV.

Quòd M. Cato differre dixit festinare *& properare; & quàm incommodè Verrius Flaccus vim verbi quod est*, festinat, *interpretatus sit.*

FEstinare & *properare* idem significare atque in eamdem rem dici videntur. sed M. Cato id differre existimat: eaque hoc modo divisa. verba sunt ipsius ex oratione, quam de suis virtutibus habuit: *Aliud est properare, aliud festinare. qui unum quid maturè transigit, is properat: qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat.* Verrius Flaccus rationem dicere volens differentiæ hujus, *Festinat*, inquit, *à fando dicitur: quoniam isti ignaviores, qui nihil perficere possunt, plus verborum quam operæ habent:* sed id nimis coactum atque absurdum videtur. neque tanti momenti esse potest prima in utroque verbo littera, ut propter eam unam tam diversa verba *festinare* & *fari* eadem videri debeant. commodius autem propiusque visum est, *festinare*, esse quasi fessum esse. nam qui multis simul rebus properandis defessus est, is jam non properat, sed festinat.

CAP.

CAP. XV.

Quòd Theophraſtus mirum de perdicibus ſcriptum reliquit, & quid Theopompus de leporibus.

THeophraſtus, philoſophorum peritiſſimus, omnes in Paphlagonia perdices bina corda habere dicit; Theopompus in Biſaltia lepores bina jecora.

CAP. XVI.

Agrippas *à partus ægri & improſperi vitio appellatos; deque his deabus, quæ vocantur* Proſa & Poſtverta.

QUorum in naſcendo non caput, ſed pedes primi exſtiterant (qui partus difficillimus ægerrimuſque habetur) Agrippæ appellati vocabulo ab ægritudine & pedibus confecto. eſſe autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, ſurſum pedibus elatis: non ut hominis natura eſt, ſed ut arboris. nam pedes cruraque arboris appellat ramos; caput ſtirpem atque caudicem. *quando igitur*, inquit, *contra naturam fortè converſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent: ægriuſque tunc mulieres enituntur. hujus periculi deprecandi gratiâ aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Poſtverta nominata eſt, Proſa altera; à recti perverſique partus & poteſtate & nomine.*

CAP. XVII.

Quæ ratio vocabuli ſit agri Vaticani.

ET agrum Vaticanum, & ejuſdem agri deum præſidem, appellatum acceperamus à vaticiniis, quæ vi atque inſtinctu ejus dei in eo agro fieri ſolita eſſent. ſed præter hanc cauſam M. Varro, in libris divinarum, aliam eſſe tradit iſtius nominis rationem. *nam ſicut Ajus,*

inquit, *deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est in infima Nova via, quòd in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia. quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est: idcircoque vagire dicitur exprimente verbo sonum vocis recentis.*

CAP. XVIII.

Lepida quædam memoratu & cognitu de parte geometriæ, quæ ὀπτικὴ appellatur, & item alia quæ κανονικὴ, & tertia itidem quæ dicitur μετρικὴ.

PArs quædam geometriæ ὀπτικὴ appellatur, quæ ad oculos pertinet: pars altera, quæ ad auris, κανονικὴ vocatur, qua musici, ut fundamento artis suæ, utuntur. Utraque harum spatiis & intervallis linearum & ratione numerorum constat. ὀπτικὴ facit multa demiranda id genus, ut in speculo uno imagines unius rei plures appareant: item ut speculum in loco certo positum nihil imaginet, aliorsum translatum faciat imagines. Item, si rectus speculum spectes, imago fiat tua hujusmodi, ut caput deorsum videatur, pedes sursum. reddit etiam causas ea disciplina, cur istæ quoque visiones fallant; ut, quæ in aqua conspiciuntur, majora ad oculos fiant; quæ procul ab oculis sunt, minora. κανονικὴ autem longitudines & altitudines vocis emetitur. longior mensura vocis ῥυθμὸς dicitur, altior μέλος. Est & alia species geometriæ, quæ appellatur μετρικὴ: per quam syllabarum longarum & brevium & mediocrium junctura & modus congruens cum principiis geometriæ aurium mensura examinatur. *Sed hæc*, inquit M. Varro, *aut omnino non discimus: aut prius desistimus, quam intelligamus cur discenda sint. voluptas autem*, inquit, *vel*

vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis exsistit, quum perfectæ absolutæque sunt: in principiis verò ipsis ineptæ & insuaves videntur.

CAP. XIX.

Sumta historia ex Herodoti libro super fidicine Arione.

CEleri admodum & cohibili oratione, vocumque filo tereti & candido fabulam scripsit Herodotus super fidicine illo Arione. Vetus, inquit, & nobilis Ario cantator fidibus fuit. is loco & opido Methymnæus, terra atque insula omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumque habuit artis gratia. is inde à rege proficiscitur terras inclutas Siciliam atque Italiam visere. ubi eò venit, auriscque omnium mentisque in utriusque terræ urbibus demulsit: in quæstibus istic & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum posteà, grandi pecunia & re bona multa copiosus, Corinthum instituit redire. navem igitur & navitas, ut notiores amicioresque sibi, Corinthios delegit. sed eo Corinthios homine accepto, navique in altum provecta, prædæ pecuniæque cupidos cepisse consilium de necando Arione. tum illum ibi, pernicie intellecta, pecuniam cæteraque sua ut haberent dedisse: vitam modò sibi ut parcerent oravisse. navitas precum ejus harum commiseritum esse illactenus; ut ei necem afferre per vim suis manibus temperarent; sed imperavisse, ut jam statim coram desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perdita, id unum postea oravit; ut, prius quàm mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi omnia indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. feros & immanes navitas prolubium tamen

audiendi subit. quod oraverat impetrat. atque ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen, quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit. Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuque omni, sicut stabat canebatque, jecit sese procul in profundum. navitæ, haudquaquam dubitantes quin perisset, cursum, quem facere cœperant, tenuerunt. sed novum & mirum & pium facinus contigit. Delphinum repentè inter undas adnavisse, fluitantique sese homini subdidisse, & dorso super fluctus edito vectavisse; incolumique eum corpore & ornatu Tænarum in terram Laconicam devexisse. tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petivisse: talemque Periandro regi qualis delphino vectus fuerat, inopinanti sese obtulisse: eique rem, sicuti acciderat, narravisse. regem isthæc parum credidisse: Arionem, quasi falleret, custodiri jussisse: navitas requisitos, ablegato Arione, dissimulanter interrogasse, ecquid audissent in iis locis, unde venissent, super Arione? eos dixisse hominem, quum inde irent, in terra Italia fuisse: eumque illic bene agitare, & studiis delectationibusque urbium florere, atque in gratia pecuniaque magna opulentum fortunatumque esse. tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat, exstitisse: navitas stupefactos convictosque ire inficias non quisse: eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios: atque esse fabulæ argumentum, quòd simulacra duo ænea ad Tænarum viserentur, delphinus vehens & homo insidens.

LIBER SEPTIMUS DECIMUS.

CAPUT I.

Quòd Gallus Asinius, & Largius Licinius sententiam Ciceronis reprehenderunt ex oratione quam dixit pro M. Cælio: & quid adversus homines stolidissimos pro eadem sententia verè dignéque dici possit.

VT QUIDAM fuerunt monstra hominum, qui de diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes extiterunt (in quibus sunt Gallus Asinius & Largius Licinius, cujus liber etiam fertur infando titulo, Ciceromastix) ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre atque impropriè atque inconsideratè loquutum. atque alia quidem, quæ reprehenderunt, neque dictu neque auditu digna sunt. sed enim in hoc, in quo sibimet ipsi præter cætera esse visi sunt verborum pensitatores subtilissimi, cedò, quale id sit consideremus. M. Cicero pro M. Cælio ita scripsit: *Nam quod objectum est de pudicitia; quodque omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est: id numquam tam acerbe feret* M. Cælius, *ut eum pœniteat non deformem esse natum.* non existimant verbo proprio esse usum, quòd ait, *pœniteat*, atque id propè ineptum etiam esse dicunt. nam *pœnitere*, inquiunt, tum dicere solemus, quum, quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis pòst incipiunt displicere; sententiamque in iis nostram demutamus. neminem autem rectè ita loqui, *pœnitere sese quòd natus sit*, aut *pœnitere quòd mortalis sit*, aut *quòd ex offenso fortè vulneratóque corpore dolorem sentiat*: quando istiusmodi rerum nec consilium sit nostrum nec

arbitrium: sed ea ingratiis nostris vi ac necessitate naturæ nobis accidant. sic hercle, inquiunt, non voluntarium fuit M. Cælio, quali forma nasceretur; cujus eum dixit non pœnitere. tamquam in ea causa res esset, ut rationem caperet pœnitendi. Est hæc quidem, quam dicunt, verbi hujusce sententia; & *pœnitere* nisi in voluntariis rebus non probè dicitur; tametsi antiquiores verbo ipso alio quoque modo usitati sunt; & *pœnitet* ab eo quod est *pœnè* & à *pœnuria* dixerunt: sed id aliorsum pertinet, atque alio in loco dicetur. Nunc autem sub hac eadem significatione, quæ volgò nota est, non modò ineptum hoc non est, quod M. Cicero dixit; sed festivissimum adeò & facetissimum est. nam quum adversarii & obtrectatores M. Cælii, quoniam erat pulchro corpore, formam ejus & faciem in suspiciones impudicitiæ accersèrent: illudens Cicero tam absurdam criminationem, quòd formam, quam natura fecerat, vitio darent; eodem ipso errore, quem illudebat, sciens usus est: & *non pœnitet*, inquit, *M. Cælium non deformem esse natum*: ut vel hac ipsa re, quod ita dicebat, opprobraret adversariis ac per facetias ostentaret: facere eos deridiculum, quod proinde Cælio formam crimini darent, quasi arbitrium ejus fuisset quali forma nasceretur.

CAP. II.

Verba quædam ex Q. Claudii annalium primo cursim in legendo notata.

QUum librum veteris scriptoris legebamus; conabamur postea memoriæ vegetandæ gratia indipisci animo ac recensere, quæ in eo libro scripta essent in utrasque existimationes, laudis aut culpæ adnotamentis digna: eratque hoc sane quam utile exercitium ad conciliandas nobis, ubi venisset usus, verborum sententiarumque elegantium recordationes. velut hæc verba, ex Q. Claudii

Q. Claudii primo annali, quæ meminisse potui, notavi; quem librum legimus biduo proximo superiore. *Arma*, inquit, *plerique abjiciunt: atque inermi illatebrant sese.* Ibi *inlatebrant*, verbum poëticum visum est, sed non absurdum neque asperum. *Ea*, inquit, *dum fiunt, Latini subnixo animo. subnixo*, quasi sublimi & suprà nixo, verbum bene significans & non fortuitum: demonstratque animi altitudinem fiduciamque, quoniam, quibus innitimur, iis quasi erigimur attollimurque. *Domus*, inquit, *suas quemque ire jubet, & sua omnia fruniscí. fruniscí* rarius quidem fuit in ætate M. Tullii, ac deinceps infrà rarissimum: dubitatumque est ab imperitis antiquitatis, an Latinum foret: non modò autem Latinum, sed jucundius amœniusque etiam verbum est *fruniscor*, quàm *fruor*, & ut *fatiscor* à *fateor*: ita *fruniscor* factum est à *fruor*. Q. Metellus Numidicus, qui castè puréque lingua usus Latina videtur, in epistola quam exsul ad Domitios misit, ita scripsit: *Illi verò omni jure atque honestate interdicti: ego neque aquâ neque igni careo: & summa gloria fruniscor.* Novius in Atellana, quæ Parcus inscripta est, hoc verbo ita utitur:

Quod magnopere quæsiverunt, id fruniscí non queunt.
Qui non parsit, apud se frunitus est.

Et Romani, inquit, *multis armis & magno commeatu prædaque ingenti copiantur. copiari* verbum castrense est: nec facilè id reperias apud civilium causarum oratores: ex eademque figura est, qua *lignantur* & *pabulantur* & *aquantur*. *Sole*, inquit, *occaso. Sole occaso* non insuavi venustate est, si quis aurem habeat non sordidam nec proculcatam. in duodecim autem tabulis verbum hoc ita scriptum est: ANTE. MERIDIEM. CAUSAM. CONICIUNTO. QUOM. PERORANT. AMBO. PRAESENTES. POST. MERIDIEM. PRAESENTI. LITEM. ADDICITO. SOL. OCCASUS. SUPREMA

TEM-

TEMPESTAS. ESTO. Nos, inquit, *in medium relinquemus*; vulgus *in medio* dicit. nam vitium esse isthuc putant: &, si dicas in medium ponere, id esse solœcum putant. sed probabilius significantiusque sic dici videbitur, si quis ea verba non incuriose introspiciat. Græcè quoque θεῖναι εἰς μέσον, vitium id non est. *Postquam nunciatum est*, inquit, *ut pugnatum esset in Gallos*; *id civitas graviter tulit. in Gallos* mundius subtiliusque est, quàm *cum Gallis* aut *contra Gallos* nam pinguiora hæc absolutioraque sunt. *Simul*, inquit, *forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter præcellebat: ut facilè intelligeretur magnum viaticum ex se atque in se rempublicam evertendam habere. magnum viaticum* pro magna facultate & paratu magno novè positum est: videturque Græcos sequutus, qui ἐφόδιον, à sumtu viæ ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt: ac sæpe ἐφοδιάζον pro eo dicunt, quod est, *institue & instrue. Nam M.* inquit, *Manlius, quem Capitolium servasse à Gallis supra ostendi, cujusque operam cum M. Furio Dictatore apud Gallos cumprimè fortem atque exsuperabilem respublica sensit, is & genere, & vi, & virtute bellica neminì concedebat. apprimè* crebrius est: *cumprimè* rarius; traductumque ex eo est, quod *cum primis* dicebant, pro eo quod est, *inprimis. Nihil sibi*, inquit, *divitias opus esse.* nos *divitiis* dicimus. sed vitium hoc orationis nullum est, ac ne id quidem est, quod figura dici solet. recta enim ista hæc oratio est: & veteres compluscule ita dixerunt. nec ratio dici potest, cur rectius sit *divitiis opus esse*, quàm *divitias*: nisi si qui grammaticorum nova instituta, ut τειμῶν ἐερὰ, observant. *Nam hæc*, inquit, *maximè versatur deorum iniquitas, quòd deteriores sunt incolumiores: neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare.* inusitatè dixit *diurnare*, pro *diu vivere*. sed ex ea figuratione est, qua dicimus *perennare. Cum*

his,

his, inquit, *consermonabatur. sermonari* rusticius videtur, sed rectius; *sermocinari* crebrius est, sed corruptius. *Sese*, inquit, *ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse. ne id quoque*, dixit, pro, *ne id quidem*: infrequens nunc in loquendo, sed in libris veterum creberrimum. *Tanta*, inquit, *sanctitudo fani est, ut numquam quisquam violare sit ausus. Sanctitas* quoque & *sanctimonia* non minus Latinè dicuntur: sed nescio quid majoris dignitatis est verbum *sanctitudo*: sicuti M. Cato in L. Veturium *duritudinem*, quam *duriciam* dicere gravius putabat. *Qui illius*, inquit, *impudentiam norat & duritudinem. Quum tantus*, inquit, *arrabo penes Samnites populi Romani esset. arrabonem* dixit *sexcentos obsides*: & id maluit quàm pignus dicere; quoniam vis hujus vocabuli in ea sententia gravior acriorque est. sed nunc arrabo in sordidis verbis haberi cœptus: ac multo videtur sordidius *arra*, quamquam *arra* quoque veteres sæpe dixerint, & compluriens Laberius. *Miserrimas*, inquit, *vitas exegerunt: at hic nimiis in otiis*, inquit, *consumtus est.* eligantia utrubique ex multitudine numeri quæsita est. *Cominius*, inquit, *quà escenderat descendit, atque verba Gallis dedit.* Verba Cominium dedisse Gallis dicit, qui nihil quicquam cuiquam dixerat: neque eum Galli, qui Capitolium obsidebant, escendentem viderant. sed *verba dedit*, haud secus posuit, quàm si tu dicas, *latuit atque obrepsit. Convalles*, inquit, *& arboreta magna erant. arboreta*, ignobilius verbum est, *arbusta* celebratius. *Putabant*, inquit, *eos qui foris atque qui in arce erant inter se commutationes & consilia facere. commutationes*, id est, collationes communicationesque inusitatè dixit; sed non hercle inscitè nec ineleganter. Hæc ego non pauca interim super eo libro, quorum memoria post lectionem suppetierat mihi, notavi.

CAP.

CAP. III.

Verba M. Varronis ex libro quinto & vicesimo humanarum, quibus contra opinionem vulgariam interpretatus est Homeri versum.

IN sermonibus fortè, quos de temporibus rerum ad usus hominum repertarum agitabamus, adolescens quispiam non indoctus *sparti* quoque usum in terra Græcia diu incognitum fuisse dixit: multisque post Ilium captum tempestatibus ex terra Hispania advectum. Riserunt hoc ad illudendum ex his, qui ibi aderant, unus atque alter, malè homines litterati; quod genus ἀγοραίους Græci appellant: atque eum, qui id dixerat, librum legisse Homeri ajebant, cui versus hic fortè deesset:

Καὶ δὴ δοῦρα σέζηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυντο.

Tum ille prorsum irritatus, Non, inquit, meo libro versus, sed vobis plane magister defuit, si creditis in eo versu *sparta* id significare, quod nos *spartum* dicimus. Majorem illi risum subjiciunt: neque id destiterunt, nisi liber ab eo prolatus esset M. Varronis vicesimus quintus humanarum. in quo de isto Homeri verbo à Varrone ita scriptum est: *Ego sparta apud Homerum non plus spartum significare puto, quam σπάρτους, qui dicuntur in agro Thebano nati. in Græcia sparti copia modò cœpit esse ex Hispania: neque ea ipsa facultate usi Liburni. sed hi plerasque naves loris suebant: Græci magis cannabo & stupa cæterisque sativis rebus, à quibus σπάρτα appellabant.* Quod quum ita Varro dicat; dubito hercle an posterior syllaba in eo verbo, quod apud Homerum est, acuenda sit: nisi quia voces hujusmodi, quum ex communi significatione in rei certæ proprietatem concedunt, diversitate accentuum separantur.

CAP.

CAP. IV.

Quid Menander poëta Philemoni poëtæ dixerit, a quo sæpe indignè in certaminibus comœdiarum superatus est: & quòd sæpissimè Euripides in tragœdia ab ignobilibus poëtis victus est.

MEnander à Philemone nequaquam pari scriptore in certaminibus comœdiarum ambitu gratiaque & factionibus sæpenumerò vincebatur. eum quum fortè habuisset obviam, Quæso, inquit, Philemo, bona venia, dic mihi: quum me vincis, non erubescis? Euripidem quoque M. Varro ait, quum quinque, & septuaginta tragœdias scripserit in quinque solis vicisse, quum eum sæpe vincerent aliqui poëtæ ignaviſſimi. Menandrum autem alii centum octo, partim centum novem comœdias reliquisse ferunt. Sed Apollodori scriptoris celebratissimi hos de Menandro versus legimus, in libro qui Chronica inscriptus est:

Κηφισιάδης ὢν ἐκ Διοπείθους πατρὸς
Πρὸς τοῖς ἑκατὸν πέντε γεγράφας δράματ' ἓξ
Ἔλιπε πεντήκοντα δ' ἐτῶν.

Ex illis tamen centum & quinque omnibus, solis eum octo vicisse idem Apollodorus eodem in libro scripsit.

CAP. V.

Nequaquam esse verum, quod minutis quibusdam rhetoricæ artificibus videatur M. Ciceronem in libro, quem de amicitia scripsit, vitioso argumento usum, ἀμφισβητούμενον ἀντὶ ὁμολογουμένου posuisse, totumque id considerationis tractatum exploratumque.

MCicero in dialogo, cui titulus est Lælius vel de amicitia, docere volens, amicitiam non spe

spe exspectationeque utilitatis, neque precii mercedisque causa colendam; sed, quo ipsa per sese plena virtutis honestatisque sit, expetendam diligendamque esse, etiamsi nihil opis nihilque emolumenti ex ea percipi queat: hac sententia atque his verbis usus est; eaque dicere facit C. Lælium sapientem virum, qui P. Africani fuerat amicissimus. *Quid enim Africanus indigens mei? ne ego quidem illius. sed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit. auxit benivolentiam consuetudo. sed quamquam utilitates multæ & magnæ consequutæ sunt; non sunt tamen ab earum spe causa diligendi profecta. ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam: (neque enim beneficium feneramur sed natura propensi ad liberalitatem sumus,) sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quòd omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus.* Hoc quum legeretur in cœtu forte hominum doctorum, rhetoricus quidam sophista utriusque linguæ callens, haud sane ignobilis, ex istis acutulis & minutis doctoribus, qui τεχνικοὶ appellantur, atque in differendo tamen non impiger, usum esse existimabat argumento M. Tullium non probo neque apodictico, sed ejusdem quæstionis, cujus esset ea ipsa res, de qua quæretur: verbisque id vitium Græcis appellabat, quòd accepisset ἀμφισβήτημα ἀντὶ ὁμολογουμένου. nam *beneficos*, inquit, & *liberales* sumsit ad confirmandum id quod de amicitia dicebat: quum ipsum illud & soleat quæri & debeat, quisquis liberaliter & benignè facit, qua mente, quove consilio benignus liberalisque sit, utrum quia mutuam gratiam speret, & eum, in quem benignus sit, ad parem gratiam provocet, quod facere plerique omnes videntur; an quia natura sit benivolus, benignitasque eum per sese ipsa & liberalitas delectet sine ulla recipiendæ gratiæ procuratione: quod est

omnium

omnium ferme rariſſimum. argumenta autem cenſebat aut probabilia eſſe debere, aut perſpicua & minimè controverſa; idque apodixin vocari dicebat, quum ea quæ dubia aut obſcura ſunt, per ea quæ ambigua non ſunt, illuſtrantur. atque, ut oſtenderet beneficos liberaleſque, ad id, quod de amicitia quæreretur, quaſi argumentum exemplumve ſumi non oportere, Eodem, inquit, ſimulacro, eademque rationis imagine, amicitia invicem pro argumento ſumi poteſt; ſi quis affirmet homines beneficos liberaleſque eſſe debere, non ſpe aliqua compendii, ſed amore & ſtudio honeſtatis. poterit enim conſimiliter ita dicere. namque, ut amicitiam, non ſpe utilitatis amplectimur, ſic benefici liberaleſque non gratiæ reciperandæ ſtudio eſſe debemus. poterit ſanè, inquit, ita dicere: ſed neque amicitia liberalitati, neque liberalitas amicitiæ præbere argumentum poteſt, quum de utroque pariter quæratur. Hæc ille rhetoricus artifex dicere quibuſdam videbatur perite & ſcienter. ſed videlicet eum vocabula rerum vera ignoraviſſe. nam beneficum & liberalem Cicero appellat, ita ut philoſophi appellandum eſſe cenſent, non eum qui, ut ipſe ait, beneficia feneratur; ſed qui benignè facit nulla tacita ratione ad utilitates ſuas redundante. non ergo obſcuro neque ambiguo argumento uſus eſt, ſed certo atque perſpicuo. ſiquidem qui verè beneficus liberaliſque eſt, qua mente bene aut liberaliter faciat non quæritur. aliis enim longè nominibus appellandus eſt, ſi, quum talia faciat, ſui potiùs quàm alterius juvandi cauſa facit. proceſſiſſet autem argutatori iſti fortaſſean reprehenſio, ſi Cicero ita dixiſſet: *Ut enim beneficè liberaliterque facimus, non ut exigamus gratiam.* videretur enim beneficè facere etiam in non beneficum cadere poſſe, ſi id per aliquam circumſtantiam fieret, non per ipſam perpetuæ benignitatis conſtantiam. ſed quum beneficos liberaleſque dixerit; neque aliuſmodi iſti ſunt quàm cujus eſſe eos

suprà diximus, inlutis, quod ajunt, pedibus & verbis reprehendit doctissimi hominis orationem.

CAP. VI.

Falsum esse, quod Verrius Flaccus in secundo librorum, quos de obscuris M. Catonis composuit, de servo recepticio *scriptum reliquit.*

M. Cato Voconiam legem suadens verbis hisce usus est: *Principiò vobis mulier magnam dotem attulit. tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit. eam pecuniam viro mutuam dat. postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet.* Quærebatur, *servus recepticius* quid esset: libri statim quæsiti allatique sunt Verrii Flacci de obscuris Catonis. In libro secundo scriptum inventum est, *recepticium servum*, dici nequam & nulli precii; qui, quum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit. propterea, inquit, servus ejusmodi sectari maritum & flagitare pecuniam jubebatur; ut eo ipso dolor major & contumelia gravior viro fieret, quòd cum servus nihili petendæ pecuniæ causa compellaret. Cum pace autem cumque venia, istorum, si qui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit. *recepticius* enim *servus* in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino est quàm Verrius scripsit. atque id cuivis facile intellectu est. Res enim proculdubio sic est. Quando mulier dotem marito dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum tramittebat, ea *recipere* dicebatur. sicuti nunc quoque in venditionibus, quæ excipiuntur neque veneunt. quo verbo Plautus quoque in Trinummo usus est, in hoc versu:

Posticulum hoc recepit quum ædis vendidit.

id est, quum ædis vendidit, particulam quamdam, quæ post eas ædis erat, non vendidit, sed retinuit. Ipse etiam

etiam Cato mulierem demonstrare locupletem volens, *Mulier*, inquit, *& magnam dotem dat, & magnam pecuniam recipit:* hoc est, & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet. ex ea igitur re familiari, quam sibi dote data retinuit, pecuniam viro mutuam dat. eam pecuniam quum viro fortè irata repetere instituit, apponit flagitatorem *servum recepticium*, hoc est, proprium suum, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat doti, sed retinuerat. non enim servo mariti imperare hoc mulierem fas erat, sed proprio suo. Plura dicere, quibus hoc nostrum tuear, supersedeo: ipsa enim sunt per sese evidentia, & quod à Verrio dicitur, & à nobis. Quod utrum ergo videbitur cuique verius, eo utatur.

CAP. VII.

Verba hæc ex Atinia lege, QUOD. SUBREPTUM. ERIT. EJUS. REI. AETERNA. AUCTORITAS. ESTO. *P. Nigidio & Q. Scævolæ visa esse non minus de præterito, quàm de futuro cavisse.*

LEgis veteris Atiniæ verba sunt: QUOD. SUBREPTUM. ERIT. EJUS. REI. ÆTERNA. AUCTORITAS. ESTO. Quis aliud putet in hisce verbis, quàm de tempore tantùm futuro legem loqui? sed Q. Scævola patrem suum & Brutum & Manilium viros apprimè doctos quæsisse ait dubitasseque, utrumne in postfacta modò furta lex valeret, an etiam in antefacta. quoniam SUBREPTUM. ERIT. utrumque tempus videretur ostendere, tam præteritum quàm futurum. itaque P. Nigidius civitatis Romanæ doctissimus super dubitatione hac eorum scripsit in tertio vicesimo grammaticorum commentariorum: atque ipse quoque idem putat incertam esse temporis demonstrationem. sed anguste perquam & obscurè disserit; ut signa rerum ponere videas, ad subsidium ma-

gis memoriæ ſuæ, quàm ad legentium diſciplinam. Videbatur tamen hoc dicere; verbum *eſſe* & *erit*, quando per ſeſe ponuntur, habent atque retinent tempus ſuum. quum verò præterito jugantur, vim temporis ſui amittunt, & in præteritum contendunt. quum enim dico, *in campo eſt*, *in comitio eſt*, tempus inſtans ſignifico. item quum dico, *in campo erit*, tempus futurum demonſtro. at quum dico, *factum eſt*, *ſcriptum eſt*, *ſubreptum eſt*; quamquam *eſt*, verbum temporis ſit præſentis; confunditur tamen cum præterito, & præſens eſſe deſinit. ſic igitur, inquit, etiam iſtud, quod in lege eſt; ſi dividas ſepareſque duo verba hæc, *ſubreptum*, & *erit*, ut ſic audias *ſubreptum*, tamquam *certamen erit*, aut, *ſacrificium erit*, tum videbitur lex in poſt futurum loqui. ſi verò copulatè permixtéque dictum intelligas, ut *ſubreptum erit*, non duo, ſed unum verbum ſit, idque unita patiendi declinatione ſit: tum hoc verbo non minus præteritum tempus oſtenditur quàm futurum.

CAP. VIII.

In ſermonibus apud menſam Tauri philoſophi quæri agitarique hujuſmodi ſolita; cur oleum ſæpe & facilè, vina rarius congelaſcant, acetum haud fere umquam, & quòd aquæ fluviorum fontiumque durentur, mare gelu non duretur.

PHiloſophus Taurus accipiebat nos Athenis cœna plerumque ad id diei, ubi jam veſperaverat. id enim eſt tempus iſthic cœnandi frequens. ejus cœnæ fundus & fundamentum omne erat aula una lentis Ægyptiæ, & cucurbitæ inibi minutim cæſæ. Ea quodam die ubi paratis & expectantibus nobis allata atque impoſita menſæ eſt; puerum jubet Taurus oleum in aulam indere. erat is puer genere Atticus ad annos maxime natus octo, feſtiviſſimis ætatis & gentis argutiis ſcatens. guttum Samium

orete-

oretenus imprudens inanem, tamquam si inesset oleum, affert, convertitque eum; &, ut solitum est, circumegit per omnem partem aulæ manum, nullum inde ibat oleum. adspicit puer guttum atrocibus oculis stomachabundus, & concussum vehementiùs iterum in aulam vertit. idque quum omnes sensim atque summissim rideremus, tum puer Græcè, & id quidem perquam Attice, μὴ γελᾶτε, inquit, ἔνι τ' ἔλαιον, ἀλλ' οὐκ ἴσε οἷα φείκη ποεῖ τ' ὄρθρου γέγονε· τήμερον κεκρύσαλωλαι. Verbero, inquit ridens Taurus, nonne is curriculo, atque oleum petis? sed quum puer foras emtum isset; nihil ipse ista mora offensior, Aula, inquit, oleo indiget; &, ut video, intolerandum fervit. cohibeamus manus: atque interea, quoniam puer nunc admonuit solere oleum congelascere, consideremus cur oleum quidem sæpe & facile stet; vina rarenter congelascant. atque adspicit me, & jubet quid sentiam dicere. Tum ego respondi, conjectare me, vinum iccirco minus citò coalescere, quòd semina quædam caldoris in sese haberet; essetque natura ignitius: ob eamque rem dictum esse ab Homero αἰθοπα οἶνον, non, ut alii putarent, propter colorem. Est quidem, inquit Taurus, ita ut dicis; nam ferme convenit, vinum, ubi potum est, calefacere corpora. sed non secus quoque oleum calorificum est: neque minorem vim in corporibus calefactandis habet. ad hoc, si ista hæc, quæ calidiora sunt, difficiliùs gelu coguntur; congruens est, ut, quæ frigidiora sunt, facile cogantur. acetum autem omnium maximè frigorificum est: atque id nunquam tamen concrescit. num igitur magis causa oleo coaguli celerioris in levitate est? faciliora enim ad coëundum videntur, quæ levatiora levioraque sunt. præterea id quoque ait quæri dignum; cur fluviorum & fontium aquæ gelu durentur, mare omne incongelabile sit: tametsi Herodotus, inquit, historiæ scriptor contra omnium fermè, qui hæc quæsiverunt, opinionem, scribit, marè

Bosporicum, quod Cimmerium appellatur, earumque partium mare omne, quod Scythicum dicitur, gelu stringi & consistere. Dum hæc Taurus: intereà puer venerat & aula deferbuerat: tempusque esse cœperat edendi & tacendi.

CAP. IX.

De notis litterarum, quæ in C. Cæsaris epistolis reperiuntur, deque aliis clandestinis litteris ex vetere historia petitis: & quid scytale *sit* Laconica.

LIbri sunt epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium & Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant. in his epistolis, quibusdam in locis inveniuntur litteræ singulariæ sine coagmentis syllabarum; quas tu putes positas inconditè. nam verba ex his litteris confici nulla possunt. erat autem conventum inter eos clandestinum de commutando situ litterarum; ut in scripto quidem alia aliæ locum & nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus & potestas restitueretur. quænam verò pro qua scriberetur, ante iis, sicuti dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est adeò Probi grammatici commentarius satis curiosè factus de occulta litterarum significatione epistolarum C. Cæsaris scriptarum. Lacedæmonii autem veteres, quum dissimulare & occultare litteras publicè ad imperatores suos missas volebant, ne, si ab hostibus exceptæ forent, consilia sua noscerentur; epistolas id genus factas mittebant. surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento ejusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter, unus imperatori in bellum proficiscenti dabatur; alterum domi magistratus cum jure atque cum signo habebant. quando usus venerat litterarum secretiorum; circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, compliçabant, volumine

rotun-

rotundo & simplici; ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. litteras deinde in eo loro per transversas junctarum oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus, inscribebant: id lorum litteris ita perscriptis revolutum ex furculo imperatori commenti illius conscio mittebant: resolutio autem lori litteras truncas atque mutilas reddebat; membraque earum & apices in partes diversissimas spargebat. propterea si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat. sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat; furculo compari, quem habebat, capite ad finem proinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita litteræ per ambitum eumdem furculi coalescentes rursum coibant; integramque & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. hoc genus epistolæ Lacedæmonii σκυτάλην appellant. Legebamus id quoque in vetere historia rerum Pœnicarum, virum indidem quempiam illustrem (sive ille Hasdrubal, sive quis alius est, non retineo) epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse. pugillaria nova nondum etiam cera illita accepisse; litteras in lignum incidisse; postea tabulas, uti solitum est, cera conlevisse; easque tabulas tamquam non scriptas, cui futurum id prædixerat misisse; eum deinde ceram derasisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse. Est & alia in monumentis rerum Græcarum profunda quædam & inopinabilis latebra barbarico astu excogitata. Histiæus nomine fuit, loco natus in terra Asia non ignobili. Asiam tunc tenebat imperio rex Darius. is Histiæus, quum in Persis apud Darium esset, Aristagoræ cuipiam res quasdam occultas nunciare furtivo scripto volebat. comminiscitur opertum hoc litterarum admirandum. servo suo diu oculos ægros habenti capillum ex capite omni, tamquam medendi gratia, deradit, caputque ejus leve in litterarum formas compungit. his litte-

tis, quæ voluerat, perscripsit. hominem postea, quoad capillus adolescceret, domo continuit. ubi id factum est; ire ad Aristagoram jubet. & quum ad eum, inquit, veneris, mandasse me dicito, ut caput tuum, sicut nuper egomet feci, deradat. servus, ut imperatum erat, ad Aristagoram venit, mandatumque domini affert. atque ille id non esse frustra ratus, quod erat mandatum, fecit. ita litteræ perlatæ sunt.

CAP. X.

Quid de versibus Virgilii Favorinus existimarit, quibus in describenda flagrantia montis AEtnæ Pindarum poëtam sequutus est: collataque ab eo super eadem re utriusque carmina & dijudicata.

FAvorinum philosophum, quum in hospitis sui Antiatem villam æstu anni concessisset; nosque ad eum videndum Roma venissemus, memini super Pindaro poëta & Virgilio in hunc fere modum differere. Amici, inquit, familiaresque P. Virgilii in his, quæ de ingenio moribusque ejus memoriæ tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino. namque, ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque id posteà, quod ita edidisset, conformaret & fingeret; proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie & imperfecta: sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris & vultus lineamenta. Hoc virum judicii subtilissimi ingenue atque verè dixisse res, inquit, judicium facit. nam, quæ reliquit perfecta expolitaque, quibusque imposuit census atque delectus sui supremam manum, omni poëticæ venustatis laude florent: sed quæ procrastinata sunt ab eo ut pòst recenserentur, & absolvi, quoniam mors præverterat, nequiverunt, nequaquam poëtarum elegantissimi nomine atque judicio digna sunt. itaque quum morbo oppres-

bo oppressus adventare mortem videret, petivit oravitque à suis amicissimis impense, ut AEneida, quam nondum satis elimasset, abolerent. in his autem, inquit, quæ videntur retractari & corrigi debuisse, is maximè locus est, qui de monte AEtna factus est. nam quum Pindari veteris poëtæ carmen, quod de natura atque flagrantia montis ejus compositum est, æmulari vellet: ejusmodi sententias & verba molitus est, ut Pindaro quoque ipso, qui nimis opima pinguique esse facundia existimatus est, insolentior hoc quidem in loco tumidiorque sit. atque uti vosmetipsos, inquit, ejus quod dico arbitros faciam, carmen Pindari, quod est super monte AEtna, quantulum est mihi memoriæ, dicam.

Τᾶς ἐρεύγοντ᾽ μὲν ἀπλά-
τȣ πυρὸς ἀγνότατ᾽
Ἐκ μυχῶν παγαί. ποτὰ μοὶ
Δ᾽ ἁμέραισι μὲν προχέοντι ῥόον καπνȣ̃
Αἴθων᾽, ἀλλ᾽ ἐν ὄρφναισι πέτραις
Φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖ-
αν φέρει πόντȣ πλάκα σὺν πατάγῳ.
Κεῖνο δ᾽ ἀφαίστοιο κρουνȣ̀ς ἑρπετὸν
Δεινοτάτȣς ἀναπέμ-
πει. τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέ-
σθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόν-
των ἀκȣ̃σαι.

Audite nunc, inquit, Virgilii versus, quos inchoasse eum verius dixerim, quàm fecisse.

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse; sed horrificis juxta tonat AEtna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo & candente favilla,
Attollitque globos flammarum, & sidera lambit.
Interdum scopulos avulsaque viscera montis

Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.

Jam principio, inquit, Pindarus veritati magis obsequutus, id dixit quod res erat, quodque istic usu veniebat, quodque oculis videbatur, interdiu fumare AEtnam, noctu flammigare. Virgilius autem, dum in strepitu sonitúque verborum conquirendo laborat, utrumque tempus nulla discretione facta confundit. atque ille Græcus quidem, fontes imitatus ignis eructare & fluere amnis fumi, & flammarum fulva & tortuosa volumina in plagas maris ferre, quasi quosdam igneos angues, luculente dixit. at hic noster, atram nubem turbine piceo & favilla fumantem, ῥόον καπνῷ αἴθωνα interpretari volens, crasse & immodice congessit: globos quoque flammarum, quod ille κροωνὰς dixerat, duriter & ἀκύρως transtulit. item quod ait, *sidera lambit*; vacanter hoc etiam, inquit, accumulavit & inaniter. neque non id quoque inenarrabile esse ait, & propemodum insensibile; quòd *nubem atram fumare* dixit *turbine piceo & favilla candente*. non enim fumare, inquit, solent, neque atra esse, quæ sunt candentia: nisi si *candente* dixit pervolgatè & impropriè pro ferventi favilla, non pro ignea & relucenti. nam *candens* scilicet est à candore dictum, non à calore. quod saxa autem & scopulos eructari & erigi, eosdemque ipsos statim liquefieri & gemere atque glomerari sub auras dixit; hoc, inquit, nec à Pindaro scriptum, nec umquam fando auditum, & omnium, quæ monstra dicuntur, monstruosissimum est.

CAP

CAP. XI.

Quod Plutarchus in libris ſympoſiacis opinionem Platonis de habitu atque natura ſtomachi fiſtulæque ejus, quæ τραχεῖα dicitur, adverſum Eraſiſtratum medicum tutatus eſt auctoritate adhibita antiqui medici Hippocratis.

ET Plutarchus & alii quidam docti viri reprehenſum eſſe ab Eraſiſtrato nobili medico Platonem ſcripſere: quod potum dixit defluere ad pulmonem, eoque ſatis humectato demanare per eum, quia ſit rimoſior, & confluere inde in veſicam: erroriſque iſtius fuiſſe Alcæum ducem, qui in poëmatis ſuis ſcriberet:

Τέγξε πνεύμονας οἴνῳ· τὸ δ' ἄχρον φλεγμαίνει.

ipſum autem Eraſiſtratum dicere duas eſſe quaſi canaliculas quaſdam vel fiſtulas; eaſque ab oris faucibus proficiſci deorſum: per earumque alterum deduci delabique in ſtomachum eſculenta omnia & poculenta; ex eoque ferri in ventriculum, qui Græcè appellatur ἡ κάτω κοιλία; atque ibi ſubigi digerique: ac deinde aridiora ex his recrementa in alvum convenire, quod Græcè κόπρος dicitur, humidiora per renes in veſicam. per alteram autem fiſtulam, quæ Græcè nominatur τραχεῖα ἀρτηρία, ſpiritum à ſummo ore in pulmonem, atque inde rurſum in os & in naris commeare; perque eamdem viam vocis quoque fieri meatum: ac, ne potus cibuſque aridior, quem oporteret in ſtomachum ire, procideret ex ore, labereturque in eam fiſtulam, per quam ſpiritus reciprocatur, eaque offenſione intercluderetur animæ via; interpoſitam eſſe arte quadam & ope naturæ inde apud duo iſta foramina, quæ dicitur ἐπιγλωττὶς, quaſi clauſtra quædam mobilia, conniventia viciſſim & reſurgentia: eamque ἐπιγλωττίδα inter edendum bibendumque operiri atque protegere τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ne quid ex eſca potuve

potuve incideret in illud quasi æstuantis animæ iter ; ac propterea nihil humoris influere in pulmonem ore ipso arteriæ commœnito. Hæc Erasistratus medicus adversus Platonem. Sed Plutarchus, in libro Symposiacorum, auctorem Platonis sententiæ Hippocratem dicit fuisse : idemque esse opinatos & Philistiona Locrum & Dioxippum Hippocraticum, veteres medicos & nobiles : atque illam, de qua Erasistratus dixerit, πηγλωπίδα non iccirco in eo loco constitutam, ne quid ex potu influeret in arteriam (nam pulmoni quoque fovendo rigandoque utiles necessarioque humores videri) sed appositam quasi moderatricem quamdam arbitramque prohibendi admiscendive, quod ex salutis usu foret : uti edulia quidem omnia defenderet ab arteria, depelleretque in stomachi viam : potum autem partiretur inter stomachum & pulmonem, &, quod ex eo admitti in pulmonem per arteriam deberet, non rapidum id neque universum, sed quadam quasi obice sustentatum ac repressum sensim paulatimque tramitteret : atque omnem reliquum in alteram stomachi fistulam derivaret.

CAP. XII.

De materiis infamibus, quas Græci ἀδόξους appellant, à Favorino exercendi gratia disputatis.

INfames materias, sive quis mavult dicere inopinabiles, quas Græci ἀδόξους ὑποθέσεις appellant, & veteres adorti sunt, non sophistæ solum, sed philosophi quoque : & noster Favorinus oppidò quàm libens in eas materias dicebat, vel ingenio expergificando ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis usu difficultatibus. sicuti quum Thersitæ laudes quæsivit, & quum febrim quartis diebus recurrentem laudavit, lepida sane multa & non facilia inventu in utramque causam dixit. eaque scripta in libris reliquit. sed in febris laudibus

dibus teſtem etiam Platonem produxit: quem ſcripſiſſe ait, qui quartanam paſſus convaluerit, vireſque integras reciperaverit, fidelius conſtantiuſque poſtea valiturum: atque inibi in iiſdem laudibus, non hercle hac ſententiola invenuſte luſit. verſus, inquit, eſt longo hominum ævo probatus:

Ἄλλοτε μητερὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

eo verſu ſignificatur, non omni die bene eſſe poſſe, ſed iſto bene, atque alio male. quod quum ita ſit, inquit, ut in rebus humanis bene aut male vice alterna ſit: hæc biduo medio intervallata febris, quanto eſt fortunatior in qua eſt μία μητερὰ, δύο μητέρες?

CAP. XIII.

Quin, *particula quot qualeſque varietates ſignificationis habeat, & quam ſæpe in veterum ſcriptis obſcura ſit.*

QUIN, particula, quam grammatici conjunctionem appellant, variis modis ſententiiſque connectere orationem videtur. aliter enim dici putatur, quum quaſi increpantes vel interrogantes vel exhortantes dicimus: *quin venis? quin legis? quin fugis?* aliter quum ita confirmamus: *Non dubium eſt, quin M. Tullius omnium ſit eloquentiſſimus.* aliter autem, quum ſic componimus, quod quaſi priori videtur contrarium: *Non iccircò cauſas Iſocrates non defendit, quin id utile eſſe & honeſtum exiſtimarit.* à quo illa ſignificatio non abhorret, quæ eſt in tertia Origine M. Catonis: *Haud eos*, inquit, *eo poſtremum ſcribo, quin populi & boni & ſtrenui ſient.* In ſecunda quoque Origine M. Cato non longe ſecus hac particula uſus eſt. *Neque ſatis*, inquit, *habuit quòd eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam proſtitueret.* Præterea animadvertimus Quadrigarium in octavo annalium particula iſta uſum eſſe obſcuriſſimè. ipſius verba poſuimus. *Romam venit. vix ſuperat quin triumphus decernatur.*

cernatur. item in sexto annali ejusdem verba hæc sunt: *Pæne factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti.* Non me autem præterit dicere aliquem posse de summo pectore, nihil esse in his verbis negotii. nam, *quin*, utrubuque positum pro, *ut*; planissimumque esse si ita dicas: *Romam venit, vix superat ut triumphus decernatur.* item alio in loco: *Pæne factum est ut castra relinquerent atque cederent hosti.* sed utantur sane, qui tam expediti sunt, perfugiis commutationum in verbis quæ non intelliguntur: utantur tamen, ubi id facere poterunt verecundiùs. hanc verò particulam, de qua dicimus, nisi quis didicerit compositam copulatamque esse, neque vim tantùm conjungendi habere, sed certa quadam significatione factam: numquam profectò rationes ac varietates istius comprehensurus est. quod quia longioris dissertationis est, poterit, cui otium est, reperire hoc in P. Nigidii commentariis, quos Grammaticos inscripsit.

CAP. XIV.

Sententiæ ex Publii mimis selectæ lepidiores.

PUblius mimos scriptitavit: dignusque habitus est, qui suppar Laberio judicaretur. C. autem Cæsarem ita Laberii maledicentia & arrogantia offendebat, ut acceptiores & probatiores sibi esse Publii quam Laberii mimos prædicaret. hujus Publii sententiæ feruntur pleræque lepidæ, & ad communem sermonum usum commendatissimæ. ex quibus sunt istæ singulis versibus circumscriptæ, quas libitum hercle est adscribere:

Malum est consilium, quod mutari non potest.
Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Feras, non culpes, quod vitari non potest:
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.
Comes facundus in via pro vehiculo est.

Frugalitas

Frugalitas inserta est rumoris boni.
Heredis fletus sub persona risus est.
Furor fit læsa sæpius patientia.
—— *improbe*
Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.
Ita amicum habeas, posse ut fieri hunc inimicum putes.
Veterem ferendo injuriam in vites novam.
Numquam periclum sine periclo vincitur.
Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficii est, quod petitur si belle neges.

CAP. XV.

Quòd Carneades Academicus elleboro stomachum purgavit scripturus adversus Zenonis Stoici decreta: deque natura medelaque ellebori candidi & nigri.

CArneades Academicus, scripturus adversum Stoici Zenonis libros, superiora corporis elleboro candido purgavit; ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret, & instantiam vigoremque mentis labefaceret. tanta cura tantoque apparatu sui vir ingenio præstanti ad refellenda, quæ scripserat Zeno, aggressus. Id quum in historia Græca legissem, quod *elleboro candido* scriptum erat, quid esset quæsivi. tum comperi duas species ellebori esse discerniculo coloris insignes, candidi & nigri. eos autem colores non in semine ellebori, neque in virgulis, sed in radice dinosci. candido stomachum & ventrem superiorem vomitionibus purgari; nigro alvum, quæ inferior vocatur, dilui: utriusque hanc esse vim, ut humores noxios, in quibus causæ morborum sunt, extrahant. esse autem periculum, ne inter causas morborum, omni corporum via patefacta, ea quoque ipsa, in quibus causa vivendi est, exinaniantur: amissoque omni naturalis alimoniæ fundamento homo exhaustus

exhauſtus intereat. Sed elleborum ſumi poſſe tutiſſimè in inſula Anticyra Plinius Secundus, in libris naturalis hiſtoriæ, ſcripſit: propterea Livium Druſum, qui tribunus plebi fuit, quum morbum, qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram navigaſſe, & in ea inſula elleborum bibiſſe ait; atque ita morbo liberatum. Præterea ſcriptum legimus, Gallos in venatibus tinguere elleboro ſagittas; quod his ictæ exanimatæ feræ teneriores ad epulas fiant: ſed propter ellebori contagium vulnera ex ſagittis facta circumcidere latius dicuntur.

CAP. XVI.

Anates Ponticas vim habere venenis detergendis potentem: atque inibi de Mithridati regis in id genus medicamenti ſollertia.

ANates Ponticas dicitur edundis vulgò venenis victitare. ſcriptum etiam à Lenæo Cn. Pompeji liberto, Mithridatem illum Ponti regem medicinæ rei & remediorum id genus ſollertem fuiſſe: ſolitumque earum ſanguinem miſcere medicamentis, quæ digerendis venenis valent: eumque ſanguinem vel potentiſſimum eſſe in ea confectione: ipſum autem regem, aſſiduo talium medelarum uſu, à clandeſtinis epularum inſidiis caviſſe: quin & ſcientem quoque ultro tentandi gratia venenum rabidum & velox ſæpenumerò hauſiſſe: atque id tamen ſine noxa fuiſſe. quamobrem poſtea, quum prœlio victus in ultima regni refugiſſet, & mori decreviſſet, venena violentiſſima feſtinandæ necis gratia fruſtrà expertus ſuo ſe ipſe gladio tranſegit. hujus regis antidotus celebratiſſima eſt, quæ Mithridatios vocatur.

CAP.

CAP. XVII.

Mithridatem Ponti regem quinque & viginti gentium linguis loquutum, Quintumque Ennium tria corda habere sese dixisse, quod tres linguas percalluisset, Græcam, Oscam, Latinam.

Q. Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui Græcè & Oscè & Latinè sciret. Mithridates autem Ponti atque Bithyniæ rex inclutus, qui à Cn. Pompejo bello superatus est, quinque & viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud umquam per interpretem colloquutus est: sed ut quemque ab eo appellari usus fuit, proinde lingua & oratione ipsius, non minus scite quam si gentilis ejus esset, locutus est.

CAP. XVIII.

Quod M. Varro C. Sallustium historiæ scriptorem deprehensum ab Annio Milone in adulterio scribit, & loris cæsum pecuniaque data demissum.

M. Varro in litteris atque vita fide homo multæ & gravis, in libro, quem scripsit *Pius aut de pace*, C. Sallustium scriptorem seriæ illius & severæ orationis, in cujus historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprensum ab Annio Milone loris bene cæsum dicit, & quum dedisset pecuniam, dimissum.

CAP. XIX.

Quid Epictetus philosophus dicere solitus sit hominibus nequam & impuris disciplinas philosophiæ studiose tractantibus, & quæ duo verba observanda præceperit omnium rerum longè salubria.

Favorinum ego audivi dicere Epictetum philosophum dixisse, plerosque istos, qui philosophari videntur, philosophos esse hujuscemodi ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. id significat, factis procul, verbis tenus. jam illud est vehementius quod Arrianus solitum eum dictitare in libris, quos de dissertionibus ejus composuit, scriptum reliquit. Nam quum, inquit, animadverterat hominem pudore amisso, importuna industria, corruptis moribus audacem, confidentem lingua cæteraque omnia præterquam animum procurantem, istiusmodi, inquit, hominem quum viderat studia quoque & disciplinas philosophiæ contrectare & physica adire & meditari dialectica, multaque id genus theoremata suspicari sciscitarique, inclamabat deûm atque hominum fidem, ac plerumque inter clamandum his eum verbis increpabat: ἄνθρωπε, πῦ βάλλεις; σκέψαι εἰ κεκάθαρται τὸ ἀγγεῖον. ἂν γὰρ εἰς τὴν οἴησιν αὐτὰ βάλλῃς, ἀπώλετο. ἢν σαπῇ, ἢ οὖρον, ἢ ὄξος γένοιτο ἂν, ἤ τι τούτων χεῖρον. nihil profecto his verbis gravius, nihil verius: quibus declarabat maximus philosophorum litteras atque doctrinas philosophiæ, quum in hominem falsum atque degenerem influxissent, verti, mutari, corrumpi, &, quod ipse κυνικώτερον, urinam fieri, aut si quid est urina spurcius. Præterea idem ille Epictetus, quod ex eodem Favorino audivimus, solitus dicere est, duo esse vitia multo omnium gravissima ac tæterrima, intolerantiam & incontinentiam; quum aut injurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus neque ferimus; aut à quibus rebus voluptatibusque

nos

nos tenere debemus, non tenemus. itaque, inquit, si quis hæc duo verba cordi habeat, eaque sibi imperando atque observando curet; is erit pleraque impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam. verba duo hæc dicebat ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

CAP. XX.

Verba sumpta ex symposio Platonis numeris coagmentisque verborum scite, modulatè, aptéque exercendi gratia in Latinam orationem versa.

Symposium Platonis apud philosophum Taurum legebatur. verba illa Pausaniæ inter convivas amorem vice sua laudantis: ea verba ita prorsum amavimus, ut meminisse etiam studuerimus. sunt adeò, quæ meminimus, verba hæc: πᾶσα γὰρ πρᾶξις ὧδε ἔχει. αὐτῇ ἐφ' ἑαυτῆς πραττομένη, οὔτε καλὴ, οὔτε αἰσχρά· οἷον νῦν ἡμεῖς ποιοῦμεν ἢ πίνειν ἢ ᾄδειν ἢ διαλέγεσθαι. οὐκ ἔστι τούτων αὐτὸ καθ' αὑτὸ καλὸν οὐδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, ὡς ἂν πραχθῇ τοιοῦτον ἀπέβη. καλῶς μὲν γὰρ πραττόμενον καὶ ὀρθῶς, καλὸν γίγνεται. μὴ ὀρθῶς δὲ, αἰσχρόν. οὕτω δὲ καὶ τὸ ἐρᾶν, καὶ ὁ ἔρως, οὐ πᾶς ἐστὶ καλὸς, οὐδὲ ἄξιος ἐγκωμιάζεσθαι, ἀλλ' ὁ καλῶς προτρέπων ἐρᾶν.

Hæc verba ubi lecta sunt; atque ibi Taurus mihi, Heus, inquit, tu rhetorisce (sic enim me in principio recens in diatribam acceptum appellitabat, existimans eloquentiæ unius extundendæ gratia Athenas venisse) videsne, inquit, ἐνθύμημα crebrum & coruscum & convexum, brevibusque & rotundis numeris cum quadam æquabili circumactione devinctum? habesne nobis dicere in libris rhetorum vestrorum tam aptè tamque modulatè compositam orationem; sed hos, inquit, tamen numeros censeo videas ὁδοῦ πάρεργον. ad ipsa enim Platonis penetralia ipsarumque rerum pondera & dignitates pergendum est; non ad vocularum ejus amœnita-

tem nec ad verborum venustates deversitandum. Hæc admonitio Tauri, de orationis Platonicæ modulis, non modò non repressit, sed instinxit etiam nos ad elegantiam Græcæ orationis verbis Latinis affectandam: atque uti quædam animalium parva & vilia ad imitandum sunt, quas res cumque audierint viderintve, petulantia; proinde nos ea, quæ in Platonis oratione demiramur, non æmulari quidem; sed lineas umbrasque facere quæsivimus & ausi sumus. velut ipsum hoc est, quod ex illis isdem verbis ejus effinximus: *Omne*, inquit, *omnino factum sic sese habet. neque turpe est quantum in eo est, neque honestum: velut est quas facimus nunc ipsi res; bibere, cantare, differere; nihil namque horum ipsum ex sese honestum est. quale quum fieret modo factum est, tale exstitit. si rectè honestéque factum est, tum honestum fit: sin parum rectè, turpe fit. sic amor non honestus omnis neque omnis laude dignus: sed qui facit nos ut honestè amemus.*

CAP. XXI.

Quibus temporibus post Romam conditam Græci Romanique illustres viri floruerunt ante secundum bellum Carthaginense.

Ut conspectum quemdam ætatum antiquissimarum, item virorum illustrium, qui in his ætatibus nati fuissent, haberemus; ne in sermonibus fortè inconspectum aliquid, super ætate atque vita clarorum hominum, temerè diceremus: sicuti sophista ille ἀπαιδεύτως, qui publicè nuper differens Carneadem philosophum à rege Alexandro Philippi filio pecunia donatum & Panætium Stoïcum cum superiore Africano vixisse dixit: Ut ab istiusmodi, inquam, temporum ætatumque erroribus caveremus, excerpebamus ex libris, qui chronici appellantur, quibus temporibus floruissent Græci simul atque Romani viri, qui vel ingenio vel imperio nobiles insi-

insigneſque poſt conditam Romam fuiſſent ante ſecundum bellum Carthaginienſium: eaſque nunc excerptiones noſtras variis diverſiſque in locis factas curſim digeſſimus. neque enim id nobis negotium fuit, ut acri atque ſubtili cura excellentium in utraque gente hominum συγχρονισμὸς componeremus; ſed ut Noctes iſtæ quadamtenus his quoque hiſtoriæ floſculis leviter injectis aſpergerentur. Satis autem viſum eſt in hoc commentario de temporibus paucorum hominum dicere: ex quorum ætatibus de pluribus quoque, quos non nominaremus, haud difficilis conjectura fieri poſſet. Incipiemus igitur à Solone claro: quoniam de Homero & Heſiodo inter omnes ferè ſcriptores conſtitit, ætatem eos egiſſe vel iſdem ferè temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem: utrumque tamen ante Romam conditam vixiſſe Silviis Albæ regnantibus annis poſt bellum Trojanum, ut Caſſius in primo annalium de Homero atque Heſiodo ſcriptum reliquit, plus centum atque ſexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum & ſexaginta. Solonem ergo accepimus unum ex illo nobili numero ſapientum leges ſcripſiſſe Athenienſium, Tarquinio Priſco Romæ regnante, anno regni ejus triceſimo tertio. Servio autem Tullio regnante Piſiſtratus Athenis tyrannus fuit, Solone antè in exilium voluntarium profecto: quoniam id ei prædicenti non creditum eſt. Poſtea Pythagoras Samius in Italiam venit, Tarquinii filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit. iſdemque temporibus occiſus eſt Athenis ab Harmodio & Ariſtogitone Hipparchus Piſiſtrati filius, Hippiæ tyranni frater. Archilochum autem Nepos Cornelius tradit, Tullo Hoſtilio Romæ regnante, jam tum fuiſſe poëmatis clarum & nobilem. Ducenteſimo deinde & ſexageſimo anno poſt Romam conditam aut non longè amplius, victos eſſe ab Athe-

nienſibus Perſas memoriæ traditum eſt, pugnam illam inclutam Marathoniam, Miltiade duce: qui poſt eam victoriam damnatus à populo Athenienſi in vinculis publicis mortem obiit. tum Æſchylus Athenis tragœdiarum poëta celebris fuit. Romæ autem iſtis fermè temporibus tribunos & ædiles tum primum per ſeditionem ſibi plebes creavit, ac non diu pòſt Cn. Marcius Coriolanus, exagitatus vexatuſque à tribunis plebi, ad Vulſcos, qui tum hoſtes erant, à republica deſcivit; bellumque populo Romano fecit. pòſt deinde paucis annis Xerxes rex ab Athenienſibus & pleraque Græcia, Themiſtocle duce, navali prœlio, quod ad Salamina factum eſt, victus fugatuſque eſt. atque inde anno ferè quarto, Menenio Agrippa, M. Horatio Pulvillo conſulibus, bello Vejente, apud fluvium Cremeram, ab his ſex & trecenti patricii Fabii cum familiis ſuis, univerſi ab hoſtibus circumventi perierunt. juxta ea tempora Empedocles Agrigentinus in philoſophiæ naturalis ſtudio floruit. Romæ autem per eas tempeſtates decemviros legibus ſcribundis creatos conſtitit; tabulaſque ab his primo decem conſcriptas, mox alias duas additas. Bellum deinde in terra Græcia maximum Peloponneſiacum, quod Thucydides memoriæ mandavit, cœptum eſt circa annum ferè, poſt conditam Romam, trecenteſimum viceſimum tertium. qua tempeſtate Olus Poſtumius Tubertus dictator Romæ fuit. qui filium ſuum, quod contra ſuum dictum in hoſtem pugnaverat, ſecuri necavit. hoſtes tum populi Romani fuerant Fidenates. itaque inter hæc tempora nobiles celebreſque erant Sophocles ac deinde Euripides tragici poëtæ, & Hippocrates medicus, & Democritus philoſophus: quibus Socrates Athenienſis natu quidem poſterior fuit; ſed quibuſdam temporibus iſdem vixerunt. jam deinde, Tribunis militaribus conſulari imperio rempublicam Romæ regentibus, ad annum ferè conditæ

Vid. Gronovium in Præfat. hujus Editionis.

ditæ urbis trecenteſimum quadrageſimum ſeptimum, triginta illi tyranni præpoſiti ſunt à Lacedæmoniis Athenienſibus; & in Sicilia Dionyſius ſuperior tyrannidem tenuit, pauciſque annis pòſt, Socrates Athenis capitis damnatus eſt, & in carcere veneno necatus. ea ferè tempeſtate Romæ M. Furius Camillus dictator fuit, & Vejos cepit. ac pòſt non longo tempore bellum Senonicum fuit. tum Galli Romam præter Capitolium ceperunt. neque multo poſtea Eudoxus aſtrologus in terra Græcia nobilitatus eſt: Lacedæmoniique ab Athenienſibus apud Corinthum ſuperati, duce Phormione: & M. Manlius Romæ, qui Gallos in obſidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus eſt conſilium de regno occupando iniſſe; damnatuſque capitis ſaxo Tarpejo, ut M. Varro ait, præceps datus; ut Cornelius autem Nepos ſcriptum reliquit, verberando necatus eſt. eoque ipſo anno, qui erat poſt reciperatam urbem ſeptimus, Ariſtotelem philoſophum natum eſſe memoriæ mandatum eſt. aliquot deinde annis poſt bellum Senonicum, Thebani Lacedæmonios, duce Epaminonda, apud Leuctra ſuperaverunt: ac brevi pòſt tempore, in urbe Roma, lege Licinii Stolonis conſules creari etiam ex plebe cœpti, quum antea jus non eſſet niſi ex patriciis gentibus fieri conſules. Circa annum deinde urbis conditæ quadringenteſimum Philippus Amyntæ filius Alexandri pater regnum Macedoniæ adeptus eſt: inque eo tempore Alexander natus eſt: pauciſque inde annis pòſt Plato philoſophus ad Dionyſium Siciliæ tyrannum poſteriorem profectus eſt. poſt inde aliquanto tempore Philippus apud Chæroneam prœlio magno Athenienſes vincit. tum Demoſthenes orator ex eo prœlio ſalutem fuga quæſivit: quumque id ei, quòd fugerat, probroſè objiceretur, verſu illo notiſſimo eluſit:

Ἀνὴρ, inquit, ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

postea Philippus ex insidiis occiditur: & Alexander regnum adeptus ad subigendos Persas in Asiam atque in Orientem transgressus est. alter autem Alexander, cui cognomentum Molosso fuit, in Italiam venit bellum populo Romano facturus. jam enim fama virtusque felicitatis Romanæ apud exteras gentes enitescere incœptabat. sed prius, quàm bellum faceret, vita decessit. Eum Molossum, quum in Italiam transiret, dixisse accepimus, se quidem ad Romanos ire quasi in ἀνδρωνῖτιν; Macedonem isse ad Persas quasi in γυναικωνῖτιν. postea Macedo Alexander pleraque parte orientali subacta, quum annos undecim regnavisset, obiit mortis diem. neque ita longè pòst Aristoteles philosophus & pòst aliquanto Demosthenes vita functi sunt: isdemque fermè tempestatibus populus Romanus gravi ac diutino Samnitium bello conflictatus est: consulesque Tib. Veturius & Sp. Postumius in locis iniquis apud Caudium à Samnitibus circumvallati ac sub jugum missi, turpi fœdere facto discesserunt; ob eamque causam populi jussu Samnitibus per feciales dediti recepti non sunt. Post annum deinde urbis conditæ quadringentesimum ferè & septuagesimum bellum cum rege Pyrrho sumtum est. Ea tempestate Epicurus Athenienses & Zeno Cittienses philosophi celebres erant: eodémque tempore C. Fabricius Luscinus & Q. Æmilius Papus censores Romæ fuerunt; & P. Cornelium Rufinum, qui bis consul & dictator fuerat, senatu moverunt: causamque isti notæ subscripserunt, quod eum comperissent argenti facti cœnæ gratia decem pondo libras habere. Anno deinde post Romam conditam quadringentesimo fermè nonagesimo, consulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit, Appii illius Cæci fratre, & M. Fulvio Flacco, bellum adversum Pœnos primum cœptum est. neque diu pòst Callimachus poëta Cyrenensis Alexandriæ apud Ptolemæum regem celebratus est.

annis

annis deinde postea paulo pluribus quàm viginti, pace cum Pœnis facta, consulibus Claudio Centone Appii Cæci filio & M. Sempronio Tuditano, primus omnium L. Livius poëta fabulas docere Romæ cœpit, post Sophoclis & Euripidis mortem annis plus ferè centum & sexaginta, post Menandri annis circiter quinquaginta duobus. Claudium & Tuditanum Consules sequuntur Q. Valerius & C. Manilius: quibus natum esse Q. Ennium poëtam M. Varro, in primo de poëtis libro, scripsit: eumque, quum septimum & sexagesimum annum ageret, duodecimum annalem scripsisse; idque ipsum Ennium in eodem libro dicere. Anno deinde post Romam conditam quingentesimo undevicesimo Sp. Carvi- 519.
lius Ruga primus Romæ de amicorum sententia divortium cum uxore fecit, quod sterilis esset, juratusque apud censores uxorem se liberûm quærendorum causa habere. eodemque anno C. Nævius poëta fabulas apud populum dedit; quem M. Varro, in libro de poëtis primo, stipendia fecisse ait bello Pœnico primo; idque ipsum Nævium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit. Porcius autem Licinius serius poëticam Romæ cœpisse dicit in his versibus:

Pœnico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

ac deinde annis ferè post quindecim bellum adversus 534
Pœnos sumptum est: atque non nimium longè M. Cato orator in civitate, & Plautus poëta in scena floruerunt. isdemque temporibus Diogenes Stoïcus & Carneades Academicus & Critolaus Peripateticus ab Athenienſibus, ad senatum populi Romani, negotii publici gratia, legati sunt. neque magno intervallo postea Q. Ennius, & juxta Cæcilius & Terentius, ac subinde & Pacuvius, & Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit. sed progressi longiùs sumus: quum finem proposuerimus annotatiunculis istis bellum Pœnorum secundum.

LI-

LIBER OCTAVUS DECIMUS.

CAPUT I.

Disputationes à Philosopho Stoïco, & contrà à Peripatetico, arbitro Favorino, factæ; quæsitumque inter eos, quantum in perficienda vita beata virtus valeret; quantumque esset in iis quæ dicuntur extranea.

EAMILIARES Favorini erant duo quidam non incelebres in urbe Roma philosophi. eorum fuit unus Peripateticæ disciplinæ sectator, alter Stoïcæ. his quondam ego acriter atque contentè pro suis utrinque decretis propugnantibus, quum essemus una omnes Ostiæ cum Favorino, interfui. ambulabamus autem in littore quum jam advesperasceret, ætate anni novi. atque ibi Stoïcus censebat & vitam beatam hominum virtute animi sola, & miseriam summam malitia sola posse effici, etiam si cætera bona omnia, quæ corporalia & externa appellarentur, virtuti deessent, malitiæ adessent. Ille contrà Peripateticus, miseram quidem vitam vitiis animi & malitia sola fieri concedebat: sed ad complendos omnes vitæ beatæ numeros virtutem solam nequaquam satis esse existimabat. quoniam & corporis integritas sanitasque, & honestus modus formæ, & pecunia familiaris, & bona existimatio, cæteraque omnia corporis & fortunæ bona necessaria viderentur perficiendæ beatæ vitæ. Reclamabat hoc in loco Stoïcus, &, tamquam duas ille res diversas poneret, mirabatur; quòd, quum essent malitia & virtus duo contraria, vita misera & beata quoque æquè contraria, non servaret in utrisque vim & naturam contrarii: & ad miseriam quidem vitæ conficiendam satis valere malitiam solam putaret, ad præstandam verò vitam beatam non satis virtutem solam esse

esse diceret. atque id maximè diffidere neque convenire dicebat, quòd, qui profiteretur vitam nullo pacto beatam effici posse, si virtus sola abesset; idem contrà negaret beatam fieri vitam quum sola virtus adesset: & quem daret haberetque virtuti absenti honorem, eumdem petenti atque præsenti adimeret. Tum Peripateticus perquam herclè festivè, Rogo te, inquit, cum bona venia respondeas, an existimes esse vini amphoram, quum abest ab ea unus congius? Hoc ubi accepit Stoïcus: Minime, inquit, vini amphora dici potest, ex qua abest congius. hoc ubi accepit Peripateticus, Unus igitur, inquit, congius amphoram facere dici debebit: quoniam, quum deest ille unus, non fit vini amphora; & quum accessit, fit amphora. quòd si id dicere absurdum est, uno congio solo fieri amphoram, itidem absurdum est una sola virtute vitam fieri beatam dicere: quoniam, quum virtus abest, beata esse vita numquam potest. Tum Favorinus adspiciens Peripateticum, Est quidem, inquit, argutiola hæc, qua de congio vini usus es, expositа in libris: sed, ut scis, captio magis lepida, quàm probum aut simile argumentum videri debet. congius enim, quum deest, efficiet quidem ne sit justæ mensuræ amphora: sed quum accedit & adjicitur, non ille unus facit amphoram, sed supplet. virtus autem, ut isti dicunt, non accessio neque supplementum, sed sola ipsa vitæ beatæ instar est: & propterea vitam beatam ipsa sola una, quum adest, facit. Hæc atque alia quædam minuta magis & nodosa, tamquam apud arbitrum Favorinum, in suam uterque sententiam conferebant. sed quum jam prima fax noctis, & densiores esse tenebræ cœpissent, prosequuti Favorinum in domum, ad quam devertebat, discessimus.

CAP.

CAP. II.

Cujusmodi quæstionum certationibus Saturnalicia ludicra Athenis agitare soliti sumus; atque inibi inspersa quædam sophismata & ænigmata oblectatoria.

Saturnalia Athenis agitabamus hilare prorsum & modeste, non, ut dicitur, remittentes animum, (nam remittere, inquit, Musonius, animum, quasi amittere est,) sed demulcentes eum paulū atque laxantes jucundis honestisque sermonum illectationibus. Conveniebamus autem ad eamdem cœnam compluscŭli, qui Romani in Græciam veneramus, quique easdem auditiones eosdemque doctores colebamus. tum qui cœnulam ordine suo curabat, præmium solvendæ quæstionis ponebat librum veteris scriptoris vel Græcum vel Latinum, & coronam e lauro plexam; totidemque res quærebat quot homines istic eramus, quumque eas omnis exposuerat, rem locumque dicendi sors dabat. quæstio igitur soluta corona & præmio donabatur; non soluta autem tramittebatur ad eum, qui sortitò successerat. idque in orbem vice pari servabatur. si nemo dissolvebat quæstionis ejus nodum; præmium ipsum & corona deo, cujus id festum erat, dicabatur. quærebantur autem res hujuscemodi, aut sententia poëtæ veteris lepide obscura, non anxie, aut historiæ antiquioris requisitio, aut decreti cujuspiam ex philosophia perperam invulgati purgatio, aut captionis sophisticæ solutio, aut inopinati rariorisque verbi indagatio, aut tempus item in verbo perspicuo obscurissimum. itaque nuper quæsita esse memini numero septem, quorum prima fuit enarratio horum versuum, qui sunt in satiris Q. Ennii, uno multifariam verbo concinniter implicati. quorum exemplum hoc est:

Nam qui lepidè postulat, alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse.

Nam

Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra est: si non, ille est frustra.

Secunda quæstio fuit, quonam modo audiri atque accipi deberet, quod Plato in civitate, quam in libris suis condidit, νοννὰς τὰς γυναῖκας esse censuit; & præmia viris fortibus summisque bellatoribus posuit saviationes puerorum & puellarum. Tertio in loco hoc quæsitum est, in quibus verbis captionum istarum fraus esset, & quo pacto distingui resolvique possent: *Quod non perdidisti, habes: cornua non perdidisti: habes igitur cornua.* item altera captio: *Quod ego sum, id tu non es: homo igitur tu non es.* Quæsitum id quoque ibi est, quæ esset hujus quoque sophismatis resolutio. *Quum mentior & mentiri me dico, mentior an verum dico?* Postea quæstio ista hæc fuit: *Quam ob causam Patricii Megalensibus mutitare soliti sint, plebes Cerealibus?* Secundum ea quæsitum hoc est; verbum *verant*, quod significat *vera dicunt*, quisnam veterum poëtarum dixerit? Sexta quæstio fuit, asphodelum cujusmodi herba sit, quod Hesiodus in isto versu posuerit:

Νήπιοι οὐδ' ὅσσον τὸ ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

& quid item Hesiodus se dicere sentiat, quum dimidium plus esse toto dicit. Postrema quæstionum omnium hæc fuit; *scripserim, venerim, legerim*, cujus temporis verba sint, præteriti, an futuri, an utriusque. Hæc ubi ordine, quo dixi, proposita, atque, singulis forte ductis, disputata explanataque sunt, libris coronisque omnes donati sumus; nisi ob unam quæstionem, quæ fuit de verbo *verant*. nemo enim tum commeminerat dictum esse à Q. Ennio id verbum in tertiodecimo annalium in isto versu:

Satin' vates verant ætate in agunda?

Corona igitur hujus quæstionis deo feriarum istarum Saturno data est.

CAP.

CAP. III.

Quid Æschines rhetor in oratione, qua Timarchum de impudicitia accusavit, Lacedæmonios statuisse dixerit super sententia probatissima, quam improbatissimus homo dixisset.

Æschines vel acerrimus prudentissimusque oratorum, qui apud conciones Athenienſium floruerunt, in oratione illa ſæva criminoſaque & virulenta, qua Timarchum de impudicitia graviter inſigniterque accuſavit, nobile & illuſtre conſilium Lacedæmoniis dediſſe dicit virum indidem civitatis ejuſdem principem virtute atque ætate magna præditum. Populus, inquit, Lacedæmonius de ſumma republica ſua, quidnam eſſet utile & honeſtum, deliberabat. tum exſurgit, ſententiæ dicendæ gratia, homo quiſpiam turpitudine priſtinæ vitæ defamatiſſimus; ſed lingua tunc atque facundia nimium quantum præſtabilis. conſilium, quod dabat, quodque oportere fieri ſuadebat, acceptum ab univerſis & complacitum eſt: futurumque erat ex ejus ſententia populi decretum. ibi unus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonii, ætatis dignitatiſque majeſtate tamquam arbitros & magiſtros diſciplinæ publicæ verebantur, commoto irritatoque animo exſilit: &, Quænam, inquit, Lacedæmonii, ratio, aut quæ tandem ſpes erit, urbem hanc & hanc rempublicam ſalvam inexpugnabilemque eſſe diutius poſſe, ſi hujuſcemodi anteactæ vitæ hominibus conſiliariis utemur? quòd ſi proba iſta hæc & honeſta ſententia eſt; quæſo vos, non ſinamus eamdem dehoneſtari turpiſſimi auctoris contagio. atque ubi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque juſtitia præter alios præſtantem, ſed inopi lingua & infacundum; juſſitque eum, conſenſu petituque omnium, eamdem illam ſententiam diſerti viri cuicuimodi poſſet verbis

bis dicere: ut nulla prioris mentione habita scitum atque decretum populi ex ejus unius nomine fieret, quod ipsum denuo dixerat. atque ita, ut suaserat prudentissimus senex, factum est. sic bona sententia mansit; turpis auctor mutatus est.

CAP. IV.

Quòd Sulpicius Apollinaris prædicantem quemdam à sese uno Sallustii historias intelligi illusit, quæstione proposita, quid verba ista apud Sallustium significarent: perincertum stolidior, an vanior.

Quum jam adolescentuli Romæ prætextam & puerilem togam mutassemus; magistrosque jam nobismetipsi exploratiores quæreremus: in Sandaliario forte apud librarios fuimus; quum ibi in multorum hominum cœtu Apollinaris Sulpicius, vir in memoria nostra præter alios doctus, jactatorem quempiam & venditatorem Sallustianæ lectionis irrisit illusitque genere illo facetissimæ dissimulationis, qua Socrates ad sophistas utebatur. nam quum ille se unum & unicum doctorem esse enarratoremque Sallustii diceret, neque primam tantùm cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum ejus eruere atque introspicere penitus prædicaret: tum Apollinaris amplecti venerarique se doctrinas illius dicens, Per, inquit, magister optime, exoptatus mihi nunc venis cum sanguine & medulla Sallustii verborum. hesterno enim die quærebatur ex me, quidnam verba ejus hæc in quarto historiarum libro de Cn. Lentulo scripta significent: de quo incertum fuisse ait stolidiorne esset an vanior: eaque ipsa verba, uti sunt à Sallustio scripta, dixit: *At Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega ejus cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emtoribus bonorum remi-*

remiserat, exigenda promulgavit. quæsitum ergo ex se Apollinaris, neque id se dissolvere potuisse asseverabat, quid esset *vanior* & quid *stolidior*: quoniam Sallustius sic ea separasse atque opposuisse inter se videretur, tamquam diversa ac dissimilia, nec ejusdem utraque vitii forent: ac propterea petebat, uti se doceret significationes utriusque vocis & origines. Tum ille rictu oris labearumque ductu contemni à se ostendens, & rem de qua quæreretur & hominem ipsum qui quæreret, Priscorum, inquit, & remotorum ego verborum medullas & sanguinem, sicuti dixi, perspicere & elicere soleo: non istorum quæ proculcata vulgo & protrita sunt. ipso illo quippe Cn. Lentulo stolidior est & vanior, qui ignorat ejusdem stultitiæ esse vanitatem & stoliditatem. sed ubi hoc dixit, media ipsa sermonum reliquit: & abire cæpit. nos deinde eum tenebamus, urgebamusque, & cumprimis Apollinaris, ut de vocabulorum istorum vel differentia, vel si ei ita videretur, similitudine pleniùs apertiusque differeret: & ut ne sibi invideret discere volenti orabat. atque ita ille, se jam planè illudi ratus, negotium sibi esse causatur, & digreditur. nos autem postea ex Apollinari didicimus *vanos* propriè dici. non, ut vulgus diceret, desipientes aut hebetes aut ineptos, sed, ut veterum doctissimi dixissent, mendaces & infidos & levia inaniaque pro gravibus & veris astutissime ponentes: stolidos autem vocari non tam stultos & excordes, quàm tætros & molestos & illepidos, quos Græci μοχθηρὰς & φορτικὰς dicerent. etyma quoque harum vocum & origines scriptas esse dicebat in libris Nigidianis. quos requisitos ego & repertos cum primarum significationum exemplis, ut commentariis harum Noctium inferrem, notavi, & intulisse jam me aliquo in loco commentationibus istis existimo.

CAP.

CAP. V.

Quòd Q. Ennius in septimo annali quadrupes eqùes, *ac non*, quadrupes equus, *ut legunt multi, scriptum reliquit.*

Cum Antonio Juliano rhetore, viro hercle bono & facundiæ florentis, complures adolescentes familiares ejus Puteolis æstivarum ludum & jocum in litteris amœnioribus & in voluptatibus pudicis honestisque agitabamus. atque ibi tunc Juliano nunciatur ἀναγνώστω quemdam, non indoctum hominem, voce admodum scita & canora Ennii annales legere ad populum in theatro. Eamus, inquit, auditum nescio quem istum Ennianistam. hoc enim se ille nomine appellari volebat. Quem quum jam inter ingentes clamores legentem inveniissemus (legebat autem librum ex annalibus Ennii septimum) hos eum primùm versus perperam pronunciantem audivimus:

Denique vi magna quadrupes equus atque elephanti
Projiciunt sese.

neque posteà multis versibus additis, celebrantibus eum laudantibusque omnibus, discessit. Tum Julianus egrediens è theatro, Quid vobis, inquit, de hoc anagnosta, & de quadrupe de equo videtur? sic enim profectò legit:

Denique vi magna quadrupes equus atque elephanti
Projiciunt sese.

ecquid putatis, si magistrum prælectoremque habuisset alicujus æris, *quadrupes equus* dicturum fuisse, ac non *quadrupes eques?* quod ab Ennio ita scriptum relictumque esse nemo unus litterarum veterum diligens dubitavit. quumque aliquot eorum, qui aderant, *quadrupes equus*, apud suum quisque grammaticum legisse se dicerent, & mirarentur quidnam esset, *quadrupes eques*; Vellem vos, inquit, optimi juuenes, tam accuratè Q.

Ennium legisse, quàm P. Virgilius legerat: qui hunc ejus versum sequutus in Georgicis suis *equitem* pro *equo* posuit his in versibus:

Frœna Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

in quo loco, *equitem*, si quis modò non inscitè ineptéque argutior sit, nihil potest accipi aliud nisi, *equum*, pleraque enim veterum ætas & hominem equo insidentem & equum qui insideretur *equitem* dixerunt. propterea equitare etiam, quod verbum è vocabulo equitis inclinatum est, & homo equo utens & equus sub homine gradiens dicebatur. Lucilius adeò vir adprimè linguæ Latinæ sciens *equum equitare* dicit his versibus:

Quis hinc currere equum nos atque equitare videmus,
His equitat curritque: oculis equitare videmus;
Ergo oculis equitat.

Sed enim contentus, inquit, ego his non fui: & ut non turbidæ fidei nec ambiguæ, sed ut puræ liquentisque esset *equus*ne an *eques* Ennius scriptum reliquisset: librum summæ atque reverendæ vetustatis, quem ferè constabat Lampadionis manu emendatum, studio precioque multo unius versus inspiciendi gratia conduxi: &, *eques*, non, *equus*, scriptum in eo versu inveni. Hæc tum nobis Julianus & multa alia eruditè simul & affabiliter dixit. sed eadem ipsa post etiam in pervolgatis commentariis scripta offendimus.

CAP.

CAP. VI.

Quòd Ælius Meliſſus, in libro cui titulum fecit, de loquendi proprietate, *quem quum ederet* cornum *eſſe* copiæ *dicebat, rem ſcripſit neque dictu neque auditu dignam: quum differre* matronam *&* matremfamilias *exiſtimavit differentia longè vaniſſima.*

AElius Meliſſus in noſtra memoria fuit Romæ ſummi quidem loci inter grammaticos & temporis: ſed majore in litteris erat jactantia & σοφιστείᾳ, quàm opera. is præter alia, quæ ſcripſit compluria, librum compoſuit, ut tum videbatur quum eſt editus, doctrinæ inclutæ. ei libro titulus eſt ingentis cujuſdam illecebræ ad legendum ſcriptus. quippe eſt, *de loquendi proprietate.* quis adeò exiſtimet loqui ſe rectè atque propriè poſſe, niſi illas Meliſſi proprietates perdidicerit? ex eo libro hæc verba ſunt: *Matrona eſt, quæ ſemel peperit: quæ ſæpius, materfamilias: ſicuti ſus quæ ſemel peperit, porcetra; quæ ſæpius, ſcropha.* Utrum autem hoc de matrona ac de matrefamilias Meliſſus excogitaverit ipſe & conjectaverit: an ſcriptum ab alio quo legerit, hariolis profecto eſt opus. nam de porcetra habet ſane auctorem Pomponium in Atellana, quæ hoc eodem vocabulo inſcripta eſt. ſed matronam non eſſe appellatam, niſi quæ ſemel peperit, neque matremfamilias niſi quæ ſæpius, nullis veterum ſcriptorum auctoritatibus confirmari poteſt. enimverò illud impendio probabilius eſt, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam eſſe proprie, quæ in matrimonium cum viro conveniſſet, quoad in eo matrimonio maneret, etiam ſi liberi nondum nati forent: dictamque eſſe ita à matris nomine non adepto jam, ſed cum ſpe & omine mox apiſcendi. unde ipſum quoque matrimonium dicitur, matrem autem familias

appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus, manu mancipioque esset. quoniam non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoque mariti & in sui heredis locum veniisset.

CAP. VII.

Quem in modum Favorinus tractaverit intempestivum quemdam de verborum ambiguitatibus quærentem: atque ibi quot significationes capiat concio.

Domitio homini docto celebrique in urbe Roma grammatico; cui cognomentum Insano factum est, quoniam erat natura intractabilior & morosior. ei Domitio Favorinus noster quum fortè apud fanum Carmentis obviam veniisset; atque ego cum Favorino essem: Quæso, inquit, te, magister, dicas mihi, num erravi; quòd, quum vellem δημηγορίας Latinè dicere, conciones dixi? dubito quippe & requiro, an veterum eorum, qui electiùs loquuti sunt, pro verbis & oratione dixerit quis concionem. tum Domitius voce atque vultu atrociore, Nulla, inquit, prorsus bonæ salutis spes reliqua est; quum vos quoque philosophorum illustrissimi nihil jam aliud quàm verba auctoritatesque verborum cordi habeatis. mittam autem librum tibi, in quo id reperias, quod quæris. ego enim grammaticus vitæ jam atque morum disciplinas quæro: vos philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria. namque colligitis lexidia, res tætras & inanes & frivolas, tamquam mulierum voces præficarum. atque utinam, inquit, muti omnes homines essemus! minus improbitas instrumenti haberet. Quumque digressi essemus: Non tempestivè, inquit Favorinus, hunc hominem accessimus. videtur enim mihi ἀπομαίνεσθαι. scitote, inquit, tamen intemperiem istam, quæ μελαγχολία dicitur, non parvis nec abjectis ingeniis accidere; αἰτίαι

εἶναι

εἶναι ἀχεδόν τι τὸ παθεῖν τοῦτο ἡρωϊκόν; & veritates plerumque fortiter dicere, sed respectum non habere μήτε καιρῷ μήτε μέτρῳ. vel ipsum quale hoc existimatis, quod nunc de philosophis dixit? nónne, si id Antisthenes aut Diogenes dixisset, dignum memoria visum esset? Misit autem paulò post Favorino librum quem promiserat; Verrii, opinor, Flacci erat. in quo scripta ad hoc genus quæstionis pertinentia hæc fuerunt: *senatum* dici & pro loco & pro hominibus; *civitatem* & pro loco & pro opido & pro jure quoque omnium & pro hominum multitudine: *tribus* quoque & *decurias* dici & pro loco & pro jure & pro hominibus. *concionem* autem tria significare, locum, & verba, suggestumque unde verba fierent. sicut M. Tullius, in oratione quæ scripta est contra concionem Q. Metelli, *Escendi*, inquit, *in concionem: concursus est populi factus.* sicut idem M. Tullius in Oratore ait: *Conciones sæpe exclamare vidi quum aptè verba cecidissent. etenim exspectant aures ut verbis colligetur sententia.* item significare cœtum populi assistentis, item orationem ipsam, quæ ad populum diceretur, exempla in eo libro scripta non erant: sed nos postea Favorino desideranti harum omnium significationum monumenta & apud Ciceronem, sicuti suprà scripsi, & apud eligantissimos veterum reperta exhibuimus. Id autem quod potissimum expetebat, *concionem* esse dictam pro verbis & oratione, docui titulo Tulliani libri, qui à M. Cicerone inscriptus est: *Contra concionem Q. Metelli.* quo nihil profecto significatur aliud, quàm ipsa, quæ à Metello dicta est, oratio.

CAP. VIII.

Ὁμοιοτέλευτα καὶ ὁμοιόπτωτα, atque alia id genus, quæ ornamenta orationis putantur, inepta esse & puerilia Lucilii quoque versibus declarari.

Ὁμοιοτέλευτα καὶ ἰσοκατάληκτα καὶ πάρισα καὶ ὁμοιόπτωτα, cæteraque hujusmodi scitamenta, quæ isti ἀπειρόκαλοι, qui se Isocratios videri volunt, in collocandis verbis immodicè faciunt & rancidè quàm sint insubida & inertia & puerilia facetissimè hercle significat in quinto Satirarum Lucilius. nam ubi est cum amico conquestus, quod ad se ægrotum non viseret, hæc ibidem addit festiviter:

Quo me habeam pacto, tametsi non quæris docebo:
Quando in eo numero mansti, quo in maxima nunc est
Pars hominum, ut periisse velis, quem nolueris quum
Visere debueris. hoc, NOLUERIS, *&* DEBUERIS, *te*
Si minus delectat quod ἄτεχνον Isocratium est: ὀ--
Χληρῶδεσque simul totum ac συμμειρακιῶδες;
Non operam perdo. Si tu hic.

CAP. IX.

Quid significet apud M. Catonem verbum, insecenda, *quodque* insecenda *potius legendum sit, quam quod plerique existimant*, insequenda.

In libro vetere, in quo erat oratio M. Catonis de Ptolemæo contra Thermum, sic scriptum fuit: *Sed si omnia dolo fecit; omnia avaritiæ atque pecuniæ causa fecit, ejusmodi scelera, quæ neque insecenda fanda neque legenda audivimus; supplicium pro factis dare oportet. insecenda* quid esset quæri cœptum. Tum, ex his qui ade-

aderant, alter litterator fuit, alter litteras sciens. hi duo inter sese dissentiebant, & grammaticus quidem contendebat. *insequenda* enim scribi, inquit, debet, non, *insecenda*. quoniam *insequens* significat: dictumque est *insequе*, quasi, perge dicere & insequere. itaque ab Ennio scriptum in his versibus:

Insequе Musa, manu Romanorum induperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

alter autem ille eruditior nihil mendosum, sed rectè atque integrè scriptum esse perseverabat: & Velio Longo non homini indocto fidem esse habendam; qui in commentario, quod fecisset de usu antiquæ loquutionis, scripserit non *insequе* legendum apud Ennium, sed *insece*: ideoque à veteribus, quas narrationes dicimus, *insectiones* esse appellatas: Varronem quoque versum hunc Plauti de Menæchmis,

Hæc nihilo mihi videntur esse sectius quam somnia,

sic enarrasse: nihilo magis narranda esse quàm si ea essent somnia. hæc illi inter se certabant. Ego arbitror & à M. Catone *insecenda* & à Q. Ennio *insece* scriptum, sine *u*, littera. offendi enim in bibliotheca Patrensi librum veræ vetustatis Livii Andronici, qui inscriptus est Ὀδύσσεια, in quo erat versus primus, cum hoc verbo, sine *u*, littera.

Virum mihi Camœna insece versutum;

factus ex illo Homeri versu:

Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον.

illi igitur ætatis & fidei magnæ libro credo. nam quod in versu Plautino est, *sectius quam somnia*; nihil in alteram partem plus argumenti habet. Etiamsi veteres autem non *insequе*, sed *insece* dixerunt, credo quia erat levius leviusque: tamen ejusdem sententiæ verbum videtur. nam & *sequo* & *sequor* & item *secta* & *sectio* consuetudine loquendi differunt: sed qui penitus inspexerit, origo & ratio utriusque una est. doctores quoque & interpre-

tes vocum Græcarum, Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα. καὶ, ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι; dictum putant, quod Latine *inseque* dicitur. namque in altero *u*, geminum, in altero, *p*, esse tralatum dicunt. sed etiam ipsum illud ἔπη, quod significat verba aut versus, non aliunde esse dictum tradunt, quàm ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι καὶ εἰπεῖν. eadem ergo ratione antiqui nostri narrationes sermonesque *insectiones* appellitaverunt.

CAP. X.

Errare istos, qui in exploranda febri pulsus venarum pertentari putant, non arteriarum.

In Herodis c. v. villam, quæ est in agro Attico, loco qui appellatur Cephisiæ, aquis & lucis & nemoribus frequentem, æstu anni medio concesseram. ibi alvo mihi cita & accedente febri rapida decubueram. Eò Calvisius Taurus philosophus & alii quidam sectatores ejus, quum Athenis visendi mei gratia venissent: medicus, qui tum in his locis repertus assidebat mihi, narrare Tauro cœperat, quid incommodi paterer: & quibus modulis quibusque intervallis accederet febris decederetque. tum in eo sermone, quum jam me sinceriore corpusculo factum diceret, Potes, inquit Tauro, tu quoque idipsum comprehendere, ἐὰν ἅψῃ αὐτοῦ τῆς φλεβὸς; quod nostris verbis profectò ita dicitur, si attigeris venam illius. Hanc loquendi imperitiam, quòd venam pro arteria dixisset, quum in eo docti homines, qui cum Tauro erant, tamquam in minime utili medico offendissent, atque id murmure & vultu ostenderent: tum ibi Taurus, ut mos ejus fuit, satis leniter. Certi, inquit, sumus, vir bone, non ignorare te, quid vena appelletur, & quid arteria; quod venæ quidem suapte vi immobiles sint, & sanguinis tantùm demittendi gratia explorentur; arteriæ autem motu atque pulsu suo habitum

tum & modum febrium demonſtrent: ſed, ut video, pervolgatè magis quàm inſcitè loquutus es. non enim te ſolum, ſed alios quoque itidem errantes audivi venam pro arteria dicere. fac igitur ut experiamur eligantiorem eſſe te in medendo, quàm in dicendo; & cum diis bene volentibus opera tua ſiſtas hunc nobis ſanum atque validum quam citiſſime. Hoc ego poſtea quum in medico reprehenſum eſſe meminiſſem; exiſtimavi non medico ſoli, ſed omnibus quoque hominibus liberis liberaliterque inſtitutis turpe eſſe, ne ea quidem cognoviſſe ad notitiam corporis noſtri pertinentia, quæ non altiùs occultiuſque remota ſunt; & quæ natura nobis tuendæ valetudinis cauſa & in promtu eſſe & in propatulo voluerit; ac propterea, quantum temporis habui ſubſicivi, medicinæ quoque libros attigi, quos arbitrabar eſſe idoneos ad docendum, & ex his, cùm alia pleraque ab iſto humanitatis uſu non aliena, tum de venis quoque & arteriis didiciſſe videor ad hunc fermè modum: vena eſt conceptaculum ſanguinis, quod ἀΐγεῖον medici vocant, mixti confuſique cum ſpiritu naturali; in quo plus ſanguinis eſt, minus ſpiritus. arteria eſt conceptaculum ſpiritus naturalis mixti confuſique cum ſanguine: in quo plus ſpiritus eſt, minus ſanguinis. σφυγμὸς autem eſt intentio motus & remiſſio in corde & in arteria naturalis non arbitraria. à medicis autem veteribus oratione Græca ita definitus eſt: σφυγμός ἐστιν διαστολὴ καὶ συστολὴ ἀδιαίρετος ἀρτηρίας καὶ καρδίας.

CAP. XI.

Verba ex carminibus Furii Antiatis inſcitè à Cæſellio Vindice reprehenſa, verſuſque ipſi, in quibus ea verba ſunt, ſubſcripti.

Non hercle idem ſentio cum Cæſellio Vindice grammatico, ut mea opinio eſt, haud quaquam inerudito: verùm hoc tamen petulanter inſcitéque, quod

Furium veterem poëtam dedecorasse linguam Latinam scripsit hujuscemodi vocum fictionibus, quæ mihi quidem neque abhorrere à poëtica facultate visa sunt, neque dictu profatuque ipso tætræ aut insuaves esse: sicuti sunt quædam alia ab illustribus poëtis ficta durè & rancidè. Quæ reprehendit autem Cæsellius Furiana, hæc sunt: quod terram in lutum versam *lutescere* dixerit; & tenebras in noctis modum factas *noteſcere*; & pristinas reciperare vires *virescere*; & quod ventus mare cæruleum crispicans nitefacit, *purpurat* dixerit: & opulentum fieri *opulescere*. Versus autem ipsos ex poëmatis Furianis, in quibus hæc verba sunt, subdidi:

Sanguine diluitur tellus. Cava terra lutescit.
Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ.
Increscunt animi. virescunt vulnere vires.
Hic fulica levis volitat super æquora classis:
Spiritus Eurorum viridis quum purpurat undas,
Quo magis in patriis possint opulescere campis.

CAP. XII.

Morem istum veteribus nostris fuisse, verba patiendi *mutare ac vertere in* agendi *modum.*

Id quoque habitum est in oratione facienda eligantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent: ac deinde hæc vice inter se mutua verterent. Juventius in comœdia:

Pallium, inquit, *face ut splendeat.*

nonne hoc impendio venustius gratiusque est, quàm si diceret, *ne maculetur?* Plautus etiam non dissimiliter,

Quid est hoc? rugat pallium. amictus non sum commodè.

itidem Plautus, *pulveret*, dicit, quod non pulvere impleat, sed quod ipsum pulveris plenum sit:

—— —— *Exi tu Dave,*

Age,

Age, sparge: mundum esse hoc vestibulum volo,
Venus ventura est nostra. non hoc pulveret.

in Asinaria quoque *contemples* dicit, pro *contempleris*.

Mecum caput contemples, si quidem è re consultas tua.

Cn. Vellius in annalibus: *Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit.* M. Cato in Originibus, *Eodem convenæ complures ex agro accessitavere. eo res eorum auxit.* Varro in libris, quos ad Marcellum de lingua Latina fecit: *In priore verbo graves prosodiæ, quæ fuerunt, manent. reliquæ mutant. mutant*, inquit elegantissimè, pro, *mutantur*. Potest etiam id quoque ab eodem Varrone in VII Divinarum similiter dictum videri: *Inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam & Tulliam, est animum advertere.* Verba autem patiendi pro agentibus, in omnibus fermè veterum scriptis, reperiuntur: ex quibus sunt pauca ista, quæ nunc meminimus. *Muneror te*, pro *munero*: & *significor*, pro *significo*: & *sacrificor*, pro *sacrifico*: & *assentior*, pro, *assentio*: & *feneror*, pro, *fenero*: & *pigneror*, pro, *pignero*: & alia istiusmodi pleraque, proinde ut in legendo fuerint obvia, notabuntur.

CAP. XIII.

Quali talione Diogenes philosophus usus sit pertentatus à dialectico quodam sophismatio imperiti.

Saturnalibus Athenis alea quadam festiva & honesta lusitabamus hujuscemodi. Ubi convenerant is complusculi ejusdem studii homines, ad lavandi tempus captiones, quæ sophismata appellantur, mente agitabamus; easque quasi talos aut tesserulas in medium vice sua quisque jaciebamus. captionis solutæ aut parum intellectæ præmium pœnave erat nummus sestertius unus. hoc ære collecto, quasi manuario, cœnula curabatur

batur omnibus, qui eum lusum luseramus. erant autem captiones ad hoc ferè exemplum; tametsi Latina oratione non satis scitè ac pœnè etiam illepidè exponuntur. *quod nix est, hoc grando non est. nix autem alba est. grando igitur alba non est.* Item aliud non dissimile: *quod homo est, hoc non est equus. homo autem animal est. equus igitur animal non est.* Dicere ergo debebat, qui ad sophisma diluendum ac refellendum ritu aleatorio vocatus erat, in qua parte quoque in verbo captio foret: quid dari concedique non oporteret, nisi dixerat; nummo singulo multabatur: ea multa cœnam juvabat. libet autem dicere, quàm facetè Diogenes sophisma id genus, quod suprà dixi, ei quodam dialectico ex Platonis diatriba per contumeliam propositum remuneratus sit. nam quum ita rogasset dialecticus: *quod ego sum, id tu non es*, & Diogenes annuisset: atque ille addidisset; *homo autem ego sum*: quum id quoque assensus esset, & contrà dialecticus ita concluisset; *homo igitur tu non es*: hoc quidem, inquit Diogenes, falsum est, &, si verum id fieri vis, à me incipe.

CAP. XIV.

Quid sit numerus hemiolios, quid epitritos: & quòd vocabula ista non facile nostri ausi sunt vertere in linguam Latinam.

Figuræ quædam numerorum, quas Græci certis nominibus appellant, vocabula in lingua Latina non habent, sed qui de numeris Latinè scripserunt, Græca ipsa dixerunt. fingere autem nostra, quoniam id absurdè futurum erat, noluerunt. quale enim fieri nomen posset hemiolio numero aut epitrito? est autem *hemiolios*, qui numerum aliquem in sese habet, dimidiumque ejus: ut tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti. *epitritos* est, qui habet totum aliquem numerum

rum & ejusdem partem tertiam: ut quatuor ad tres, duodecim ad novem, quadraginta ad triginta. hæc autem notare meminisséque non esse abs re visum est: quoniam, vocabula ista numerorum nisi intelliguntur, rationes quædam subtilissimæ in libris philosophorum scriptæ percipi non queunt.

CAP. XV.

Quod M. Varro in heroïs versibus observaverit rem nimis anxiæ & curiosæ observationis.

In longis versibus, qui hexametri vocantur, item in senariis, animadverterunt metrici duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud umquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis. Marcus etiam Varro, in libris disciplinarum, scripsit observasse se in versu hexametro: quòd omni-modo quintus semipes verbum finiret: & quòd priores quinque semipedes æquè magnam vim haberent in efficiendo versu, atque alii posteriores septem: idque ipsum ratione quadam geometrica fieri differit.

LIBER NONUS DECIMUS.

CAPUT I.

Responsio cujusdam philosophi interrogati quam ob causam maris tempestate palluerat.

NAVIGABAMUS à Cassiopeia ad Brundisium, mare Jonium violentum & vastum & jactabundum. Nox deinde, quæ diem primum sequuta est, in ea ferè tota ventus à latere sæviens navem undis compleverat. tum postea com-

complorantibus noſtris omnibus atque in ſentina ſatis agentibus dies quidem tandem illuxit: ſed nihil de periculo, neque de ſævitia amiſſum, quin turbines etiam crebriores, & cœlum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas πρῶνας vocabant, impendere imminereque ac depreſſuræ navem videbantur. In eadem fuit philoſophus in diſciplina Stoïca celebratus, quem ego Athenis cognoveram, non parva virum auctoritate, ſatiſque attentè diſcipulos juvenes continentem. Eum tunc in tantis periculis inque illo tumultu cœli mariſque requirebam oculis; ſcire cupiens, quonam ſtatu animi & an interritus intrepiduſque eſſet. atque ibi hominem conſpicimus impavidum & extrilidum ploratus quidem nullos, ſicuti cæteri omnes, nec ullas ejuſmodi voces cientem, ſed coloris & vultus turbatione non multum à cæteris differentem. At ubi cœlum enituit, & deferbuit mare, & ardor ille periculi deflagravit, accedit ad Stoïcum Græcus quiſpiam dives ex Aſia, magno, ut videbamus, cultu paratuque rerum & familiæ, atque ipſe erat multis corporis animique deliciis diffluens. Is quaſi illudens, Quid hoc eſt, inquit, ô philoſophe, quod quum in periculis eſſemus, timuiſti tu & palluiſti? ego neque timui neque pallui. & philoſophus aliquantum cunctatus an reſpondere ei conveniret, Si quid ego, inquit, in tanta violentia tempeſtatum videor paulum pavefactus; non tu iſtius rei ratione audienda dignus es. ſed tibi ſanè Ariſtippus ille pro me reſponderit: qui, in ſimili tempore à ſimilimo tui homine interrogatus, quare philoſophus timeret, quum ille contrà nihil metueret, non eamdem eſſe cauſam ſibi atque illi reſpondit. quoniam is quidem eſſet non magno opere ſollicitus pro anima nequiſſimi nebulonis; ipſum autem pro Ariſtippi anima timere. his tunc verbis Stoïcus divitem illum Aſiaticum à ſeſe amolitus eſt. ſed poſtea quum Brundiſium adventaremus, mol-

mollitique essent venti maris : percontatus eum sum, quænam illa ratio esset pavoris sui, quam dicere ei superfedisset, à quo fuerat non satis digne compellatus. atque ille mihi placide & comiter, Quoniam, inquit, audiendi cupidus es, audi quid super isto brevi quidem sed necessario & naturali pavore majores nostri conditores sectæ Stoïcæ senserint ; vel potius, inquit, lege : & facilius credideris si legas, & memineris magis. atque ibi coram ex sarcinula sua librum protulit Epicteti philosophi quintum Ἀμαλέξεων; quas ab Arriano digestas congruere scriptis Zenonis & Chrysippi non dubium est. in eo libro Græca scilicet oratione scriptum ad hanc sententiam legimus: Visa animi, quas φαντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis ad animū rei pellitur, non voluntatis sunt neque arbitraria; sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. noscitandæ probationes autem quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur ac dijudicantur, voluntariæ sunt, fiuntque hominum arbitratu. propterea quum sonus aliquis formidabilis aut è cœlo aut ex ruina aut repentinus nescius periculi nuncius vel quid aliud ejusmodi factum; sapientis quoque animum paulisper moveri, & contrahi, & pallescere necessum est; non opinione alicujus mali præcepta, sed quibusdam motibus rapidis & inconsultis officium mentis atque rationis prævertentibus. mox tamen ille sapiens ibidem τὰς τοιαύτας φαντασίας, visa isthæc animi sui terrifica non approbat : hoc est, οὐ συγκατατίθεται οὐδ' ἀποδοκάζει, sed abjicit respuitque ; nec ei metuendum esse in his quicquam videtur. Atque hoc inter insipientis sapientisque animum differre dicunt, quod insipiens, qualia esse primo animi sui pulsu visa sunt sæva & aspera, talia esse vero putat ; & eadem incepta, quæ quasi jure metuenda sint, sua quoque assensione approbat, καὶ προσποδοκάζει. hoc enim verbo Stoïci, quum super ista re differunt,

utun-

utuntur. ſapiens autem, quum breviter & ſtrictim colore atque vultu motus eſt, οὐ συγκατατίθεται, ſed ſtatum vigoremque ſententiæ ſuæ retinet, quam de hujuſcemodi viſis ſemper habuit ut de minime metuendis, ſed fronte falſa & formidine inani territantibus. Hæc Epictetum philoſophum ex decretis Stoïcorum ſenſiſſe atque dixiſſe in eo, quo dixi, libro legimus. annotandaque eſſe idcirco exiſtimavimus, ut rebus forte id genus, quibus dixi, obortis, paveſcere ſenſim & quaſi albeſcere, non inſipientis eſſe hominis neque ignavi putemus: & in eo tamen brevi motu naturali magis infirmitati cedamus, quam, quòd eſſe, ea qualia viſa ſunt cenſeamus.

CAP. II.

Ex quinque corporis ſenſibus duos eſſe cum belluis maximè communes.

Quinque ſunt hominum ſenſus, quos Græci αἰσθήσεις appellant, per quos voluptas animo aut corpori quæri videtur, guſtus, tactus, odoratus, viſus, auditus. Ex his omnibus quæ immodicè voluptas capitur, ea turpis atque improba exiſtimatur. ſed enim quæ nimia ex guſtu atque tactu eſt, ea voluptas, ſicuti ſapientes viri cenſuerunt, omnium rerum fædiſſima eſt; eoſque maximè, qui duabus iſtis belluinis voluptatibus ſeſe dediderunt, graviſſimi vitii vocabulis Græci appellant, vel ἀκολάστους, vel ἀκρατεῖς. nos eos vel incontinentes dicimus, vel intemperantes. ἀκολάστους enim, ſi interpretari coactius velis, nimis id verbum inſolens erit. iſtæ autem voluptates duæ guſtus atque tactus, id eſt, libidines in cibos atque in venerem prodigæ, ſolæ ſunt hominibus communes cum beſtiis, & iccirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quiſquis eſt his ferinis voluptatibus prævinctus. cæteræ ex tribus

bus aliis ſenſibus proficiſcentes, hominum eſſe tantùm propriæ videntur. Verba ſuper hac re Ariſtotelis philoſophi adſcripſi; ut vel auctoritas clari atque incluti viri tam infamibus nos voluptatibus deterreret. διὰ τί οἱ κατὰ τὴν τῆς ἁφῆς ἢ γεύσεως ἡδονὴν γιγνομένην ἂν ὑπερβάλλωσιν, ἀκρατεῖς λέγονται. οἵ τε γὰρ περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἀκόλαστοι, οἵ τε περὶ τὰς τῆς τροφῆς ἀπολαύσεις. τῶν δὲ κατὰ τὴν τροφὴν, ἀπ' ἐνίων μὲν ἐν τῇ γλώττῃ τὸ ἡδύ· ἀπ' ἐνίων δὲ, ἐν τῷ λάρυγγι. διὸ καὶ Φιλόξενος γεράνου λάρυγγα εὔχετο ἔχειν. οἱ δὲ κατὰ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ἀκοὴν, οὐκέτι; ἢ διὰ τὸ τὰς ἀπὸ τούτων γινομένας ἡδονὰς, κοινὰς εἶναι ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις· ἅτε οὖν οὖσαι κοιναὶ, ἀτιμόταται εἰσί· διὸ καὶ μάλιστα ἢ μόναι ἐπονείδιστοι· ὥστε τὸν ὑπὸ τούτων ἡττώμενον, ψέγομεν, καὶ ἀκρατῆ καὶ ἀκόλαστον λέγομεν, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν χειρίστων ἡδονῶν ἡττᾶσθαι. οὐσῶν δὲ τῶν αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο μόνων τῶν προειρημένων ἥδεται. κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἢ ὅλως οὐχ ἥδεται, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει, &c. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus iſtis duabus coëundi atque comedendi, quæ ſunt homini cum ſue atque aſino communes, gaudeat? Socrates quidem dicebat multos homines propterea velle vivere, ut ederent & biberent; ſe bibere atque eſſe ut viveret. Hippocrates autem, divina vir ſcientia, de coïtu venereo ita exiſtimabat, partem eſſe quamdam morbi tæterrimi, quem noſtri comitialem dixerunt. namque ipſius verba hæc traduntur, τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν.

CAP. III.

Quòd turpius eſt frigidè laudari, quàm acerbius vituperari.

Turpius eſſe dicebat Favorinus philoſophus exiguè atque frigidè laudari, quàm inſectanter & graviter vituperari. Quoniam, inquit, qui maledicit & vitupe-

rat, quanto id acerbius facit, tam maxime ille pro iniquo & inimico ducitur, & plerumque propterea fidem non capit. sed qui infecundè atque jejunè laudat, destitui à causa videtur : & amicus quidem creditur ei quem laudare vult, sed nihil posse reperire quod jure laudet.

CAP. IV.

Quamobrem venter repentino timore effluat, quare etiam ignis urinam lacessat.

Aristotelis libri sunt, qui problemata physica inscribuntur, lepidissimi & elegantiarum omne genus referti. in his quærit, quam ob causam eveniat, ut quibus invasit repentinus rei magnæ timor, plerumque alvo statim cita fiant. item quærit, cur accidat, ut eum, qui propter ignem diutius stetit, libido urinæ lacessat. ac de alvo quidem inter timendum prona atque præcipiti causam esse dicit, quòd timor omnis sit algificus, quem ille appellat ψυχροποιὸν, eaque vi frigoris sanguinem caldoremque omnem de summa corporis cute cogat penitus & depellat, faciatque simul uti, qui timent, sanguine ex ore decedente pallescant : Is autem, inquit, sanguis & caldor in intima coactus movet plerumque alvum & incitat. De urina crebra ex igni proximo facta, verba hæc posuit : τὸ δ' πῦρ ἀμφολᾷ τὸ πεπηγὸς ὥσπερ ὁ ἥλιος τὴν χόνα.

CAP. V.

Ex Aristotelis libris sumtum, quòd nivis aqua potui pessima sit, & quòd ex nive crystallus concrescat.

In Tiburte rus concesseramus hominis amici divitis, æstate anni flagrantissima, ego & quidam alii æquales & familiares mei, eloquentiæ aut philosophiæ sectato-

ctatores. erat nobiscum vir bonus ex Peripatetica disciplina, bene doctus, & Aristotelis unice studiosissimus. is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coërcebat, severiusque increpabat. adhibebat nobis auctoritates nobilium medicorum; & cumprimis Aristotelis philosophi rei omnis humanæ peritissimi: qui aquam nivalem frugibus sane & arboribus fecundam diceret, sed hominibus potu nimio insalubrem esse; tabemque & morbos sensim atque in diem longam visceribus inseminare. hæc quidem ille ad nos prudenter & benivole & assidue dictitabat. Sed quum bibendæ nivis pausa fieret nulla; promit è bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo satis commode instructa libris erat, Aristotelis librum, eumque ad nos adfert. &, hujus saltem, inquit, viri sapientissimi verbis credite; ac desinite valetudinem vestram profligare. In eo libro scriptum fuit, deterrimam esse potu aquam è nive; itemque solidiùs latiúsque concretam esse eam, quam κρύσταλλον Græci appellant; causaque ibi adscripta est hujuscemodi: Quoniam, quum aqua frigore aëris duratur & coit, necesse est fieri vaporationem, & quamdam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea & emanare. id autem, inquit, in ea levissimum est, quod evaporatur, manet autem quod est gravius & sordidius & insalubrius: atque id pulsu aëris verberatum in modum coloremque spumæ candidæ oritur. sed aliquantum, quod est salubrius, difflari atque evaporari ex nive, indicium illud est, quòd minor fit illa, quæ ante fuerat quàm concresceret. Verba ipsa Aristotelis ex eo libro pauca sumsi & adscripsi: διὰ τί ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων ὕδατα φαῦλά ἐστιν; ὅτι παντὸς ὕδατος πηγνυμένου τὸ λεπτότατον διαπνεῖται, καὶ κουφότατον ἐξατμίζει. σημεῖον δὲ ὅτι ἔλαττον γίνεται ἢ πρότερον ὅταν τακῇ παγέν· ἐπεληλυθότος οὖν τοῦ ὑγιεινοτάτου ἀνάγκη τὸ καταλειπόμενον χεῖρον εἶναι. Hoc ubi legimus, placuit honorem doctissimo viro haberi Aristoteli: atque

ita postea ego bellum & odium nivi indixi; alii inducias cum ea varie factitabant.

CAP. VI.

Quòd pudor sanguinem ad extera diffundit, timor verò contrahit.

In problematis Aristotelis philosophi ita scriptum est: διὰ τί οἱ μὲν αἰσχυνόμενοι ἐρυθριῶσιν, οἱ δὲ φοβούμενοι ὠχρεῶσιν, παραπλησίων τῶν παθῶν ὄντων· ὅτι τὸ μὲν αἰσχυνομένων διαχεῖται τὸ αἷμα ἐκ τῆς καρδίας εἰς ἅπαντα τὰ μέρη τοῦ σώματος, ὥστε ἐπιπολάζειν. τοῖς δὲ φοβηθεῖσι συντρέχει εἰς τὴν καρδίαν, ὥστ' ἐκλείπειν ἐκ τῶν ἄλλων μερῶν. hoc ego Athenis quum Tauro nostro legissem; percunctatusque essem quid de ratione ista reddita sentiret? Dixit quidem, inquit, probe & vere quid accideret diffuso sanguine aut contracto: sed cur ita fieret non dixit. adhuc enim quæri potest, quam ob causam pudor sanguinem diffundat, timor contrahat; quum sit pudor species timoris: atque ita definiatur, timor justæ reprehensionis. ita enim philosophi definiunt, αἰσχύνη ἐστιν φόβος δικαίου ψόγου.

CAP. VII.

Quid sit obesum: *nonnullaque alia prisca vocabula.*

In agro Vaticano Julius Paulus, poëta, vir bonus, & rerum litterarumque veterum impense doctus, herediolum tenue possidebat. eò sæpe nos ad sese vocabat, & olusculis pomisque satis comiter copioseque invitabat. atque ita molli quodam tempestatis autumnæ die ego & Julius Celsinus, quum ad eum cœnassemus & apud mensam ejus audissemus legi Levii Alcestin, rediremusque in urbem, sole jam ferè occiduo; figuras habitusque verborum novè aut insigniter dictorum in Le-

viano

viano illo carmine ruminabamur: &, ut quæque vox indidem digna animadverti subvenerat, qua nos quoque possemus uti, memoriæ mandabamus. erant autem verba, quæ tunc suppetebant, hujuscemodi:

Corpore, inquit, *pectoreque undique obeso,*
Ac mente exsensa, tardigenulo senio oppressum.

obesum hic notavimus propriè magis, quàm usitatè dictum, pro exili atque gracilento. Vulgus enim ἀκύρως vel κατ' ἀντίφρασιν *obesum* pro pingui atque uberi dicit. item notavimus, quòd *oblitteram* gentem, pro *oblitterata* dixit. item quòd hostes qui fœdera frangerent, *fœdifragos*, non *fœderifragos* dixit. item quòd *rubentem auroram*, *pudoricolorem* appellavit, & *Memnonem noctricolorem*. item quod *fortè dubitanter*, & ab eo quod est *silco*, *silenta* loca dixit, & *pulverulenta*, & *pestilenta*, & *carendum tui est*, pro *te*, quodque *magno impete*, pro *impetu*, item quod *fortescere* posuit, pro *fortem fieri*: quodque *dolentiam* pro *dolore*, & *avens* pro *libens*: item *curis intolerantibus*, pro *intolerandis*: quodque *manciolis*, inquit, *tenellis*, pro *manibus*, & *quis tam siliceo?* item, *fiere*, inquit, *impendio infit*, id est, *impense fieri incipit*, quodque *accipitret* posuit, pro *jaceret*. His nos inter viam verborum Levianorum annotatiunculis oblectabamus. cætera enim, quæ videbantur nimium poëtica, & prosæ orationis usu alieniora, prætermisimus: veluti fuit quod de Nestore ait, *trisæclisenex*, & *dulcioreloquus*: item quod de tumidis magnisque fluctibus inquit, *multigrumis*: & flumina gelu concreta *tegmine* esse *onychino* dixit: & quæ multiplicia ludens composuit; quale illud est quod *vituperones* suos *subducti supercilii carptores* appellavit.

CAP. VIII.

Quæstio an harena, cœlum, triticum, *pluralia inveantur: atque inibi de* quadrigis, inimicitiis, *nonnullis præterea vocabulis, an singulari numero comperiantur.*

Adolescentulus Romæ, priusquam Athenas concederem, quando erat à magistris auditionibusque obëundis otium, ad Frontonem Cornelium visendi gratia pergebam; sermonibusque ejus purissimis bonarumque doctrinarum plenis fruebar. nec umquam factum est, quotiens eum vidimus loquentemque audivimus, quin rediremus fere cultiores doctioresque, veluti fuit illa quodam die sermocinatio illius, levi quidem de re, sed à Latinæ tamen linguæ studio non abhorrens. nam quum quispiam familiaris ejus bene eruditus homo, tum poëta illustris, liberatum esse se aquæ intercutis morbo diceret, quòd harenis calentibus esset usus: tum illudens Fronto, Morbo quidem, inquit, cares; sed verbi vitio non cares. Cajus enim Cæsar ille perpetuus dictator Cn. Pompeji socer, à quo familia & appellatio Cæsarum deinceps propagata est, vir ingenii præcellentis, sermonis præter alios suæ ætatis castissimi, in libris, quos ad M. Ciceronem de Analogia conscripsit, *harenas* vitiose dici existimat; quòd *harena* numquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque *cœlum* neque *triticum*; contrà autem *quadrigas*, etiamsi currus unus equorum quatuor junctorum agmen unum sit, plurativo semper numero dicendas putat; sicut *arma* & *mœnia* & *comitia* & *inimicitias*: ni quid contra ea dicis poetarum pulcherrime, quo & te purges & non esse id vitium demonstres. De *cœlo*, inquit ille, & *tritico* non inficias eo, quin singulo semper numero dicenda sint, neque de *armis* & *mœniis* & *comitiis* quin figura multitudinis

dinis perpetua censeantur; videbimus autem post de *inimicitiis* & *quadrigis*. ac fortassean de *quadrigis* veterum auctoritati concessero; *inimicitiam* tamen, sicut *inscientiam* & *impotentiam* & *injuriam*, quæ ratio est quamobrem C. Cæsar vel dictam esse à veteribus vel dicendam à nobis non putat? quando Plautus, linguæ Latinæ decus, *deliciam* quoque ἐνικῶς, dixerit, pro deliciis?

Mea, inquit, *voluptas*, *mea delicia*.

inimicitiam autem Q. Ennius illo memoratissimo libro dixit:

Eo, inquit, *ingenio natus sum: amicitiam*
Atque inimicitiam in fronte promtam gero.

sed enim *harenas* parum Latine dici, quis, oro te, alius aut scripsit aut dixit? ac propterea peto, ut, si C. Cæsaris liber præ manibus est, promi jubeas: ut, quam confidenter hoc dicat, æstimari à te possit. tunc, prolato libro de analogia primo, verba hæc ex eo pauca memoriæ mandavi. nam quum prædixisset neque *cælum triticumve* neque *harenam* multitudinis significationem pati: *Num tu*, inquit, *harum rerum natura accidere arbitraris, quod unam terram & plures terras & urbem & urbes & imperium & imperia dicamus, neque quadrigas in unam nominis figuram redigere neque harenam in multitudinis appellationem convertere possimus?* his deinde verbis lectis sibi Fronto ad illum poëtam, Videturne tibi, inquit, C. Cæsar de statu verbi contra te satisque aperte satisque constanter pronunciasse? Tum permotus auctoritate libri poëta, Si à Cæsare, inquit, jus provocandi foret, ego nunc ab hoc Cæsaris libro provocassem. sed quoniam ipse rationem sententiæ suæ reddere supersedit; nos te nunc rogamus, ut dicas quam esse causam vitii putes, & in *quadriga* dicenda & in *harenis*. Tum Fronto ita respondit, *Quadrigæ* semper, etsi multijugæ non sunt, multitudinis tamen numero tenentur: quoniam quatuor simul equi juncti *quadrigæ* quasi *quadrijugæ*

drijugæ vocantur. neque debet prorsus appellatio equorum plurium includi in singularis numeri unitatem. Eamdemque ibi rationem habendam, sed in specie dispari; nam quum *harena* singulari numero dicta multitudinem tamen & copiam significet minimarum, ex quibus constat, partium; indocte & insicite *harenæ* dici videntur: tamquam id vocabulum indigeat numeri amplitudine, quum ei singulariter dici ingenita sit naturalis sui multitudo. sed hæc ego, inquit, non ut hujus sententiæ legisque fundus subscriptorque fierem: sed ut ne Cæsaris viri docti opinionem ἀπαραμύθητον destituerem. nam quum *cœlum* semper ἑνικῶς dicatur, *mare* & *terra* non semper, & *pulvis*, *ventus*, & *fumus*, non semper: cur *inducias* & *cæremonias* scriptores veteres nonnumquam singulari numero appellaverunt: *ferias* & *nundinas* & *inferias* & *exsequias* numquam, cur *mel* & *vinum* atque id genus cætera, numerum multitudinis capiunt: *lac* non capiat? quæri, inquam, ista omnia & enucleari & excuti ab hominibus negotiosis in civitate tam occupata non queunt. Quin his quoque ipsis, quæ jam dixi, demoratos vos esse video, alicui, opinor, negotio destinatos. ite ergo nunc: &, quando forte erit otium, quærite an *quadrigam* & *harenas* dixerit è cohorte illa dumtaxat antiquiore, vel oratorum aliquis vel poëtarum, id est, clasficus assiduusque aliquis scriptor, non proletarius. Hæc quidem Fronto requirere nos jussit vocabula: non ea re, opinor, quod scripta esse in nullis veterum libris existimaret: sed ut nobis studium lectitandi in quærendis rarioribus verbis exerceret. Quod unum ergo rariſſimum videbatur, invenimus *quadrigam* numero singulari dictam in libro satirarum M. Varronis, qui inscriptus est, *Exdemetricus*. *harenas* autem πληθυντικῶς dictas minore studio quærimus: quia præter C. Cæsarem, quod equidem meminerim, nemo id doctorum hominum dedit.

CAP.

CAP. IX.

Antonii Juliani in convivio ad quosdam Græcos lepidissima responsio.

Adolescens è terra Asia, de equestri loco, lætæ indolis, moribusque & fortuna bene ornatus, & ad rem musicam facili ingenio ac libenti, cœnam dabat amicis ac magistris, sub urbe in rusculo, celebrandæ lucis annuæ, quam principem sibi vitæ habuerat. Venerat tum nobiscum ad eamdem cœnam Antonius Julianus rhetor; docendis publicè juvenibus magister, Hispano ore, florentisque homo facundiæ, & rerum litterarumque veterum peritus. is, ubi eduliis finis & poculis mox, sermonibusque tempus fuit, desideravit exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat, scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce & qui psallerent. ac, posteaquam introducti pueri puellæque sunt, jucundum in modum Ἀνακρεόντεια pleraque, & Sapphica, & poëtarum quoque recentium ἐλεγεῖα quædam erotica dulcia & venusta accinerunt. Oblectati autem sumus, præter multa alia, versiculis lepidissimis Anacreontis senis: quos equidem scripsi, ut interea labor hic vigiliarum & inquies suavitate paulisper vocum atque modulorum acquiesceret.

Τὸν ἄργυρον τορεύσας
Ἥφαιστέ μοι ποίησον,
Πανοπλίαν μὲν οὐχί,
(Τί γὰρ μάχαισι κἀμοί;)
Ποτήριον δὲ κοῖλον
Ὅσον δύνῃ βάθυνον.
Ποίει δέ μοι κατ' αὐτὸ
Μήτ' ἄστρα μήθ' ἁμάξας,
Μὴ στυγνὸν Ὠρίωνα.
(Τί Πλειάδεσσι κἀμοὶ,

Τί δ' ἄστρασι Βοώτεω;)
Ποίησον ἀμπέλους μοὶ
Καὶ βότρυας κατ' αὐτὸ
Καὶ χρυσέους πατοῦντας
Ὁμοῦ καλῷ Λυαίῳ
Ἔρωτα καὶ Βάθυλλον.

Tum Græci plusculi, qui in eo convivio erant, homines amœni & nostras quoque litteras haud incuriosè docti, Julianum rhetorem lacessere insectarique adorti sunt tanquam prorsus barbarum & agrestem: qui ortus terra Hispania foret, clamatorque tantùm & facundia rabida jurgiosaque esset: ejusque linguæ exercitationes doceret, quæ nullas voluptates nullamque mulcedinem Veneris atque Musæ haberet: sæpéque eum percontabantur, quid de Anacreonte cæterisque id genus poëtis sentiret, & ecquis nostrorum poëtarum tam fluentes carminum delicias fecisset, nisi Catullus, inquiunt, forte pauca, & Calvus itidem pauca. nam Levius implicata, & Hortensius invenusta, & Cinna illepida, & Memmius dura, ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona. Tum ille pro lingua patria, tanquam pro aris & focis, animo irritato indignabundus, Cedere equidem, inquit, vobis debui, ut in tali asotia atque nequitia artium vinceretis; & sicut in voluptatibus cultus atque victus, ita in cantilenarum quoque multis anteiretis. sed ne nos, id est, nomen Latinum, tamquam profectò vascos quosdam & insubidos ἀναφροδισίας condemnetis: permittite mihi, quæso, operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse ajunt: & audite ac discite nostros quoque antiquiores ante eos, quos nominastis, poëtas amasios ac Venerios fuisse. tum resupinus, capite convelato, voce admodum quàm suavi versus cecinit Valerii Æditui veteris poëtæ, item Por-

Porcii Licinii, & Quinti Catulli: quibus mundius, venustius, limatius, pressius, Græcum Latinumve nihil quicquam reperiri puto. versus Æditui:

Dicere quum conor curam tibi Pamphila cordis:
Quid mî abs te quæram? verba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subido mihi sudor.
Sic tacitus, subidus: duplo ideo pereo.

atque item alios versus ejusdem addidit, non herclè minus dulces quam priores:

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus, hoc lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis sæva exstinguere venti:
Aut imber cœlo candidus præcipitans.
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
Nulla-st quæ possit vis alia opprimere.

item dixit versus Porcii Licinii hosce,

Custodes ovium teneræque propaginis agnûm
Quæritis ignem? ite huc, quæritis? ignis homo-st.
Si digito attigero, incendam silvam simul omnem:
Omne pecus: flamma-st, omnia qua video.

Q. Catulli versus illi fuerunt:

Ausugit mihi animus. credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit. sic est. perfugium illud habet.
Quid si non interdixem, ne illunc fugitivum
Mitteret ad se intrò, sed magis ejiceret?
Ibimus quæsitum. verùm ne ipsi teneamur
Formido. quid ago? da Venus consilium.

CAP. X.

Verba hæc, præter propter, *in usu vulgi prodita etiam Ennii fuisse.*

Memini me quondam & Celsinum Julianum Numidam ad Frontonem Cornelium, pedes tunc graviter ægrum, ire & visere. atque ibi, qui introducti

cti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio Græcienſi, circum undique ſedentibus multis doctrina aut genere aut fortuna nobilibus viris. aſſiſtebant fabri ædium complures balneis novis moliendis adhibiti: oſtendebantque depictas in membranulis varias ſpecies balnearum. ex quibus quum elegiſſet unam formam ſpeciemque veris: interrogavit quantus eſſet pecuniæ conſpectus, ad id ratum opus abſolvendum. quumque architectus dixiſſet neceſſaria videri eſſe ſeſtertia ferme trecenta: unus ex amicis Frontonis & præter propter, inquit, alia quinquaginta. tum Fronto dilatis ſermonibus, quos habere de balnearum ſumtu inſtiterat, adſpiciens ad eum amicum, qui dixerat quinquaginta eſſe alia opus præter propter, quid hoc verbi eſſet, *præter propter*, interrogavit. atque ille amicus, Non meum, inquit, hoc verbum eſt, ſed multorum hominum quos loquentes id audias. quid autem id verbum ſignificet, non ex me, ſed ex grammatico quærendum eſt. ac ſimul digito demonſtrat grammaticum, haud incelebri nomine Romæ docentem, ſedentem. tum grammaticus uſitati pervulgatique verbi obſcuritate motus, Quærimus, inquit, quod honore quæſtionis minime dignum eſt. nam neſcio quid hoc prænimis plebejum eſt, & in opificum ſermonibus, quàm in hominum doctorum, notius. At enim Fronto, jam voce atque vultu intentiore, Itane, inquit, magiſter, dehoneſtum tibi deculpatumque hoc verbum videtur, quo & M. Cato & M. Varro & pleraque ætas ſuperior ut neceſſario & Latino uſi ſunt? atque ibi Julius Celſinus admonuit in tragœdia quoque Ennii, quæ Iphigenia inſcripta eſt, id ipſum de quò quærebatur ſcriptum eſſe, & à grammaticis contaminari magis ſolitum, quam enarrari. quocirca ſtatim proferri Iphigeniam Q. Ennii jubes. in ejus tragœdiæ choro inſcriptos eſſe hos verſus legimus;

Otio qui neſcit uti, plus negoti habet

Quam

Quam quum est negotium in negotio.
Nam cui quod agat institutum est; nullo negotio
Id agit. studet ibi. mentem atque animum delectat suum.
Otioso in otio animus nescit quid velit.
Hoc idem est: neque domi nunc nos nec militiæ sumus,
Imus huc; hinc illuc; quum illuc ventum est, ire illinc lubet,
Incertè errat animus. præter propter vitam vivitur.

Hoc ubi lectum est: tum deinde Fronto ad grammaticum jam labentem, Audistine, inquit, magister optime, Ennium tuum dixisse, *præter propter*, & cum sententia quidem tali, quali severissimæ philosophorum esse objurgationes solent? petimus igitur dicas, quoniam de Enniano jam verbo quæritur, qui sit notus hujusce versus sensus:

Incerte errat animus. præter propter vitam vivitur.

Et grammaticus sudans multum ac rubens multum, quum id plerique prolixius riderent, exsurgit: & abïens, Tibi, inquit, Fronto posteà uni dicam, ne inscitiores audiant ac discant. atque ita omnes, relicta ibi quæstione verbi, consurreximus.

CAP. XI.

Ponit versus Platonis amatorios, quos admodum juvenis lusit, dum tragœdiis contendit.

Celebrantur duo isti Græci versiculi, multorumque doctorum hominum memoria dignantur, quod sint lepidissimi & venustissimæ brevitatis. neque adeo pauci sunt veteres scriptores, qui eos Platonis esse philosophi affirmant; quibus ille adolescens luserit, quum tragœdiis quoque eodem tempore faciendis præluderet.

τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον.
ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Hoc

Hoc distichon amicus meus περὶ ἄμυστον adolescens in pluris versiculos licentiùs liberiusque vertit. qui quoniam mihi quidem visi sunt, non esse memoratu indigni, subdidi.

Dum semihulco savio
Meum puellum savior;
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite:
Animula ægra & saucia
Cucurrit ad labias mihi,
Rictumque in oris pervium,
Et labra pueri mollia,
Rimata itineri transitus,
Ut transiliret nititur.
Tum si moræ quid pluscula
Fuisset in cætu oscula:
Amoris igni percita
Transisset, & me linqueret:
Et mira prorsum res foret,
Ut ad me fierem mortuus,
Ad puerum at intus viverem.

CAP. XII.

Dissertatio Herodis Attici super vi & natura doloris, suæque opinionis affirmatio per exemplum indocti rustici, qui cum rubis fructiferas arbores præcidit.

HErodem Atticum consularem virum Athenis dissérentem audivi Græca oratione: in qua ferè omnis memoriæ nostræ universos gravitate atque copia & elegantia vocum longè præstitit. disseruit autem contra ἀπάθειαν Stoïcorum, lacessitus à quodam Stoïco, tamquam minus sapienter & parum viriliter dolorem ferret ex morte pueri, quem amaverat. In ea dissertione, quan-

quantulum memini, hujuscemodi sensus est: quod nullus usquam homo, qui secundùm naturam sentiret & saperet, affectionibus istis animi quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere & vacare totus posset; atque, si posset etiam obniti ut totis careret; non ex re id melius, quoniam langueret animus & torperet, affectionum quarumdam adminiculis, ut necessario plurimum imperio, privatus. dicebat enim sensus istos motusque animi, qui quum immoderatiores sunt vitia fiunt, innexos implicatosque esse vigoribus quibusdam mentium & alacritatibus. ac propterea, si omnino omnis eos imperitius convellamus, periculum esse ne eis adhærentes bonas quoque & utiles animi indoles amittamus. moderandos esse igitur & scite considerat éque purgandos censebat, ut ea tantùm, quæ aliena sunt, contraque naturam videntur, & cum pernicie agnata sunt, detrahantur: ne profectò id accidat, quod cuipiam Thraco insipienti & rudi in agro, quem emerat, procurando veniisse usu fabula est. Homo Thracus, inquit, ex ultima Barbaria, ruris colendi insolens, quum in terras cultioris, humanioris vitæ cupidine, commigrasset; fundum mercatus est, oleo atque vino constitutum. qui nihil admodum super vite aut arbore colenda sciret, videt forte vicinum rubos late atque alte obortas excidentem, fraxinos ad summum prope verticem deputantem, suboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas revellentem, stolones in pomis aut in oleis proceros, atque decretos amputantem: accedítque prope, & cur tantam ligni atque frondium cædem faceret percunctatus est. & vicinus ita respondit; Ut ager, inquit, mundus purusque fiat, ejus arbor atque vitis fecundior. Discedit ille à vicino gratias agens, & lætus tamquam adeptus rei rusticæ disciplinam, tum falcem ibi ac securim capit; atque ibi homo miser imperitus vites suas sibi omnes & oleas detruncat; comasque arbo-

arborum lætissimas uberrimosque vitium palmites decidit. & frutecta atque virgulta simul omnia, pomis frugibusque gignendis felicia, cum sentibus & rubis purificandi agri gratia convellit; malà mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus. Sic, inquit, isti apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos & intrepidos & immobiles volunt, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioris animi officiis amputatis, in corpore ignavæ & quasi enervatæ vitæ consenescunt.

CAP. XIII.

Quos pumiliones *dicimus, Græcè νάνες appellari.*

Stabant forte unà in vestibulo palatii fabulantes Fronto Cornelius & Festus Postumius & Apollinaris Sulpicius. atque ego ibi assistens, cum quibusdam aliis, sermones eorum quos de literarum disciplinis habebant, curiosius captabam. tum Fronto Apollinari, Fac me, inquit, oro, magister, ut sim certus, an recte supersederim *nanos* dicere parva nimis statura homines, maluerimque eos *pumiliones* appellare: quoniam hoc scriptum esse in libris veterum memineram: *nanos* autem sordidum esse verbum & barbarum credebam. Est quidem hoc, inquit Apollinaris, in consuetudine imperiti vulgi frequens, sed barbarum non est, censeturque linguæ Græcæ origine: νάνες enim Græci vocaverunt brevi atque humili corpore homines paulum supra terram exstantes. Idque ita dixerunt, adhibita quadam ratione etymologiæ cum sententia vocabuli competente. &, si memoria, inquit, mihi non labat, scriptum hoc est in comœdia Aristophanis, cui nomen est, Ἀχλαής. Fuisset autem verbum hoc à te civitate donatum aut in Latinam coloniam deductum, si tu eo uti dignatus fores, esset-

esſetque id impendio probabilius, quàm quæ à Laberio ignobilia nimis & sordentia in usum linguæ Latinæ intromissa sunt. Tum Festus Postumius grammatico cuipiam Latino, Frontonis familiari, Docuit, inquit, nos Apollinaris *nanos* verbum Græcum esse. tu nos doce, in quo de mulis aut equuleis humilioribus vulgò dicitur, anne Latinum sit: & apud quem scriptum reperiatur. Atque ille grammaticus, homo sanè perquam in noscendis veteribus scriptis exercitus, si piaculum, inquit, non committitur præsente Apollinari quid de voce illa Græca Latinave sentiam dicere; audeo tibi, Feste, quærenti respondere: esse hoc verbum Latinum: scriptumque inveniri in poëmatis Helvii Cinnæ non ignobilis neque indocti poëtæ. Versusque ejus ipsos dixit; quos, quoniam memoriæ mihi fortè aderant, adscripsi:

At nunc me geniana per salicta
Binis rheda rapit citata nanis.

CAP. XIV.

Contemporaneos fuisse Cæsari & Ciceroni M. Varronem & P. Nigidium ætatis suæ doctissimos Romanos, & quod Nigidii commentationes propter earum obscuritatem subtilitatemque in vulgus non exeunt.

AEtas M. Ciceronis & C. Cæsaris præstanti facundia viros paucos habuit: doctrinarum autem multiformium variarumque artium, quibus humanitas erudita est, columina habuit M. Varronem & P. Nigidium. Sed Varronis quidem monumenta rerum ac disciplinarum, quæ per litteras condidit, in propatulo frequentique usu feruntur. Nigidianæ autem commentationes non proinde in vulgus exeunt: & obscuritas subtilitasque earum tamquam parum utilis derelicta est. sicuti sunt quæ paulo ante legimus in commentariis ejus

quos grammaticos inscripsit. ex quibus quædam ad demonstrandum scripturæ genus exempli gratia sumsi. nam quum de natura atque ordine litterarum differeret, quas grammatici vocales appellant, verba hæc scripsit, quæ reliquimus inenarrata ad exercendam legentium intentionem. *A & O semper principes sunt: I & V semper subditæ. E & subit & præit. in Euripo præit; subit in AEmilio. si quis putat præire V, in his verbis, Valerius, Vennonius, Volusius; aut I in his, jampridem, jecur, jocum, jucundum; errabit: quod hæ litteræ quum præeunt ne vocales quidem sunt.* Item ex eodem libro verba hæc sunt: *Inter litteram N & G est alia vis: ut in nomine anguis & angaria & ancoræ & increpat & incurrit & ingenuus. in omnibus enim his non verum N, sed adulterinum ponitur. Nam, N, non esse lingua indicio est. nam si ea littera esset: lingua palatum tangeret.* Alio deinde in loco ita scriptum: *Græcos non tantæ insitiæ arcesso, qui Ou ex O & Y scripserunt, quantæ, qui, Ei, ex E & I. Illud enim inopia fecerunt, hoc nulla re subacti.*

LIBER VIGESIMUS.

CAPUT I.

Disceptatio Sex. Cæcilii jureconsulti & Favorini philosophi de legibus duodecim tabularum.

SEXTUS Cæcilius, in disciplina juris atque legibus populi Romani noscendis interpretandisque, scientia, usu, auctoritateque illustri fuit. ad eum fortè in area Palatina, quum salutationem Cæsaris opperiremur, philosophus Favorinus accessit; colloquutusque est, nobis multisque aliis præsentibus. In illis tunc eorum sermonibus orta mentio est legum decemviralium: quas decemviri ejus rei

rei gratia à populo creati composuerunt, inque duodecim tabulas conscripserunt. Eas leges quum Sex. Cæcilius, inquisitis exploratisque multarum urbium legibus, eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas diceret: Sit hoc, inquit Favorinus, in pleraque earum legum parte, ita uti dicis. non enim minus cupidè tabulas istas XII legi, quam illos decem libros Platonis de legibus, sed quædam istic esse animadvertuntur aut obscurissima, aut dura; aut lenia contrà nimis & remissa; aut nequaquam ita, ut scriptum est, consistentia. Obscuritates, inquit Sex. Cæcilius, non assignemus culpæ scribentium, sed inscientiæ non assequentium. quamquam hi quoque ipsi, qui quæ scripta sunt minus percipiunt, culpa vacant. nam longa ætas verba atque mores veteres oblitteravit, quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa est. Trecentesimo quoque anno post Romam conditam tabulæ compositæ scriptæque sunt. à quo tempore, ad hunc diem, anni esse non longè minus septingenti videntur. Durè autem scriptum esse in istis legibus quid existimari potest? nisi duram esse legem putas, quæ judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse convictus est, capite pœnitur: aut quæ furem manifestum, ei cui furtum factum est, in servitutem tradit: nocturnum autem furem jus occidendi tribuit. dic enim, quæso, dic, vir sapientiæ studiosissime, an aut judicis illius perfidiam contra omnia jura divina atque humana jusjurandum suum pecunia vendentis, aut furis manifesti intolerandam audaciam, aut nocturni grassatoris insidiosam violentiam non dignam esse capitis pœna existimes? Noli, inquit Favorinus, ex me quærere, quid ego existimem. scis enim solitum esse me pro disciplina sectæ, quam colo, inquirere potius quàm decernere. sed non levis existimator, neque aspernabilis est populus Romanus; cui delicta quidem isthæc vindicanda, pœ-

næ tamen hujuſcemodi nimis duræ eſſe viſæ ſunt. paſſus enim eſt leges iſtas de tam immodico ſupplicio ſitu atque ſenio emori. ſicut illud quoque, non humaniter ſcriptum, improbavit: quod ſi homo in jus vocatus morbo aut ætate æger ad ingrediendum invalidus eſt, arcera non ſternitur: ſed ipſe aufertur & jumento imponitur, atque ex domo ſua ad prætorem in comitium nova funeris facie effertur. quam enim ob cauſam morbo affectus, & ad reſpondendum pro ſeſe non idoneus, jumento adhærens in jus adverſario deportatur? Quod verò dixi videri quædam eſſe impendio molliora: nonnè tibi quoque videtur nimis eſſe dilutum, quod ita de injuria pœnienda ſcriptum eſt? SI. INJURIAM. FAXIT. ALTERI. VIGINTI. QUINQUE. AERIS. POENAE. SUNTO. quis enim erit tam inops, quem ab injuriæ faciendæ lubidine vigintiquinque aſſes deterreant? itaque quum eam legem Q. Labeo quoque veſter in libris, quos ad duodecim tabulas conſcripſit, non probaret, Quidam, inquit, Lucius Veratius fuit, egregiè homo improbus atque immani vecordia. is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuæ palma verberare. eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans: &, quemcumque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum duodecim tabulas, quinque & viginti aſſes jubebat. propterea, inquit, prætores poſteà hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt; injuriiſque æſtimandis recuperatores ſe daturos edixerunt. Nonnulla autem in iſtis legibus nec conſiſtere quidem, ſicuti dixi, viſa ſunt, velut illa lex talionis: cujus verba, niſi memoria me fallit, hæc ſunt: SI. MEMBRUM. RUPIT. NI. CUM. EO. PACIT. TALIO. ESTO. præter enim ulciſcendi acerbitatem, ne procedere quoque exſequutio juſta talionis poteſt. nam cui membrum ab alio ruptum eſt, ſi ipſi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere poſſit rumpendi pariter membri æquilibrium. in qua re primum

mum ea difficultas est inexplicabilis. Quid si quis membrum, inquit, alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. ictus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub ejusdem talionis similitudinem. quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exsequenda talione non licentiæ jus habet, sed imprudentiæ? sed & si prudens ruperit: nequaquam patietur aut altiùs se lædi, aut latiùs. quod cujusmodi libra atque mensura caveri possit, non reperio. quin etiam si quid plus erit aliterve commissum; res fiet ridiculæ atrocitatis: ut contraria actio mutuæ talionis oriatur, & adolescat infinita quædam reciprocatio talionum. nam de immanitate illa secandi partiendique humani corporis, si unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque sit pluribus, non libet meminisse; & piget dicere: quid enim videri potest efferatius? quid ab hominis ingenio diversius, quàm quòd membra & artus inopis debitoris brevissimo laniatu distrahebantur, sicut nunc bona venum distrahuntur? Tum Sex. Cæcilius amplexus utraque manu Favorinum, Tu es, inquit, unus profectò in nostra memoria non Grajæ modo, sed & Romanæ rei peritissimus. quis enim philosophorum disciplinæ suæ leges tam scitè atque doctè callet, quàm leges tu nostras decemvirales percalluisti? Sed, quæso tecum tamen, degrediare paulisper è curriculis istis disputationum vestrarum Academicis, omissoque studio, quicquid lubitum est, arguendi tuendique, consideres graviùs, cuimodi sint ea, quæ reprehendisti. nec ideo contemnas legum istarum antiquitates, quòd plerisque ipsis jam populus Romanus uti desiverit. non enim profectò ignoras legum opportunitates & medelas, pro temporum moribus & pro rerum publicarum generibus ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutari atque flecti: neque uno statu

consistere, quin, ut facies cœli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur. quid salubrius visum est rogatione illa Stolonis jugerûm de numero præfinito? quid utilius plebiscito Voconio, de coërcendis mulierum hæreditatibus? quid tam necessarium existimatum est propulsandæ civium luxuriæ, quàm lex Licinia & Fannia, aliæque item leges sumtuariæ? omnia tamen hæc oblitterata & operta sunt civitatis opulentia quasi quibusdam fluctibus exæstuantis. Sed cur tibi esse visa est inhumana lex omnium, mea quidem sententia, humanissima, quæ jumentum dari jubet ægro aut seni in jus vocato? verba sunt hæc de lege: SI. IN. JUS. VOCAT. SI. MORBUS. AEVITAS. VE. VITIUM. ESCIT. QUI. IN. JUS. VOCABIT. JUMENTUM. DATO. SI. NOLET. ARCERAM. NE. STERNITO. An tu fortè morbum appellari hic putas ægrotationem gravem cum febri rapida & quercera, jumentumque dici pecus aliquod unicum tergo vehens? ac propterea minus fuisse humanum existimas ægrotum domi suæ cubantem jumento impositum in jus rapi? hoc, mi Favorine, nequaquam ita est. nam morbus in lege ista non febriculosus neque nimis gravis; sed vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiæ demonstratur: non periculum vitæ ostenditur. cæteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem legum istarum scriptores alio in loco, non per se morbum, sed *morbum sonticum* appellant. *jumentum* quoque non id solum significat quod nunc dicitur; sed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur, veteres nostri jumentum à jungendo dixerunt. *Arcera* autem vocabatur plostrum tectum undique & mœnitum: quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua à nimis ægri aut senes portari cubantes solebant. Quænam tibi igitur acerbitas esse visa est, quòd in jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret,

ret, ploſtrum eſſe dandum cenſuerunt? neque inſterni tamen delicatè arceram juſſerunt, quoniam ſatis eſſet invalido cuicuimodi vectabulum. atque id fecerunt, ne cauſatio iſta ægri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, juriſque actiones declinantibus. Sed enim ipſum vide. injurias factas quinque & viginti aſſibus ſanxerunt. non omnino omnes, mi Favorine, injurias ære iſto pauco diluerunt: tametſi & hæc ipſa paucitas aſſium grave pondus æris fuit. nam librariis aſſibus in ea tempeſtate populus uſus eſt. ſed injurias atrociores, ut de oſſe fracto, non liberis modo, verum etiam ſervis factas impenſiore damno vindicaverunt, quibuſdam autem injuriis talionem quoque oppoſuerunt. quam quidem tu talionem, vir optime, iniquius paulò inſectatus es; ac ne conſiſtere quidem dixiſti, lepida quadam ſollertia verborum; quoniam talioni par non ſit talio: neque rumpi membrum facile poſſit ad alterius rupturæ (ut ais tu) æquilibrium. Verum eſt, mi Favorine, talionem rariſſimum fieri difficillimè. ſed decemviri minuere atque exſtinguere volentes hujuſcemodi violentiam pulſandi atque lædendi, eo quoque metu coërcendos eſſe homines putaverunt: neque ejus, qui membrum alteri rupiſſet & paciſci tamen de talione redimenda nollet, tantam eſſe habendam rationem arbitrati ſunt, ut, an prudens imprudenſve rupiſſet, ſpectandum putarent: aut talionem in eo vel ad amuſſim æquipararent, vel in librili perpenderent: ſed potius eumdem animum eumdemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eumdem quoque caſum exigi voluerunt, quoniam modus voluntatis præſtari poſſet, caſus ictus non poſſet. quod ſi ita eſt, ut dico, ut & ipſe æquitatis habitus demonſtrat; taliones illæ tuæ reciprocæ argutiores profectò quàm veriores fuerunt. Sed quoniam acerbum quoque eſſe hoc genus pœnæ putas: quæ, obſecro te, iſta acerbitas eſt, ſi idem fiat in te quod

tute in alio feceris; præsertim quum habeas facultatem paciscendi: & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris? quod edictum autem prætorium de æstimandis injuriis probabilius esse potest? nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam rationem ad æstimationem judicis redigi necessario solitam. nam si reus, qui depacisci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, æstimata lite judex hominem pecuniæ damnabat. atque ita, si reo & pactio gravis & acerba talio visa fuerat, severitas legis ad pecuniæ multam redibat. Restat ut ei, quod de sectione partitioneque corporis immanissimum esse tibi visum est, respondeam. Omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque populus Romanus è parva origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit, sed omnium maximè atque præcipuè fidem coluit, sanctamque habuit tam privatim quàm publice. sic consules clarissimos viros hostibus confirmandæ fidei publicæ causa dedit. sic clientem in fidem acceptum cariorem haberi, quàm propinquos, tuendumque esse contra cognatos censuit. neque pejus ullum facinus existimatum est, quam si cui probaretur clientem derisui habuisse. Hanc autem fidem majores nostri non modò in officiorum vicibus sed in negotiorum quoque contractibus sanxerunt; maximèque in pecuniæ mutuaticæ usu atque commercio. adimi enim putaverunt subsidium hoc inopiæ temporariæ, quo communis omnium vita indiget, si perfidia debitorum sine gravi pœna eluderet. confessi igitur æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conquirendæ pecuniæ causa, quam dissolverent: eosque dies decemviri *justos* appellaverunt, velut quoddam justitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quamdam & cessationem. quibus diebus nihil cum his agi jure posset. post deinde, nisi dissolverent, ad prætorem vocabantur; & ab eo, quibus erant judicati, addicebantur. nervo quoque aut compedibus vinciebantur.

tur. sic enim sunt, opinor, verba legis: AERIS. CONFESSI. DEBITI. Q. JURE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO. POST. DEINDE. MANUS. INJECTIO. ESTO. IN. JUS. DUCITO. NI. JUDICATUM. FACIT. AUT. QUI. ENDO. EM. JURE. VINDICIT. SECUM. DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT. SI. VOLET. MAJORE. VINCITO. SI. VOLET. SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EM. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. IN. DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. DATO. Erat autem jus interea paciscendi; ac, nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent prædicabatur. tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant. sed eam capitis pœnam sanciendæ, sicut dixi, fidei gratia, horrificam atrocitatis ostentu novisque terroribus metuendam reddiderunt. nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. & quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes invidiam me istam fortè formidare. TERTIIS, inquit, NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. Nihil profectò immitius, nihil immanius: nisi, ut reipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam umquam perveniretur. addici namque nunc & vinciri multos videmus; quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi: quoniam sævitia ista pœnæ contemni non quita est. An putas, Favorine, si non illa etiam ex duodecim tabulis de testimoniis falsis pœna abolevisset: & si nunc quoque, ut antea qui falsum testimonium dixisse convictus esset, è saxo Tarpejo

dejiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos quam videmus? Acerbitas plerumque ulciscendi maleficii, bene atque cautè vivendi disciplina est. Historia de Metio Fufetio Albano nobis quoque, non admodum numero istiusmodi libros lectitantibus, ignota non est. qui quoniam pactum atque conditum cum rege populi Romani perfidè ruperat binis quadrigis evinctus in diversa nitentibus laceratus est. novum atque asperum supplicium quis negat? sed, quid eligantissimus poëta dicat, vide:

At tu dictis, Albane, maneres.

Hæc taliaque alia ubi Sex. Cæcilius omnibus qui aderant, ipso quoque Favorino approbante atque laudante, disseruit, nunciatum est Cæsarem jam salutari: & separati sumus.

CAP. II.

Vocabulum siticinum, *in M. Catonis oratione quid significet.*

Siticines, scriptum est in oratione M. Catonis, quæ inscribitur, *Ne imperium sit veteri ubi novus venerit. Siticines*, inquit, *& liticines & tubicines.* Sed Cæsellius Vindex, in commentariis lectionum antiquarum, scire quidem se ait *liticines* lituo cantare, & *tubicines* tuba: quid istuc autem sit, quo *siticines* cantent, homo ingenuæ veritatis scire sese negat. Nos autem in Capitonis Atei conjectaneis invenimus, *siticines* appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita functos & sepultos: eosque habuisse proprium genus tubæ, à cæterorum differens.

CAP.

CAP. III.

Quàm ob causam L. Accius poëta in pragmaticis sicinnistas nebuloso nomine *esse dixerit.*

Quos *sicinistas* vulgus dicit, qui rectiùs loquuti sunt *sicinnistas*, littera *n* gemina dixerunt. *sicinnium* enim genus veteris saltationis fuit. saltabundi autem canebant, quæ nunc stantes canunt. Posuit hoc verbum L. Accius poëta in Pragmaticis, appellarique *sicinnistas* ait *nebuloso nomine*: credo propterea *nebuloso*, quòd *sicinnium* cur diceretur ei obscurum esset.

CAP. IV.

Artificum scenicorum studium amoremque, inhonestum probrosumque esse: & super ea re verba Aristotelis philosophi adscripta.

Comœdos quispiam & tragœdos & tibicines dives adolescens Tauri philosophi discipulus liberos homines in deliciis atque in delectamentis habebat. id genus autem artifices Græcè appellantur οἱ περὶ τὴν Διόνυσον τεχνῖται. Eum adolescentem Taurus à sodalitatibus convictuque hominum scenicorum abducere volens, misit ei verba hæc ex Aristotelis libro exscripta, qui προβλήματα ἐγκύκλια inscriptus est. jussitque ut ea quotidie lectitaret: διὰ τί οἱ Διονυσιακοὶ τεχνῖται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ πονηροί εἰσιν; ὅτι ἥκιστα λόγου καὶ φιλοσοφίας κοινωνοῦσι. Διὰ τὸ περὶ τὰς ἀναγκαίας τέχνας αὐτῶν τὸ πολὺ μέρος τοῦ βίου εἶναι. καὶ ὅτι ἐν ἀκρασίαις τὴν πολὺν χρόνον εἰσὶν, ὁτὲ δὲ ἐν ἀπορίαις. ἀμφότερα δὲ φαυλότητος παρασκευαστικά.

CAP.

CAP. V.

Exempla epistolarum Alexandri regis & Aristotelis philosophi, ita uti sunt edita: eaque in linguam Latinam versa.

Commentationum suarum artiumque, quas discipulis tradebat Aristoteles philosophus, regis Alexandri magister, duas species habuisse dicitur. alia erant, quæ nominabat ἐξωτερικὰς; alia, quæ appellabat ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant. Ἀκροαματικὰ autem vocabantur, in quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur; quæque ad naturæ contemplationes disceptationesve dialecticas pertinebant. huic disciplinæ, quam dixi ἀκροαματικῶν, tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum: nec ad eam quemquam temerè mittebat; nisi quorum ante ingenium & eruditionis elementa atque in discendo studium laboremque explorasset. illas verò ἐξωτερικὰς auditiones exercitiumque dicendi eodem in loco vesperi faciebat; easque vulgò juvenibus sine delectu præbebat; atque eum δειλινὸν περίπατον appellabat, illum alterum supra ἑωθινόν. utroque enim tempore ambulans disserebat: librosque suos, earum omnium rerum commentarios, seorsum divisit; ut alii exoterici dicerentur, partim acroamatici. Acroamaticos quum in vulgus ab eo editos rex Alexander cognovisset, atque ea tempestate armis exercitam omnem prope Asiam teneret, regemque ipsum Darium præliis & victoriis urgeret; in illis tamen tantis negotiis litteras ad Aristotelem misit, non eum rectè fecisse, quod disciplinas ἀκροαματικὰς, quibus ab eo ipse eruditus foret, libris foras editis invulgasset. Nam qua, inquit, alia re præstare cæteris poterimus, si ea, quæ ex te accepimus,

omnium

omnium prorsus fient communia? quippe ego doctrina anteire malim, quam copiis atque opulentiis. Rescripsit ei Aristoteles ad hanc sententiam: Acroamaticos libros, quos editos quereris, & non proinde ut arcana absconditos, neque editos scito esse, neque non editos. quoniam his solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt. Exempla utrarumque litterarum, sumta ex Andronici philosophi libro, subdidi. amavi autem prorsus in utriusque epistola brevitatis eligantissimæ filum tenuissimum.

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας, ἐκδοὺς τοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν τοῦ περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ τοῦ δυνάμεσι διαφέρειν. ἔρρωσο.

Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ
εὖ πράττειν.

Ἔγραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροαματικῶν λόγων, οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀπορρήτοις. ἴσθι οὖν αὐτοὺς καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοί γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. ἔρρωσο.

Hoc ego verbum, ξυνετοὶ γάρ εἰσιν, quærens uno itidem verbo dicere, aliud non reperi, quam quod est scriptum à M. Catone in VI origine. *Itaque ego*, inquit, *cognobiliorem cognitionem esse arbitror.*

CAP. VI.

Quæsitum atque tractatum, utrum sit rectius dicere, habeo curam vestri, *an* vestrum.

Percontabar Apollinarem Sulpicium, quum eum Romæ adolescentulus sectarer, qua ratione diceretur, *habeo curam vestri*, aut *misereor vestri*: & iste casus, *vestri*, eo in loco quem videretur habere casum rectum. Is hîc mihi ita respondit: Quæris, inquit, ex me, quod mihi

mihi quoque est jamdiu in perpetua quæstione. videtur enim non *vestri* oportere dici, sed *vestrum*: sicut Græci loquuntur, ἐπιμελοῦμαι ὑμῶν, καὶ κήδομαι ὑμῶν. quo in loco ὑμῶν aptiùs *vestrum* dicitur, quam *vestri*, & habet casum nominandi *vos*: quem tu rectum appellasti. Invenio tamen, inquit, non paucis in locis *nostri* atque *vestri* dictum, non *nostrum* aut *vestrum*. L. Sulla rerum gestarum libro secundo: *Quo si fieri potest, ut etiam nunc nostri vobis in mentem veniat: nosque magis dignos creditis, quibus civibus quam hostibus utamini; quique pro vobis potius quam contra vos pugnemus: neque nostro, neque majorum nostrorum merito nobis id continget.* Terentius in Phormione:

Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet.

Afranius in Togata:

Nescio qui nostri miseritus tandem deus.

& Laberius in Necyomantia:

Dum diutius detinetur, nostri oblitus est.

Dubium porrò, inquit, non est, quin eodem hæc omnia casu dicantur, *nostri oblitus est, nostri miseritus est*, quo dicitur, *mei pœnitet, mei miseritus est, mei oblitus est. mei* autem casus interrogandi est, quem genitivum grammatici vocant; & ab eo declinatur, quod est, *ego*, hujus deinde plurativum est, *nos. tui* æquè declinatur ab eo, quod est, *tu.* hujus itidem plurativum est, *vos.* sic namque Plautus declinavit in Pseudolo in hisce versibus:

Si ex te tacente fieri possem certior, here,
Quæ miseriæ te tam miserè macerent:
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi & tui respondendi mihi.

mei enim Plautus, hoc in loco, non ab eo dixit, quod est, *meus*; sed ab eo quod est, *ego.* itaque si dicere velis, *patrem mei*, pro, *patrem meum*; quo Græci modo

τ πατέρες μῦ dicunt, inusitatè quidem, sed rectè profecto, eaque ratione dices, qua Plautus dixit, *labori mei*, pro, *labori meo*. hæc autem ipsa ratio est in numero plurativo; qua Gracchus, *misereri vestrum*, & qua M. Cicero *contentio vestrum*, & *contentione nostrum* dixit; quaque item ratione Quadrigarius in annali undevicesimo verba hæc posuit: C. *Mari, ecquando te nostrum & reip. miserebitur?* cur igitur Terentius, *pœnitet nostri*, & non, *nostrum*, & Afranius, *nostri miseritus est*, non, *nostrum?* Nihil herclè, inquit, mihi de ista re in mentem venit; nisi auctoritas quædam vetustatis non nimis anxiè neque superstitiosè loquentis. nam sicuti multifariam scriptum est, *vestrorum*, pro, *vestrum*; ut in Plauti Mustellaria in hoc versu:

Verum illud esse maxima pars vestrorum intelligit:

quum vellet, *maxima pars* dicere *vestrum*: ita nonnumquam *vestri* quoque dictum est *vestrum*. sed proculdubio qui rectissimè loqui volet, *vestrum* potius dixerit, quàm *vestri*. & iccirco importunissimè, inquit, fecerunt qui in plerisque Sallustii exemplaribus scripturam istam sinceriſſimam corruperunt. nam quum ita in Catilina scriptum esset: *Sæpe majores vestrum miseriti plebis Romanæ: vestrum* obleverunt, & *vestri* superscripserunt. ex quo in plures libros mendæ istius indoles manavit. Hæc memini mihi Apollinarem dicere: eaque tunc ipsa, ita ut dicta fuerant, notavi.

CAP. VII.

Quàm diversæ Græcorum sententiæ super numero Niobæ filiorum.

Mira & propè adeò ridicula diversitas fabulæ apud Græcos poëtas deprehenditur super numero Niobæ filiorum. nam Homerus pueros puellasque ejus bis senos dicit fuisse, Euripides bis septenos,

Sap-

Sappho bis novenos, Bacchylides & Pindarus bis denos. quidam alii scriptores tres fuisse solos dixerunt.

CAP. VIII.

De iis quæ habere συμπάθειαν videntur cum luna augescente ac senescente.

Annianus poëta in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilarè atque amœniter, ad eos dies me & quosdam item alios familiaris vocavit. ibi tum cœnantibus nobis, magnus ostrearum numerus Roma missus est. quæ quum appositæ fuissent, & multæ quidem, sed inuberes macræque essent: Luna, inquit Annianus, nunc videlicet senescit: ea re ostrea quoque, sicuti quædam alia, tenuis exsuctaque est. quum quæreremus, quæ alia item senescente luna tabescerent: Nonne Lucilium, inquit, nostrum meministis dicere?

Luna alit ostrea & implet echinos, muribus fibras
Et pecui addit.

eadem autem ipsa, quæ crescente luna glisciunt, deficiente contrà luna desiunt. ælurorum quoque oculi ad easdem vices lunæ aut ampliores fiunt aut minores. id etiam, inquit, multo mirandum est magis, quod apud Plutarchum in IV in Hesiodum commentario legi; Cæpe tum revirescit, & congerminat decedente luna, contrà autem inarescit adolescente. eam causam esse dicunt sacerdotes Ægyptii, cur Peluſiotæ cæpe non edunt: quia solum olerum omnium contra lunæ aucta atque damna vices minuendi & augendi habeat contrarias.

CAP.

CAP. IX.

Qualibus verbis delectari solitus sit Antonius Julianus positis in mimiambis, quos Cn. Matius scripsit.

Delectari mulcerique aures suas dicebat Antonius Julianus, figmentis verborum novis Cn. Matii, hominis eruditi: qualia hæc quoque essent, quæ scripta ab eo in mimiambis memorabat:

Sinuque amicam reficere frigidam caldo,
Columbatimque labra conserens labris.

item id quoque jucundè lepidèque fictum dictitabat:

Jam tonsiles tapetes ebrii suco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

item illud:

Dein coquenti vasa cuncta dejectat:
Nequamve scitamenta pipulo poscit.

CAP. X.

Quid vocabulum, ex jure manum consertum, *significet?*

Ex. jure. manum. consertum. verba sunt ex antiquis actionibus. quæ, quum lege agitur & vindictæ contenduntur, dici nunc quoque apud prætorem solent. Rogavi ego Romæ grammaticum celebri hominem fama & multo nomine, quid hæc verba essent. tum ille me despiciens, Aut erras, inquit, adolescens, aut ludis. rem enim doceo grammaticam, non jus respondeo. si quid igitur ex Virgilio, Plauto, Ennio quærere habes; quæras licet. Ex Ennio ergo, inquam, est magister quod quæro. Ennius enim verbis hisce usus est. quumque ille demiratus aliena hæc esse à poëtis, & haud usquam inveniri in carminibus Ennii diceret: tum ego hos versus ex octavo annali absentes dixi. nam

fortè eos tamquam insigniter præter alios factos memineram:

Pellitur è medio sapientia. vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex jure manum consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solidâ vi.

Quum hos ego versus Ennianos dixissem: Credo, inquit grammaticus, jam tibi. sed tu velim credas mihi, Q. Ennium didicisse hoc non ex poëticæ litteris, sed ex juris aliquo perito. eas igitur tu quoque, inquit, & discas unde Ennius didicit. Usus consilio sum magistri, quod docere me ipse debuerat, à quo discerem præter monstrantis. itaque id, quod ex Jure consultis ex librisque eorum didici, inferendum his commentariis existimavi. quoniam in medio rerum & hominum vitam qui colunt, ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora. *Manum conserere* est, de qua re disceptatur, in re præsenti, *sive ager sive quid aliud est*, cum adversario simul manu prendere, & in ea re omnibus verbis vindicare. vindicia, id est, correptio manus in re atque in loco præsenti, apud prætorem ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est. SI. QUI. IN. JURE. MANUM. CONSERUNT, Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus, datis jurisdictionibus, negotiis occupati proficisci vindiciarum dicendarum causa in longinquas res gravabantur; institutum est, contra duodecim tabulas, tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum consererent, sed ex jure manum consertum vocarent; id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad prætorem deferrent: & in ea gleba,

tam-

tamquam in toto agro, vindicarent. idque Ennius significare volens ait, non, ut ad prætorem solitum est, agi legitimis actionibus, neque ex jure manum consertum, sed bello ferroque & vera vi atque solida. quod videtur dixisse, conferens vim illam civilem & festucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret, cum vi bellica & cruenta.

CAP. XI.

Quid sit sculna *verbum positum apud M. Varronem.*

P. Lavinii liber est non incuriosè factus. is inscriptus est, *de verbis sordidis.* in eo scripsit *sculnam* vulgo dici, quasi *seculnam: quem qui elegantius*, inquit, *loquuntur, sequestrem appellant.* utrumque vocabulum à sequendo factum est: quòd ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. *sculnam* autem scriptum esse in logistorico M. Varronis, qui inscribitur *Catus*, idem P. Lavinius in eodem libro admonet. Sed quod apud *sequestrem* depositum erat, *sequestro* positum per adverbium dicebant. Cato de Ptolemæo contra Thermum:

Per deos immortalis, nolite vos sequestro ponere.



INTERPRETATIO GRAECARUM

Dictionum, quæ à Gellio Græce citatæ, nec ab eo Latinæ factæ sunt.

Quae in Praefatione.

Πέπλον, Peplum.
Κέρατας Ἀμαλθείας. Cornucopiæ.
Κηρία. Favos.
Λειμῶνας. Prata.
Ἀνθηρῶν. Floridorum.
Εὑρημάτων. Inventorum.
Λύχνους. Lucernas, vel Faces.
Πανδέκτας. Pandectas.
Ἑλικῶνα. Heliconem.
Προβλήματα. Problemata.
Ἐγχειρίδια. Παραξιφίδας, Pugiones, gladiolos.
Πραγματικὰ. Negotialia.
Πάρεργα. Parerga.
Διδασκαλικὰ. Didascalica, vel Doctrinas.
Παντοδαπῆς ἱστορίας. Omnimodæ historiæ.
Πάγκαρπον. Pancarpum vel frugifera.
Τόπων. Locorum.
Πολυμαθίη νόον, &c. Varia eruditio mentem non docet.
Φῶ φημεῖν χρὴ, &c. Lingua favere decet nostrisque choris decedere, quisquis harum imperitus est litterarum, aut mente impura, aut nobilium orgia Musarum, neque didicit unquam neque celebravit.

Quæ in Libro Primo.

Cap. 2. κυριεύοντας, ἡσυχάζοντας & σωρείτας. Dominantes, Quiescentes & Acervos. Sunt sophismatum dia-

dialecticorum vocabula. Sic autem restituit hunc locum Janus Rutgersius, eo verius, quod horum ipsorum cum derise meminit hoc libro capiteque eodem & præcedenti Arrianus.

ἀκώλυτος, ἀνεκβίαστος, &c. Solutus, inviolatus, minimè implicitus, liber, dives, felix.

εἰπέ μοι πρὸς, &c.

De bonis cedo & malis, audisne?

Ad Ciconas Troja referens me ventus adegit.

τῶν ὄντων τὰ μὲν, &c. Rerum quædam bona, quædam mala, quædam indifferentia sunt. Bona sanè, virtutes: quæ vitii participant, mala. Indifferentia verò illa, quæ horum intermedia sunt, opes, sanitas, vita, mors, voluptas, labor: unde nosti? inquit. Sic Hellanicus in Ægyptiacis tradit. Quid enim refert, ita dicam, An Diogenes in moralibus, Chrysippusve aut Cleanthes? Hoc itaque exquisivisti decretumque feciſti tuum. Expone quonam modo tempestatem in navi feras; numquid ejus distinctionis memineris, ubi instrepit ac stridet velum: & exclamantem te si quis male feriatus ita alloquatur, repete age tu ea, quæ modo ajebas, num sit vitium naufragium facere? num particeps vitii sit? an non isti fustem impingas? heus homo, quid mecum tibi? nos perimus, & ipse accedens ludis.

Si reus ad Cæsarem citeris, memento divisionis hujus. Si quis ingresso tibi ac pallenti dixerit: quid tremis homo? quæ tua res agitur? numquid intus Cæsar virtutem & vitium ingredientibus largitur? Quid & tu meis malis insultas? Tamen, philosophe, dic mihi, quid tremis? nonne mortis aut carceris periculum est aut doloris corporis, aut exilii, aut ignominiæ? Quid verò aliud? numquid in istis vitium est, aut aliqua vitii pars? Quid his de rebus ipse disseruisti? Quid mihi rei tecum est homo? Mala mihi mea sufficiunt. Rectè dicis. Sufficiunt enim tibi tua mala, degener animus, timidi-

miditas, arrogantia, quam in schola præ tè fers. Quid alieno splendore gloriabaris? Cur te Stoïcum profitebaris? Id vobis usurpate nomen, quod actiones vestræ demonstrant. Ita invenietis, cujus sectæ sitis. Invenietis autem plerosque vestrum Epicureos esse, paucos Peripateticos, eosque effœminatos.

CAP. 3. εἰ δεῖ βοηθεῖν, &c. Numquid oporteat contra justitiam amico subvenire? & qua fini, & in cujusmodi.

δεῖ με συμπεάτιδν, &c. Opus est me amicis opitulari, sed usque ad deos.

οὐκ οἶδ' εἴπυ, &c. Haud satis novi si quid in hoc genere sit nobilius: & an quæcumque pars ad quantamcumque alterius partem comparata, eligenda magis sit. Verbi gratia, hoc modo, ut & nobilius ære aurum sit, & auri pars quælibet, portionis cujuslibet æris compatione sit pluris. verum nonnihil discriminis cum numerus tum verò magnitudo efficiet.

ἡ καλυμένη, &c. Quæ gratia apud homines vocatur, hoc quidem est juris diligentioris loco & tempore imminutio.

περὶ ψυχῆς. De anima.

ξείλων ὁ παλαιὸς, &c. Chilo senior, quum quempiam dicentem audisset, nullum se inimicum habere, an nullum etiam amicum haberet, interrogavit: amicitias inimicitiasque invicem consequi conjungique necesse esse arbitratus.

CAP. 5. κόμψη χλαινὶς, &c. Elegans vestis, & molles tuniculæ.

ἄμυσος, &c. Inelegans, invenustus, illiberalis.

CAP. 7. ποιήσειν, ἔσεσθαι, λέξειν, facturum, futurum, dicturum.

δύφωνία. Voculatio,

ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων. Vocabulorum delectui diligenti.

CAP. 8.

CAP. 8. οὐ παντὸς, &c. Non viri cujusque est Corinthum petere.

μυριὰς, &c. Decem drachmarum millia, vel talentum.

οὐκ ὠνοῦμαι, &c. Non emo millibus x drachmarum pœnitentiam.

CAP. 9. ἐφυσιογνωμόνει. Per naturæ indicia pensiculabat.

ἀκουστικοὶ. Auditores.

ἐχεμυθία. Taciturnitas.

μαθηματικοὶ. Disciplinis vacantes.

μαθήματα. Disciplinas.

φυσικοί. Naturales.

ἀθεώρετοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι. A contemplatione, à musis, à geometria penitus alieni.

κοινόβιον. Contubernium.

Cæterum hæc vox non est auctoris, qui scripserat: *quod re atque verbo Romano appellabatur, hercto non cito*: ut ex regio codice docuit Salmasius. Et sic jusseram edi, sed non impetravi ab operis.

CAP. 11. καὶ μετὰ ταῦτα, &c. Post hæc congressum est: Argivi quidem sociique acriter ac cum impetu procedentes; Lacedæmonii contra multis tibiis præcinentibus ad numerum, non religione aliqua, verum ut æquabili numerosoque sensim ingressu convenientes, pugnam capesserent, nec suos ordines distrahi sinerent: quòd semper amplissimas copias agere, ubi congrediendum est, decet.

οἱ δ' ἄρ' ἴσαν, &c. Ast ibant taciti spirantes robur Achivi.

Inque vicem auxilium cupida sibi mente ferebant.

διὰ τί ἐπειδὰν, &c. Quamobrem ubi commissuri prælium sint, ad tibiæ modulos congrediantur? ut timidos minus decorè agentes dignoscant.

CAP. 13. καθήκοντα. Officia.

CAP. 15. ἀλλ' ὅτε δὴ, &c.

Aſt ubi jam magnam fudit de pectore vocem.

Dentis clauſtra tui vox qualis, nata, reliquit.

ἀμετροεπῆ ἀκριτόμυθον. Loquentem ſine judicio & modo.

ἄκοσμα. Incompta.

ἀμετεροεπὴς ἐκολώα. Supra modum multiloquus conturbabat.

λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν. Blaterare optimus, dicere ineptiſſimus.

γλώσσης τοι θησαυρὸς, &c. Optimus eſt homini linguæ theſaurus, & ingens

Gratia, quæ parcis menſurat ſingula verbis.

οὐ λέγειν, &c. Non idoneus ad dicendum, ſed ad tacendum impos.

ἀχαλίνων στομάτων, &c. Effrænioris & exlegis dementiæ extremum infelicitas occupat.

ἄνθρωπον ἀγριωπὸν, &c. Hominem agreſti ferocia, ore temerario, effrænato, prodigo, petulanti: loquacem, futilem, & fuſum per verborum congeriem ac faſtum.

CAP. 20. ἀπλατὲς. Longitudo ſine latitudine.

CAP. 22. βιωφελῆ. Vitæ utilia.

ἀκυρωτέρῳ. Minus proprio.

CAP. 25. ἐκεχειρίαν. A manibus temperationem, inducias.

τύπους. Formas.

ὑπογραφάς. Deſcriptiones.

ὁρισμούς. Definitiones.

CAP. 26. περὶ ἀοργησίας. De non iraſcendo, vel de iniraſcibilitate.

ἀοργησίαν καὶ, &c. Iniraſcentiam, & indolentiam.

ἀνάλγητον καὶ, &c. Hebetem ac ſtupentem.

Quæ

Quæ in libro secundo.

CAP. 1. πολλάκις. Sæpenumero.

ἐξ ἠλίϐ, &c. De sole ad solem erectior stipitibus arborum steterat.

CAP. 3. ἰχθὺν πένητα. Piscem pauperem.

CAP. 6. πολλάκι, &c. Sæpe & olitor vir valde opportunum dixit.

ἡῦδα μάντις ἀμύμων. Fatus est inculpabilis aruspex.

τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην. Illi haud inviti volarunt.

ἔνθ' οὐκ ἂν, &c. Tunc neque cernere erat torpentem Agamemnona divum;

Nec pavidum, nec nolentem decernere ferro.

ὅρος δὲ, &c. Terminus magnitudinis voluptatum, omnis dolotis detractio.

κβ'. Secundum.

στέρησιν. Privationem.

CAP. 7. ἀδιάφορα. Indifferentia.

μέσα. Media.

ὑγιὲς, &c. Sanum, legitimum, disjunctum.

CAP. 8. ὁ θάνατος, &c. Mors nihil ad nos, nam dissolutum non sentit: quod autem non sentit, nihil ad nos.

ὁ θάνατος, &c. Mors animæ & corporis dissolutio.

ὁ θάνατος ψυχῆς, &c. Mors animæ corporisque est dissolutio: dissolutum autem non sentit, quod verò non sentit, nihil ad nos.

CAP. 9. ὅρος δὲ, &c. Definitio magnitudinis voluptatum, omnis doloris sublatio.

παντὸς δ' ἀλγοῦντος. Omnis dolentis.

παντὸς δ' ἀλγεινοῦ. Omnis rei anxiæ & tristis.

λέξεις τηρεῖ. Voces aucupatur.

CAP. 17. συναιρέσει. Coagmentatione.

CAP. 18. ἀβλαβὲς, &c.

Servus Epictetus fueram, qui corpore mancus,
Pauperie pressus, charus eram superis.

CAP. 20. παραδείσους. Hortos.

μελισσῶνες. Apiaria, mellariaque.

ἀμπελῶνες. Vineas.

δαφνῶνες. Laureta.

CAP. 22. ἰσονύκλιον. AEquinoctialis.

ἰσημέρινον. AEquidialis.

θερειναὶ τροπαὶ, καὶ χειμερινὰι, AEstiva solstitia, & hiberna.

ἐτυμολογικοί. Rationem originis verbi interpretando indagantes.

ἀπὸ τοῦ ἕω ῥέων. Ab oriente sole fluens.

αἰθρηγενέτιν. Serenitatem facientem.

ἀπὸ τοῦ βοᾶν. A boatu.

σὺν δὲ Εὖρῳ, &c. Quumque Euro incubuit Zephyrusque, Notusque furentes,
Sudificusque simul Boreas mala plurima volvens.

κακὰ ἐφ', &c. Mala ad se attrahens, ut Cæcias nubes.

ἀκροάσεως ἐπιδεικτική. Auscultatio sese ostentans.

CAP. 23. ἐπ' ἀμφοτέρῳ, &c. In aurem utramque, quandoquidem dotata est, cubet.

Re confecta magnifica, & negotio inclyto,
Domo illam exturbet, cui malevoluit maximè:
Ut omnes in Creobulæ faciem oculos converterent.
Tum me cunctis nòtum ut faceret uxor hera,
Meoque demoraretur in vultu, asinus inter simias fierem.
Quod autem hoc dictum? tacere volo.
Noctem mali auctorem plurimi.
Me miserum, qui Creobulam duxi, & talenta decem,
Nanam mulierculam, cubitalem, cujus superbia
Adeò intolerabilis est, Jovem Olympium,

Et

Et Minervam testor, non ancillulam potius officiosam, dicto citius

Præstò hanc quispiam abigat quæso, at illam referat.

ἔχω δ' ὄπικλερον, &c.

Lamiam hæreditariam duxi, quod non dixeram tibi.

Tum verò domus, atque agrorum heram,

Universorumque illius loco, hei quàm miserum & grave!

Difficillimum imò. At omnibus molesta est, non soli mihi,

Filio multò magis, filiæque. provinciam

Inexpugnabilem dicis, certò scio.

ὦ τεὶς κακοδαίμων, &c.

Quàm extremè infelix quisquis in egestate uxorem ducit,

Et quærit liberos! hei quantum est insciens sui!

Quique neque necessarium studium rerum gerit,

Nisi quantum aliquid jugiter in vita deterat:

Neque (licet res cogat) tectum præbere quit sibi

Sed inops domo in ærumna vitam trahit,

Hyemem tolerans malè, miseriæ omnis socius

Bonorumque universorum insors ac carens.

Unum equidem quum opprobrans, cunctos monitos volo.

CAP. 25. ἀναλογίαν. Proportionem.

ἀνωμαλίαν. Inæqualitatem.

ἀνωμαλία. Inæqualitas.

CAP. 26. ξανθὸς ἦ, &c. Flavus autem, & ruber & fulvus, & puniceus.

καὶ νικῶν, Et virtute tua facta est victoria nutans.

CAP. 27. εἰώρων ἦ, &c. Videbam etiam ipsum Philippum, quocum certamus pro imperio principatuque, oculo effossum, humero fractum, manu crureque blæsum, omne denique corporis membrum, quod fortuna au-

auferre voluisset, id ultrò offerentem, ut de cætero vitam cum honore & gloria ageret.

πᾶν ὅτι ἂν, &c. Omne denique corporis membrum quod fortuna auferre voluisset, id ultrò offerentem.

CAP. 28. ἐννοσίγαιον καὶ σεισίχθονα. Concussorem terræ & motorem terræ.

CAP. 30. ἔνθα νότος, &c. Auster ubi insanas urget sub saxa procellas,

καὶ βορέης, &c. Sudificusque altos aquilo rotat impete fluctus.

λάαν ὠθεῖ. Lapidem propellit.

λάαν ἄνω ὠθεῖ. Lapidem sursum propellit.

Quæ in Libro tertio.

CAP. 10. πλειάδας. Pleiadas.

πόλους. Polos.

κρικώτη. Pertusa.

τὴν δέ, &c. Per quatuor consonantiam.

κριτικοὺς ἢ κρισίμους. Decretorios.

CAP. 11. ἑπτὰ πόλεις, &c. Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athenæ.

CAP. 13. τὴν περὶ, &c. De Oropo causam dicentem.

CAP. 16. περὶ τροφῆς. De alimento.

πόσος ὁ, &c. Quantum sit hominis gestandi in utero tempus.

γυνὴ κύει δεκάμηνος. Mulier decimestris parit.

ἔστι δὲ καὶ, &c. Est autem, & non est octimestris partus.

ἔστι μὲν φαινόμενα, &c. Apparent quidem veluti animalia post abortum, sed nequaquam sunt, quippe quæ statim vita excedant. Itaque esse quidem tantisper fingimus, sed revera non sunt.

ὀδυσσεία. Ulyssea. ὄνοι λύρας. Asini ad lyram.

καὶ Ἀριστοτέλη. Secundùm Aristotelem.

χαῖρε νῦν φιλότητι, &c.

Nunc gaude dilecta, ast quum se evolverit annus;
Illustres (neque enim sunt vana cubilia divûm)
Natos nixa dabis.

περιτελομένου ἐνιαυτοῦ. Volvente anno.

γίνεται δὲ, &c. In hisce vero & plura fiunt, & ex toto, & per partes. Dicimus etiam plura pluribus, & pauciora paucioribus.

CAP. 17. Σίλλος. Sillus.

καὶ σὺ Πλάτων, &c.

Tuque Plato, nam discipulum te dira cupido
Abstulit, exiguum redimis grandi ære libellum,
Scribere per quem orsus prædoctus abinde fuisti.

CAP. 18. ἱππονύχων. Equicatella.

Quæ in Libro quarto.

CAP. 2. περὶ νωθροῦ. De edentulo.

CAP. 3. παλλακῆς. Concubina.

CAP. 5. ἡ δὲ κακὴ, &c. Consultum malè consultori pessima res est.

CAP. 11. καὶ κυάμων, &c.

Admisisse fabas (nihil est insuavius illis)
Os sapidum Samio cum Lucumone veto.

πυθαγόρας δὲ, &c. Pythagoras in leguminibus, fabam præcipuè approbavit: motum enim maximè excitat, & alvum ciet, quamobrem ea maximè utitur.

δειλοὶ, &c. Ah miseri, à cyamo, miseri, subducite dextras.

εἰς τὴν κυοῦν, &. Ad uterum implendum validi causæque uteri ferendi.

ἀριστοτέλης δὲ, &c. Aristoteles à vulva, corde, & marina urtica, atque id genus quibusdam aliis abstinere Pythagoricos dixit, cæterorum autem usum habuisse.

CAP.

CAP. 13. περὶ λοιμῶν, ἢ λοιμικῶν κακῶν. De pestibus, aut pestilentibus malis.

CAP. 15. δυσχερὲς, χαλεπόν. Difficile & arduum.

Quæ in Libro quinto.

CAP. 3. ἢ ἧττω, &c. Causam inferiorem, superiorem efficere.

CAP. 9. ὦ ἄνθρωπε, &c. Heus homo ne occide Crœsum.

CAP. 10. ἀνιστρέφοντα. Reciproca.

CAP. 11. ἤτοι καλὴν ἕξεις, &c. Aut pulchram duces, aut deformem. Si pulchram, habebis communem: sin turpem, habebis furiam: neutrum autem bonum: non est igitur ducenda uxor.

εἰ μὲν καλὴν ἕξω, &c. Si formosam ducam, non habebo furiam: sin deformem, non habebo communem; ducenda igitur uxor.

ἀνιστρέφον. Reciprocum.

πρότασις. Propositio.

ἤτοι καλὴν ἕξεις, ἢ, &c. Aut pulchram duces, aut turpem.

κοινή. Communis.

ποινή. Furia.

CAP. 12. στερητικὸν μόριον. Privantem particulam.

CAP. 15. ἀσώματον. Incorporeum.

τὸ δρῶν ἢ πάσχον, &c. Aut efficiens aut patiens corpus est.

τὸ τριχῇ διαστατόν. Triplici dimensione distans.

οὐχ ἁπλῶς, &c. Non simpliciter plaga aëris vox est, nam digitus qui circa quippiam ducitur aërem quoque percutit: non ita tamen vocem facit, sed quanta percussio, & vehemens; & tanta, ut audibilis fiat,

ῥεῦμα λόγων. Flumen verborum.

CAP. 18. ἐφημερὶς. Diarium.

CAP. 20. βάρβαρον. Barbarum.

σόλοικον. Solœcum.

Quæ

Quæ in Libro sexto.

CAP. 1. περὶ προνοίας. De providentia.

εἰ τῶν ἀνθρ. &c. An hominum morbi secundùm naturam proveniant.

τῇ παρακολούθησιν. Per sequelam.

CAP. 2. εἱμαρμένη. Fatum.

φυσικὴ συνταξιν, &c. Naturalem quendam ordinem omnium rerum, ex æterno aliis ad alia consequentibus, & incommutabili manente ejusmodi complicatione.

διὸ φασι, &c.

Quamobrem à Pythagoreis sic dicitur,

Noscres homines spontaneas haurire calamitates.

Quasi detrimenta singulis à seipsis fiant, & suo impetu delinquant, & in incommoda ruant sua & ex sua electione & intentione.

ὤ πόποι, &c.

Hei mihi, quid damnant mortales numina cœli?
Esse ajunt etenim per nos mala, quum tamen ipsis
Vecordi præter fatum sint mente dolores.

CAP. 5. δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Bis pueri senes.

CAP. 6. τύνη δ' οἰωνοῖσι, &c.

Me tu præpetibus parere volucribus ipsum
Mandas, quas equidem temnoque, animoque recuso.

CAP. 8. πολυίστωρ. Multiscius.

CAP. 13. τὴν ἐξαίφνης φύσιν. Repentinam naturam.

τὸ γὰρ ἐξαίφνης τοιοῦτον, &c. Repentè enim tale videtur quippiam significare, quod in alterum transeat.

παγήματα. Bellaria.

CAP. 14. νουθέτησις. Commonitio.

κόλασις. Animadversio scilicet & punitio.

παραίνεσις. Monitio.

τιμωρίαν. Pœnam.

παράδειγμα. Exemplum.

πρόσκλησις, &c. Id est autem conveniens, ut qui plectitur ab alio rectè puniente, melior fiat, & utilitatem capiat; aut exemplo cæteris sit, quo videntes alii malè affectum, præ metu reddantur meliores.

CAP. 16. παραιτήσομαι. Deprecor, excuso.

Quæ in Libro septimo.

CAP. 2. βαθυμότερον ῥαφῆ. Desidiosius junctura.

CAP. 3. ἀναγώγως. Duriter.

εἰ γάρ σε, &c. Nam si te occisurus erat (ut tu ais) maritus, te quoque occisurum esse oportuit, ut quando tempus interponeretur.

CAP. 6. αἰσθήσεις. Sensus. ὄψιν. Visum.

ἀκοήν. Auditum. γεῦσιν. Gustum.

ἁφήν. Tactum. ὄσφρησιν. Odoratum.

περὶ μνήμης. De memoria.

πλὴν ἁφῆς, &c. Tactum verò & gustum omnia habent præter animantium imperfecta.

CAP. 8. καὶ αὐτὸς, &c. Et quidem nos vidimus apud Puteolos Delphinum amantem mirè puerum, inclamatum à puero acciri. Quinetiam adnatans dorso puerum admittebat, ita ut pinnæ aculeos, velut vagina conderet, ne deditum sibi corpus laceraret, receptumque equitis modo insidentem per magnum æquor per ducenta stadia deferret. Roma igitur, omnisque Italia confluebat, ut piscem amoris causa vectorem pueri spectaret.

CAP. 11. ἄσωτον. Prodigum.

ἢ ἀκόλαστον. Vel libidinosum.

ἢ ἀχρεῖον. Vel inutilem.

ἢ ἄχρηστον. Vel inutilem.

ἢ κακότροπον. Vel improbum.

ἢ μιαρόν. Vel scelestum.

CAP. 12. χειραδωλοῖς. Manicatis.

χειραδωλούς. Manicatas.

CAP.

CAP. 14. χαρακτῆρας. Formas.

ἀδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Sublime, tenue, medium.

CAP. 16. περὶ ἐδεσμάτων. De eduliis.

ἐπεὶ τί δεῖ, &c. Nam quid mortalibus est necessarium, præter duo illa modò, Cereris munus, & aquæ poculum? quæ adsunt, ac nos queunt alere, quorum satias numquam est: luxus autem sunt cæterarum epularum indagines.

CAP. 20. ἡ δ' ἑτέρη θέρει, &c.

Grandinis ast similis, ruit, æstate altera, vel jam
Prægelidis nivibus, glacieive humore coactæ.

λάαν ἄνω, &c. Saxum sursum impellebat ad tumulum.

Quæ in libro octavo.

CAP. 7. περὶ τ μνήμης. De memoria ac mente.

Quæ in libro nono.

CAP. 1. ἐμποδῶν ἔχειν. Incurrere aliquid.

ἐκποδῶν ποιεῖσθαι. Avertere atque depellere.

CAP. 2. εἰς ἄρτους. In panes.

ἄξιος οὖν ἐστὶν ἀργυρίου. Dignus igitur est argento.

CAP. 4. ἀνήκοος. Qui non audierit.

ἀνθρωποφάγους. Carne humana vescentes.

CAP. 5. σαρκὸς, &c. Corporis constantem habitum.

μανείλω, &c. Insaniam potius, quàm oblecter.

ἡδονῆς, &c. Voluptatis finis meretricis decretum est, tolle Venerem, nullum meretricis erit decretum.

CAP. 8. ὁ γὰρ μυρίων, &c. Enim vero qui decem millibus, & quinque millibus vestimentorum egeat, is quo minus pluribus indigeat, fieri non potest. Quum enim plus quàm habeam, egeo, detrahens ex iis quæ habeo, acquiesco.

CAP. 9. βάλλε με, &c.
Me petit pomis caprarium Clearistæ filia.
Capras propellentem, suave quid canit, insusurrat.
τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμμένε, &c.
Pasce adamate mihi pulchre heus Tityre capras.
Et potum ad fonteis age Tityre, sed coleatum
Hunc Afrum, rufumque cave, ne cornua vibret.
οἵη δ' ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεα, &c.
Montibus it qualis studiosa Diana pharetræ,
Aut per Taygeti spatiosa juga, aut Erymanthi,
Et nunc gestit apro, nunc cervo diva volucri.
Stant circum nymphæ agrestes Jove cœlite natæ,
Inque agris ludunt, Latonæ pectora gaudent.
Fronte Dea ante omneis cervice prominet alta,
Et pulchras omnes inter clarissima fulget.
Talibus in famulis virgo intemerata decebat.
γέγηθε δὲ, &c. Latonæ pectora gaudent.
ῥεῖα δ' ἀειγνώτη πέλετ', &c.
Pulchras omneis inter clarissima fulget.
CAP. 10. παρθενικὸν ζώνην, &c.
Virgineum solvit cestum, legemque cubilis.
καὶ ἔργα φιλότητος, Et munus amoris.
τὸν μὲν ἄρ' ἐν τεύτοισι, &c.
Inque toris illi sculptis cepere soporem.
CAP. 15. ἄπορον. Dubium.

Quæ in libro decimo:

CAP. 1. τέτον, &c. Tertium, & quartum.
CAP. 4. φύσει, &c. Naturane nomina sint an positu.
CAP. 7. τὸν ἔσω θάλασσαν. Internum mare.
CAP. 10. ἀνατομάς. Dissectiones.
CAP. 11 σπεῦδε βραδέως. Festina tarde.

CAP.

CAP. 12. ἈΡΧΥΤΑΣ, &c. Archytas Tarentinus philosophus pariter & mechanicus vir, columbam ligneam fecit volantem, quæ si umquam subsediſſet, præterea non exsurgebat. Hactenus enim.

CAP. 16. ΚΑΤΑ ΠΡΟΛΗΨΙΝ. Per anticipationem.

CAP. 19. ΟΥ ΜΗΝ, &c. Verùm ne dicas, sic esse actum sæpenumero, sed hoc fieri sic decere. Non enim si quid aliquando contra leges actum jam est, tuque id sequutus es, propterea jure queas evadere, quinimo eo magis idcirco in te debeat statui. Ut enim si prius in aliquem foret animadversum, tu minime hæc scriberes, ita si ipse in præsentia puneris, nequaquam deinceps alius scribet.

CAP. 22. ΦΙΛΟΣΟΦΙΑ ΧΑΡΙΕΙΣΑ, &c. Nam philosophia quidem, ô Socrates, gratiosa res est & venusta: si quis illam moderatè in adolescentiaque attingat. Sin autem supra modum tempus in ea contriverit, hominum est corruptela. Quamlibet enim quis bono à natura sit ingenio præditus, tamen si diutius per ætatem jam provectam philosophetur, necessariò omnium rerum imperitus evadet: quarum omnino clarum, bonum, excellentem virum habere peritiam oportet. nam & legum civilium, & verborum quibus in consuetudine cœtuque hominum tam publicè quam privatim uti decet, voluptatum præterea cupiditatumque humanarum, &, ut breviter comprehendam, morum prorsus fiunt ignari. Quocirca quoties ad aliquam rem gerendam vel publicam vel privatam sese conferant, habentur ridiculi, quemadmodum & civiles viri, si in vestras exercitationes disputationesque descendant. Evenit enim illud Euripidis, qua in re clarus quisque est, ad eam properat: & diei partem illi plurimam impartit, ut ipse se superet. Ubi verò inferior sit, inde fugit, illudque vituperat: aliud vero laudat, quadam sui ipsius benevolentia existimans seipsum ita laudare. Verum præstare arbi-

tror amborum participem fieri, philosophiæ quidem quatenus disciplinæ gratia deceat. nec turpe quidem est adolescenti philosophari, sed quum grandior natu philosophiæ adhuc incumbit, res est, Socrates, valde ridicula. Equidem similiter affectus sum erga illos qui philosophiæ dant operam, atque illos qui balbutiunt ac ludunt. Quoties enim aspicio puellum, cui decorum adhuc est loqui ita balbutientem ludentemque, delector: festivumque & liberale mihi videtur, puerilemque decere ætatem. Quoties vero puellum audio verba expeditius exprimentem, molestum quiddam mihi oboritur, aureſque offendit meas: atque servile quippiam præ se ferre videtur. Cæterum quum virum quis vel audit balbutientem, vel videt ludentem, ridiculum id quidem, à viroque alienum, ac dignum plagis apparet. Idem igitur erga philosophantes mihi evenit: In adolescente enim philosophiam dum cerno, valde delector, decensque judico, atque ingenuum esse hominem hunc existimo: eum verò qui non philosophetur, illiberalem, nec umquam præclarum aliquid ac generosum de seipso præstiturum. Sed quando grandiorem natu philosophantem animadverto, neque dum studia ejusmodi deserentem: verberibus jam hunc virum, Socrates, indigere censeo. Quippe quod, quemadmodum modò dicebam, huic accidat homini ut etiam si ingenuæ indolis sit, tamen servilis evadat. fugit enim mediam civitatem, forensesque consuetudines, in quibus poëta inquit viros fieri præstantissimos, absconditque sese cum tribus vel quatuor pueris, & in angulis susurrando vitam ducit, nihil umquam liberale aut magnificum prolaturus. Itaque idem mihi erga te quod & Zetho erga Amphionem apud Euripidem, cujus modò mentionem feci, accidit. talia enim nunc mihi quædam adversus te dicere venit in mentem, qualia adversus fratrem ille dicit. Profectò ea Socrates negligis, quæ curæ esse tibi conveniebat, atque

adeò

adeò generosæ mentis præstantiam specie quadam puerili conformas, utpote qui nec in judiciis consultationibusque, si usus poscat, verba rectè facere, neque conveniens quicquam probabileque eligere, nec aliis promptè consulere possis. Quare, amice Socrates, ne mihi succenseas. Benevolentia enim erga te mea ad hæc proferenda nunc me adducit. Nonne turpe ducis sic comparatum te esse, quemadmodum arbitror, & te & alios omnes qui philosophiam diutius persequuntur? Nempe si te nunc quis, aut alium è cœtu vestro quempiam comprehendat; inque carcerem trahat, atque te injuriam, quamvis nullam inferas, inferre tamen accuset: certè quid ageres, non haberes, sed vacillares & scitaresque, defensionis tuæ prorsus ignarus. proinde adductus injudicium, vel ab iguavo abjectoque accusatore ultimo supplicio, si modo illi placeret, afficereris. Jam verò quomodo id ad sapientiam spectat, ô Socrates: si qua ars ingenuæ mentis nacta virum, reddit deteriorem; adeò ut nec ipse sibi opem ferre valeat: nec ex gravissimis periculis se, aut alium quemquam servare, sed inimicorum raptorumque exponat injuriis inglorium in civitate degentem? jam verò ejusmodi virum, & si dicto sit agrestius, licet super genam impunè pulsare. Quamobrem, bone vir, me audi, ac jam in vanis versari argutiis desine: decora rerum gerendarum exerce officia, atque ea ex quibus sapere videaris: ista verò arguta, sive deliramenta appellari oportet, sive nugas, unde vacuæ habitandæ tibi domus sunt, aliis relinque. denique imitare non eos qui hæc exigua captant; sed eos quibus victus & gloria, & alia bona adsunt complurima.

CAP. 24. εἰς πέμπτον, &c.

In quartam & in quintam.

Quæ in libro undecimo.

CAP. 1. ἴπαλοί. Vituli.

καθ' ἀνθίφρασιν. Per contrariam dictionem.

CAP. 4. τὸ ἦ ἀξίωμα, &c.

Auctoritas verò, etsi malè dicas, tua
Persuadebit: nam ab inhonoratis proficiscens oratio,
Et ab honoratis, eadem haudquaquam tantumdem valet.

ἀντὶ ἀδοξούντων. Pro inhonoratis.

ἀντὶ δοκούντων. Pro honoratis.

ἀδοξοῦσι. Inhonorati sunt.

ἐνδοξοῦσι. Honorati sunt.

CAP. 5. σκεπτικοί. Commentantes.

ἢ μᾶλλον, &c. Haud magis sic se hoc quàm illo habet modo, aut quàm neutro.

πυῤῥωνείων τρόπων. Pyrrhoniorum modorum.

σκεπτικοί, ἐφεκτικοί, ἀπορητικοί. Commentantes, hæsitantes, ambigentes.

τῶν πρός τι. Eorum quæ ad aliquid.

CAP. 15. ἀπαγωγάς. Deductiones & derivationes.

εὐεπιβόλως. Ingeniosè & apte.

CAP. 16, περὶ πολυπραγμοσύνης. De curiositate.

πολυφιλίαν. Multorum amicitiam.

πολυτροπίαν. Multiplices ac varios mores.

πολυσαρκίαν. Corpulentiam.

πολυπραγμοσύνην. Curiositatem.

Quæ in libro duodecimo.

CAP. 1. οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ, &c.

Non eques ipse pater fuerat tibi mehercule Peleus.
Non Thetis est genitrix, glaucum te protulit æquor,
Aëris & rupes, ita mens tibi dura feroxque est.

CAP.

CAP. 5. ἀμαθέστερον πῶς εἰπὲ, καὶ σαφέστερον λέγε. Indoctius rudiusque quodammodo loquere, & apertius ac clarius fare.

τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν. Quæ prima sunt secundùm naturam.

ἀναλγησία Indolentia.

ἀπαθεία. Animus nihil patiens.

CAP. 9. κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι.
Pejus esse injuriam facere, quam pati.

CAP. 11. πρὸς ταῦτα κρύπτε, &c.
Nihil occulta, quando cuncta tuens,
Et cuncta audiens, omnia revelabit dies.

Quæ in libro tertio decimo.

CAP. 1. ἀνθ' ἑνὸς, &c. Pro uno subjecto.

μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν, &c. Néve obstante domum fato penetrabis averni.

περὶ στεφάνου. De corona.

ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι, &c. Nam qui parentibus tantum se natum putat, fatalem atque spontis suæ mortem exspectat. Qui verò etiam patriæ ob id, ne in servitutem redactam illam videat, occumbere præoptabit.

τὴν πεπρωμένην καὶ τὴν αὐτόματον θάνατον.
Fatalem & spontis suæ mortem.

αὐτόματος θάνατος. Spontanea mors.

CAP. 5. ἡδίων ὁ Λέσβιος. Suavius Lesbium.

CAP. 6. προσῳδίας. Accentus.

CAP. 7. ἡ δὲ δὴ λέαινα, &c. Quum autem animalium acerrimum sit leæna & audacissimum, semel omnino in vita & unum parit. Enitendo enim, cum fœtu pariter matricem projicit.

ἐπίκοινον. Promiscuum.

εἰστήκει ὡς τίς. &c.

Utque leo in silva stabat, sua pignora circum;
Cui manus occurset catulos nemus inter agenti
Venatrix accincta virum.

πυκνὰ μάλα, &c.

Crebra gemens nimium, tamquam leo viribus ingens
Faucibus, absenti venator si catulum audax
Abripuit, denso in saltu.

λέων δ' ὅτι μὲν, &c. Leonem aversum coire, urinamque retro reddere, dictum jam est. Coit, & parit, non omni tempore: singulis tamen annis vere parit, & magna ex parte geminos. Sed quum plurimos, sex catulos, nonnumquam etiam unum. Quod de leæna fertur, vulvam cum partu emittere, delira fabula est, facta ex ea causa, quod rarum genus hoc animalis est: nec rationem, cur ita esset, comperire auctor ille fabulæ poterat. Rarum hoc enim est, nec multis nascitur locis, sed Europæ totius ea parte solùm, quæ inter Acheloum amnem & Nessum est. Parit leæna quoque adeo parvos ut vix post secundum mensem incipiant ingredi. Leones terræ Syriæ quinque, post verò subinde pauciores, deinde steriles degunt. Caret leæna juba, maris hæc propria est. Dentes eos tantummodò mutat leo, qui canini vocantur, quatuor: duos superius, totidem inferius, idque sexto mense ætatis fit.

CAP. 9. πανδέκτας. Promiscua & omnimoda continentes.

οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν. Non à suibus.

ὕειν. Pluere.

CAP. 10. ἐτύμῳ. Veriloquio.

CAP. 11. βιωφελῆ. Vitæ utilitatibus conducentia.

πέμμασιν. Placentis.

πέψει Concoctione.

τραγήματα. Panes secundæ mensæ.

CAP. 17. παροιμιώδης. Proverbio tritus.

πολλὰ μεταξὺ πέλει, &c.

Mul-

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

CAP. 18. σοφοὶ τύραννοι τ' σοφῶν ξυνουσίᾳ.
Sapientes tyranni sunt congressu sapientum.
αἴας ὁ λοκρός. Ajax Locrensis.
γέρων γερονθ' παιδαγωγήσω σ' ἐγώ.
Senex senem ego te ipsum erudiero.
φιλοκτήτης. Philocteta.
ἐν τῷ πυρφόρῳ προμηθ. In ignigero Prometheo.
σιγῶν θ' ὅπου δεῖ &c. Tacentem ubi opus est, & opportuna loquentem
σιγᾶν θ' ὅπου, &c. Silere ubi opus est, & tuto loqui.
CAP. 20. ἀφωνία. Vocalitas.
ἀέρα βαθεῖαν. Caliginem, & nebulam profundam.
κωλοιούς τε ψῆρας τε. Graculosque, sturnosque.
ψηρῶν τε. Sturnorum.
τ' δ' ὡς τε ψάρων, &c. Horum, ut de sturnis it nubes, graculisve.
CAP. 22. κρηπίδας. Crepidulas.
νηρείδας. Nereïdas.
σκιαμαχία. Umbratilis pugna.
κελομαχία. Arietum pugna.
CAP. 24. δὶς ταυτὸν, &c.
Bis idem nobis dixit sapiens Æschylus.
Venio enim ad terram, inquit, & accedo postliminiò:
Ast venio idem est, quod accedo postliminiò.
Ita per Jovem, atque si quis vicino dixerit,
Accommoda tu mactram, vel si libet, arcam panariam.
μάκελα ἢ κάρδοπ. Mactra & arca panaria.
ὑπομνημονεύειν. Commemorare.
ἕκτορα δ' ἐκ βελέων, &c.
Hectora de jaculis, de pulvere Juppiter, & de
Cædevirum abduxit, de sanguine, deque tumultu.
ὑσμῖναί τε, μάχαι τε, φόνοι τ', &c.
Prælia, conflictus, cædes, hominumque necatus.
μηκέτι παῖδε, &c.

Neu dulces pueri pugnate, aut cernite ferro.

μνηστῆρες δ' ἄρα, &c.

Telemachoque Proci lethum fatumque parabant.

θάνατον καὶ μόρον. Lethum & fatum.

βάσκ' ἴθι οὖλε ὄνειρε. καὶ, βάσκ' ἴθ' ἶρι ταχεῖα. Vade i somnium perniciosum: & alibi, Vade, & perge Iri citata,

ἐκ παραλλήλου. Ex geminatione.

CAP. 25. προσῳδίαν. Voculationem.

CAP. 26. γλαύκῳ καὶ, &c.

Glauco, Nereique, atque maris genio Melicertæ.

νεωτερικότερος. Audacior & juvenilior.

ταῦρον δ' Ἀλφείω, ταῦρον, &c.

Taurum autem Alpheo, Neptuno tum quoque taurum.

CAP. 28. ἐμφατικώτερον. Expressius.

τὸν ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. In lente unguentum.

CAP. 29. πρόσωπον Personam.

Quæ in libro quarto decimo.

CAP. 1. παχυμερέστερον. Crassius, & pinguiori Minerva.

λογικὰ ζῶα. Rationalia animalia.

νευρόσπαστα. Nervis moventia.

CAP. 3. παιδείας δ' οὐκ, &c. Institutionem autem minimè rectè attigisse.

CAP. 4. περὶ καλοῦ, καὶ ἡδονῆς. De honesto, & voluptate.

Παρθένος δὲ εἶναι, &c. Dicitur virgo esse, indicio eam esse incorruptam, improbis numquam concedere, non orationem suavem, non precationem, non adulationem, non denique quicquam aliud pati. Quas ob res meritò tristis etiam ac contracta fronte pingitur, vultu gravi, aspectu contento & torvo, ut injustis terrorem incutiat

cutiat, justis fiduciam præbeat: quando hujuscemodi facies justis grata, injustis molesta est.

CAP. 6. στειρῆνες. Sirenes.

Εὐρύκλεια Euryclia.

ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ. In interiore mari.

πρὸς Ἀ εἰσαρχον. Juxta Aristarchum.

ἐν τῇ ἔξω πρὸς Κράτητα. In exteriore juxta Cratetem.

ἰσόψηφοι. Pares.

παρασιχής. Continua series.

ἠμαθία. Emathia.

αἱμονία. Hæmonia.

ποσειδωνειον Posidonium.

ὄναιο σύ. Bene sit tibi.

ταύτης τῆς πολυμαθίας. Hujus multivagæ disciplinæ gratia.

ὅτι τοι ἐν μεγάροισι, &c.

AEdibus in nostris quæ recta aut prava geruntur.

Quæ in libro quinto decimo;

CAP. 3. αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα, &c.

Prima supinarunt, necuere, & exuta dedere
Pellibus.

CAP. 7. ἀνδρικαθέντων, &c. Fortiter ac viriliter agentibus vobis, atque succedentibus, suscipientibusque stationem meam.

CAP. 10. περὶ ψυχῆς. De anima.

CAP. 14. εἰσπράξατό με χρυσίον. Exegit à me argentum.

CAP. 19. περὶ ἐδεσμάτων. De eduliis.

CAP. 20. ἐν ταῖς προτέραις θεσμοφοριαζούσαις. In prioribus thesmophoriazusis.

νῦν ἓν ἁπάσαισι παραινῶ, &c.

Omnes igitur nunc admoneo, & dico
Virum hunccine ulciscì multis de causis.

Agre-

Agreſtia etenim quædam, matronæ, agit, ut qui
In agreſtibus enutritus oleribus ſit.
ὁ δὲ Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου, &c.
At Anaxagoræ alumnus veteris ille,
Durus quidem ad ſalutandum videtur,
Et ridendi oſor, & jocari ne ad vinum quidem
Conſuetus. verum quicquid ſcripſerit, id
A melle & Sirenibus profluit.
οὔποτε σὸν μνῆμα εὐριπίδης ὤλετο πῶ.
Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt.

CAP. 25. ἀνανεοῦται. Renovatur.

CAP. 26. λόγος ἐν ᾧ, &c. Oratio, in qua poſitis quibuſdam, aliud quid à poſitis neceſſariò conſequitur per ea quæ poſita ſunt.

CAP. 28. κατὰ ἀνδροτίωνος, καὶ κατὰ τιμοκράτους.
In Androtionem, & in Timocratem.

CAP. 31. πολιορκητής. Urbium expugnator.

Quæ in libro ſexto decimo.

CAP. ἐνθυμημάτιον. Commentatiunculam.

ἄν τι πράξῃς καλὸν, &c. Si cum labore honeſti quippiam egeris, labor abit, honeſtum manet. Si cum voluptate turpe feceris quippiam; quod ſuave eſt, abit, quod turpe eſt manet.

CAP. 3. διαιρέσεων. Diviſionum.

ἐλογιζόμεθα οὖν, &c. Cogitabamus itaque propter nimiam ventris compreſſionem ſummam eſſe inediam: nam & ii qui ſponte abſtinent cibo, primis temporibus fame afficiuntur, pòſt autem minus.

εἰθισμένοι δέ εἰσι, &c. Scythæ etiam conſueverunt, ſi quando cujuſpiam rei cauſa inediam ferre coguntur, latioribus faſciis ventrem cohibere, quaſi ita fames minus eos infeſtet. Ventre autem fere pleno, quia nulla in eo ſit inanitas, fit ne eſuriant. Dum autem venter compreſſus admodum eſt, caret inanitate.

ἀπο-

ἄπορον δὲ καὶ, &c. Dubium est indigensque considerationis, tum in hoc, tum in cæteris famelicis, quare in frigoribus magis hujuscemodi casus accidat, quàm serenis temporibus.

CAP. 7. οὐδετέρως. Neutro scilicet.

CAP. 8. εἰσαγωγάς. Introductiones.

περὶ ἀξιωμάτων. Pronuntiatorum.

ἀξίωμα. Pronunciatum.

λεκτὸν αὐτοτελὲς, &c. Dictum per se perfectum declaratum quantum ex semetipso.

ἀξίωμα. Propositum.

συνημμένον ἀξίωμα. Connexum pronunciatum.

συμπεπλεγμένον. Copulatum.

παραδιεζευγμένον. Vitiose disjunctum.

CAP. 9. ἀδιαφορεῖν. Indifferens esse.

CAP. 12. ἀπὸ τοῦ ἐῤῥεῖν. A pereundo.

ἔῤῥε κακὴ γλήνη. Pereas mala pupilla oculi.

ἔῤῥε ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων.

Ocius AEolia viventum pessime cedas.

βάσκανον. Invidum.

βασκαίνειν. Invidere.

ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι, &c. Ab apparendo ad id, quod melius ac benignius est.

CAP. 18. ὀπτική. Perspectiva.

κανονική. Regularis.

ῥυθμός. Modus, numerus.

μέλος. Modulatio, cantus.

κανονικῆς. Regularis.

μετρική. Dimensiva.

Quæ in libro septimo decimo.

CAP. 2. σόλοικον. Solœcismi vitium.

θεῖναι εἰς μέσον. Ponere in medium.

ἐφόδιον. Viaticum.

πημῶν ἱερά. Templorum sacra.

CAP. 3. καὶ δὴ δόρατα, &c. Atque adeò navium ligna putrefacta sunt, & rudentes fatiscunt.

ἀπαρῆς. Ex agris fatos.

CAP. 4. κηφισιάδης ὢν, &c.

Cephisieus genere ex Diopete patre,
Quinque & centum quum scripsisset fabulas,
Fato est defunctus, annos duos natus & quinquaginta.

τεχνικοί. Artificiales.

ἀμφισβητούμενον, &c. Dubium pro confesso & certo.

CAP. 8. μὴ γελᾶτε, &c. Ne ridete, inest oleum: verum vos nescitis qualis matutino diluculo hodie rigor fuerit, itaque gelu concretum est.

αἴθοπα οἶνον. Calidum vinum.

CAP. 9. σπυτάλη. Lorum quo epistolæ involvuntur.

CAP. 10. τῆς ἐρεύγονται, &c. Cujus ex penetralibus eructantur inaccessi ignis puritissimi fontes, fluviique ignis interdiu effundunt vorticem fumi ardentem: sed noctu rutila flamma volutata, saxa in profundam defert maris planitiem cum vehementi strepitu. Illud autem Vulcani reptile gurgites valde horrendos ejectat, prodigium quidem admirabile aspectu, miranda verò res & iis qui audiunt ab illis qui transierunt.

ῥόον καπνῷ αἴθοπα. Fluxum fumi calidum.

κρηνάς. Fluenta.

ἀκύρως. Impropriè.

τραχεῖα. Dura.

CAP. 11. πίζε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον ἐπιτέλλει.

Madefacito pulmonem vino, astrum enim exoritur.

ἡ κάτω κοιλία. Inferior venter, & alvus.

τραχεῖα ἀρτηρία. Aſpera arteria.

ἐπιγλωττίς. Appoſita lingula.

τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν. Aſperam arteriam.

CAP. 12. ἄλλοτε μητρυιή, &c.

Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca eſt.

μία μητρυιὰ, &c. Una noverca, duæ matres.

CAP. 19. ἄνδρ' ἕτοιμον πάθειν, &c. Sine ulla actione ad dicendum parati.

ἄνθρωπε πῦ βάλλεις, &c. Homo ubi jam mittis, conſidera nunquid purgatum vas ſit. Nam ſi ad inanem opinionem ea invergas, prorſum interierint. Sin computreſcant, in urinam aut acetum vertuntur, aut ſi quid iis ipſis eſt deterius.

κυνικώτερον. Magis cynicum.

ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Suſtine, & abſtine.

CAP. 20. πᾶσα γὰρ πρᾶξις, &c. Omnis enim actio ſic ſeſe habet. Nam ipſa quantum in ſemetipſa agitur, neque honeſta, neque turpis eſt: quemadmodum ſunt quæ nunc nos ipſi facimus, aut bibere, aut loqui, aut diſputare. Non enim eſt horum honeſtum per ſeipſum quicquam, ſed in actione, ut quidem eſt actum, ejuſmodi evenit. Nam honeſtè geſtum, & rectè, honeſtum fit, contrà verò turpe. Eodem pacto & amare ipſum, & amor, non omnis quidem honeſtus eſt, neque commendatione dignus: verum is, qui amare honeſte nos adhortatur.

ἐνθύμημα. Commentum.

ὁδὸς παρεργον. Obiter, extra itineris propoſitum, quaſi ex diverticulo.

CAP. 21. ἀπαίδευτος. Ineruditus.

συγχρονισμὸς. Congruentia tempora.

ἀνὴρ ὁ φεύγων, &c. Vir fugiens & denuò pugnabit.

ἀνδρωνῖτιν, γυναικωνῖτιν. Habitationem virorum, habitationem mulierum.

Quæ

Quæ in libro octavo decimo.

CAP. 2. κοινὰς τὰς γυναῖκας. Communes mulieres.

νήπιοι οὐδ' ἴσασιν, &c.

Ignorant ſtolidi quàm toto ſit medium plus.

Ac quanta utilitas in malva atque aſphodelo ſit.

CAP. 4. μοχθηρὸς καὶ φορτικούς. Improbos atque graves.

CAP. 5. ἀναγνώστην. Lectorem.

CAP. 6. σοφιστείᾳ. Inani ſapientia.

CAP. 7. ἐπιμαίνεσθαι. Furere & inſanire.

μελαγχολία. Atra bilis.

ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι, &c. Et affectionem fere hanc heroïcam eſſe.

μήτε καιροῦ, &c. Neque temporis, neque modi.

CAP. 8. ὁμοιοτέλευτα, καὶ ὁμοιόπτωτα. Similiter finientia, & æqualiter deſinentia, & comparia, & ſimiliter cadentia.

ἀπειρόκαλοι. Inepti.

CAP. 9. ἄνδρα μοι, &c. Dic mihi Muſa virum.

ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι. Pandite nunc Muſæ mihi.

ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι καὶ εἰπεῖν. Ab eo quod eſt ſequi, & dicere.

CAP. 10. ἐὰν ἁψῇ αὐτοῦ τῆς φλεβός. Si attrectáris venam ejus.

ἀγγεῖον. Vas, & conceptaculum.

σφυγμός. Pulſus.

σφυγμός, ἐστι, &c. Pulſus, eſt diſparatio & contractio indiviſibilis arteriæ & cordis.

Quæ

Quæ in libro nono decimo.

CAP. 1. Ἀμφιλέξεων. Disputationum.

συγκαταθέσεις. Assensiones.

τὰς τοιαύτας φαντασίας. Ejusmodi imaginationes.

ὁ συγκατατίθεται, &c. Non consentit, neque consciscit.

καὶ πρωτοπαδοξάζει. Et confirmat sententia sua.

ὁ συγκατατίθεται. Non approbat.

CAP. 2. αἰσθήσεις. Sensus.

ἀκολάστους. Libidinosos, & intemperantes.

ἀκρατεῖς. Incontinentes.

ἀκολάστους. Incastigatos.

Διὰ τί οἱ κ', &c. Cur incontinentes eos appellare solemus, qui voluptate contrectandi aut gustandi exsuperantur? Nam qui immodicè re utuntur venerea, & qui luxu delectantur ciborum, incontinentes vocamus. Ciborum tamen non eadem ratio est, sed partim linguam, partim gulam, sua movent suavitate. Unde Philoxenus gruis collum à diis immortalibus sibi dari optabat. At verò qui in videndo audiendove modum excedunt, non eodem vocabulo significamus? an quoniam voluptates sensibus hisce accommodatas, communes cum cæteris animantibus habemus? Ergo ut communes inhonestissimæ sunt, ideo etiam maxime vel solæ vituperandæ. Itaque hominem iis deditum reprehendimus, & incontinentem intemperantemque appellamus, quod victus à teterrimo voluptatum genere ducitur. Sed quum sentiendi genera quinque sint, cætera animalia duobus tantùm quæ modò dixi, voluptatem sibi acquirunt, cæteris vel nihil omnino delectantur, vel per accidens ita afficiuntur.

Quantum vales maximè.
Inque eo neque aſtra,
Neque plauſtra facias.
Nam quid cum Pleiadibus,
Quid cum Boote mihi?
Vites fabrica quæſo intus,
Et racemos pariter,
Aureoſque pulchrè calcantis
Comites Lyæi,
Amoremque excude ſimul.

ἀναφροδισίας. Invenuſtatis.

CAP. 11. τὴν ψυχὴν ἀγάθωνα φιλῶν, &c.
Suavia dans Agathoni animam ipſa in labra tenebam.
AEgra etenim properans tanquam abitura fuit.

οὐκ ἄμουσος. Non inelegans.

CAP. 12. ἀπάθειαν. Tranquillitatem.

πάθη. Paſſiones.

CAP. 13. ἀκλαής. Minimè plorans.

Quæ in libro viceſimo.

οἱ περὶ τὴν, &c. Liberi patris artifices.

προβλήματα ἐγκύκλια. Quæſtiones circulares.

διὰ τί οἱ διονυσιακοὶ, &c. Cur genus id hominum, quod Dionyſiacos technitas, id eſt, artifices bacchanales appellamus, improbis eſſe moribus magna ex parte conſueverunt? An quia minimè ſeſe ſtudio ſapientiæ dedunt? eo ſcilicet, quòd in artibus neceſſariis magnam partem ætatis ſuæ conſumunt, vitam plurimum traducunt incontinenter, partim etiam tum inopia, quod quidem utrumque vitia & gignit & auget.

CAP. 5. ἐξωτερικά. Extraria vel extrinſeca.

ἀκροαματικά. Auſcultatoria.

ἀκροαμαλικὸν. Auscultatoriam.

ἐξωτερικὰς. Extrarias.

δειλινὸν περίπατον. Pomeridianam ambulationem.

ἐωθινὸν. Diluculariam.

ἐξωτερικοί. Extrarii.

ἀκροαμαλικοί. Auscultatorii.

ἀκροαμαλικὰς. Auscultatorias.

ἀκροαμαλικοὺς. Auscultatorios.

CAP. 5. ἐπιμελοῦμαι. Habeo curam vestrûm, & consulo rebus vestris.

ὑμῶν. Vestri.

CAP. 8. συμπάθειαν. Consensum.

FINIS.



IN-

INDEX SCRIPTORUM

Ab

A. GELLIO LAUDATORUM:

Prior numerus librum, posterior capita libri designat.

AElius Melissus libro de loquendi proprietate 18, 6
L. AElius Stilo Præconinus 2, 21. 3, 3. 5, 21
idem commentario de proloquiis 16, 8
C. AElius Tubero 14, 7, 8
idem in historiis 6, 3, 4
idem historiarum primo 10, 28
idem de officio judicis 14, 2
idem libro ad C. Oppium 7, 9
AEschines in oratione qua Timarchum de impudicitia accusavit 18, 3
AEschylus ἐν τῷ πυρφόρῳ ᾠδῇ 13, 17
AEsopus Phryx in Apologis 2, 29
L. Afranius togatarum scriptor in togata 20, 6
idem in Consobrinis 15, 13
idem in togata. Sella 13, 8
in togata. Titulus 10, 11
A. Albinus historiæ libro primo 11, 8
Alcæus in poëmatis 17, 11
Alexander AEtolus 15, 20
Alexander magnus epistola ad Aristotelem 20, 5
Alexis comicus 2, 23. 4, 11
idem in comœdia, quæ Pythagoræ vita inscribitur 4, 11
Alfenus Varus libro Digestorum XXXIV. Conjectaneorum secundo 6, 5
Anacreon 19, 9
Andronicus philosophus 20, 5
Annæus Cornutus commentario in Virgilium 2, 6
idem de figuris sententiarum libro secundo 9. 10
L. Annæus Seneca ad Lucilium epistolarum libro XXII. 12, 2
Annianus poëta 7, 7 9. 10
Q. Antistius Labeo 1, 12. 15, 27
idem commentariis ad XII tabulas 1, 12. 20, 1
idem libro de duodecim tabulis secundo 7, 15
idem libris ad edictum prætoris 13, 10
idem libro ad edictum prætoris quarto ibid.
idem libris posterioribus ibid.
idem ad edictum ædilium curulium 4, 2

Antisthenes Socraticus 9, 5
Apollodorus 2, 23
idem in Chronicis 17, 4
Appion Plistonices 6, 8
idem in AEgyptiacis 5, 14. 10, 10
idem libro AEgyptiacorum quinto 51, 4 7, 8
Aristarchus Grammaticus 1, 25
Aristeas Proconnesius 9, 4
Aristides Samius 3, 10
Aristo I. C. 1, 18
Aristophanes 1, 15. 13, 23. 20, 11
idem in comœdia Ἀχαλὲς 19, 13
idem ἐν ταῖς προτέρεσις θεσμοφοριαζούσαις 15, 20
Arist. 2, 12, 22. 3, 11, 16. 10, 2. 15, 26. 19, 2, 5.
idem libro de animalibus sexto 13, 7
idem epistola ad Alexandrum magnum 20, 5
idem libro περὶ μνήμης 7, 6. 8, 7
idem libris problematum 1, 11. 2, 30
idem problematibus acroamaticis 20, 5
idem encyclicis 20. 4
idem exotericis 20, 5
idem problematibus physicis 19, 4. 5, 6
idem problematum septimo 3, 6
Aristoxenus in libro de Pythagora 4, 11
Arrianus in dissertationibus Epicteti 17, 19. 19, 1
idem libro secundo 1, 2
Q. Asconius Pedianus 15, 28
M. Asinius Pollio epistola ad Ciceronem 1, 22
idem epistola ad Plancum 10, 26
C. Atejus Capito 12, 2, 24. 10 20
idem in conjectaneis 2, 24. 20, 2
idem conjectaneorum libro nono, qui est de judiciis publicis 4, 14. 10, 6
idem conjectaneorum CCLIX. 14, 7, 8
idem in epistola quadam 13, 12
idem libro de jure pontificio quinto 4, 6
idem de officio Senatoris 4, 10
L. Attius 14, 1
idem Atreo 13, 2
idem Didascalico primo 3, 11
idem Neoptolemo 13, 3
idem Pelopidis 2, 6
idem Pragmaticis 20 3
idem Sotadicorum primo 7, 9
M. Attius Pl. 4, 7. 18, 12. 19, 8
in comœdia 1, 7
idem Amphitryone 1, 7
idem Asinaria 1, 22. 7, 17. 18, 12
Astraba 11, 7
idem Aularia 3, 14. 7, 9
idem Bacchidibus 3, 14
idem Bœotia 3, 3
idem Casina 1, 7
idem Cistellaria 3, 16

idem

idem Clitellaria 7, 7
idem Epidico 4, 6, 17
idem Epitaphio suo 1, 21
idem Freto 3, 3
idem Menæchmis 3, 14. 18, 9
idem Milite glorioso 15, 15
idem Mostellaria 20, 6
idem Nervolaria 3, 3
idem Persa 5, 21
idem Pœnulo 13, 28
idem Pseudolo 20, 6
idem Rudente 9, 12
idem Sticho 7, 17
idem Trigeminis 7, 9
idem Trinummo 17, 6
idem Truculento 13, 21
D. Augustus epist. ad Cajum nepotem 15, 7
idem in epistolis 10, 24
P. Aurelius Opilius in libro primo Musarum 1, 25

B.

Bacchylides 20, 7
Brutus 17, 7

C.

Cæcilius Gallus libro secundo de verborum significatione, quæ ad jus pertinent 16, 5
Cæcilius Statius 5, 6
idem Chrysio 7, 17
idem Hypobolimæo AEschino 15, 14
idem Plocio 2, 23. 3, 16
idem Polumenis 11, 7
idem Subditivo 15, 9
idem Synaristusis 15, 15
idem triumpho 7, 7
Cælius 10, 1
idem historiarum libro secundo 10, 24
Cælius Sabinus I. C. 7, 4
idem libro de edicto ædilium curulium 4, 2
Cæsellius Vindex 9, 14. 18, 11
idem in commentariis Antiquarum lectionum 2, 16. 3, 16. 7, 2. 11, 15. 20, 2
Callimachus 4, 11
C. Calvus 19, 9
idem in poëmatis 9, 12
Cares 5, 2
Carneades 17, 15
Q. Cassius primo Annalium 17, 21
Chrysippus 11, 12
idem libro περὶ καλῆς ἡδονῆς 14, 4
idem libro περὶ προνοίας *quarto* 6, 1, 2
L. Cincius Alimentus, de re militari libro tertio 16, 4
idem libro quinto ibid.
idem libro sexto ibid.
Q. Claudius Quadrigarius 5, 21
idem annali primo 1, 25. 2, 19. 7, 11. 9, 13, 14. 17, 2
idem annali tertio 1, 16. 3, 7, 8
idem quinto 5, 17
idem sexto 2, 2. 17, 13
idem octavo 17, 13
idem undecimo 13, 18
idem tertiodecimo 13, 27
idem duodevicesimo 1, 7

Idem undevicesimo 9, 1. 10, 1. 15, 1. 20, 6
Idem uno & vicesimo 10, 13
Idem vicesimo tertio 10, 13
Idem centesimo & quinquagesimo 1, 7
Clearchus 4, 11
Cloatius Verus in libris verborum à Græcis tractorum 16, 12
Idem libro quarto ibid.
P. Cornelius Pauli F. Scipio Africanus in oratione, quam dixit in censura, quum ad majorum mores populum hortaretur 4, 20. 5, 19
Idem in oratione pro se contra Tib. Asellum de multa ad populum 7, 11
Idem in oratione contra P. Sulpicium Gallum 7, 12
Idem in quinta oratione contra Claudium Asellum 2, 20
L. Cornelius Sulla rerum gestarum libro secundo 1, 12. 20, 6
Cornelius Nepos 17, 21
Idem in primo Chronicorum 17, 21
Idem primo librorum de vita Ciceronis 15, 28
Idem de viris illustribus 1, 18
Idem libro exemplorum quinto 7, 18
Crates 2, 25
Critolaus peripateticus 9, 5. 11, 9
Ctesias 9, 4

D.

Democritus 5, 15
Idem de vi & natura chamæleontis 10, 12
Idem περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν 4, 13
Demosthenes 2, 27. 10, 19
Idem in orationibus 9, 3
Idem in oratione ὑπὲρ στεφάνου 13, 1
Dicæarchus 4, 11
Diodorus Cronus 11, 12
Dioxippus Socraticus 17, 11

E.

Elis grammaticus vetus in Commentariis 13, 14
Empedocles in carmine 4, 11
Q. Ennius 7, 9, 12. 9, 4. 10, 1. 12, 2. 13, 19. 17, 17. 18, 9. 19, 8
Idem in annalibus 2, 26. 3, 14. 6, 6. 10, 29. 16, 10
Idem libro primo 6, 6. 9, 13, 14. 13, 21
Idem libro tertio 1, 22
Idem libro septimo 12, 4. 18, 5
Idem libro octavo 20, 10
Idem libro duodecimo 17, 21
Idem libro tertiodecimo 7, 2. 18, 2
Idem libro quartodecimo 2, 26. 10, 25
Idem libro sextodecimo 9, 14
Idem libro duodevicesimo 13, 19

idem in Achille 4, 17
idem in Alexandro 6, 5
idem in Cresphonte 6, 16
idem in Erechtheo 6, 16
idem in Hecuba 11, 4
idem in Iphigenia 19, 10
idem in Menalippa 5, 11
idem in Neoptolemo 5, 15, 16
idem in Phœnice 7, 17
idem in Scipione 4, 7
idem in Satiris 2, 29. 7, 9, 12. 18, 2
Ephorus historicus 3, 11
Epicharmus 1, 15
Epicurus 2, 6, 8. 5, 15, 16. 9, 5
Epictetus 1, 21. 17, 19
idem libro quinto Διαλέξεων 19, 1
Erasistratus 17, 11
idem libro primo διαιρέσεων. 16, 3
Erucius Clarus epistola ad Sulpicium Apollinarem 13, 16.
Euripides 1, 15. 7, 3. 13, 17 17, 4. 20, 7
idem Bacchis 13, 17
idem in tragœdia εἰνώ 13, 17
idem in Hecuba 11, 4
Eupolis 1, 15
Euclides 1, 20

F.

M. Fabius Pictor libro annalium primo 1, 12. 10. 15
idem libro quarto 5, 4
Favorinus 1, 1, 9, 8, 10, 12
idem in oratione quum legem Liciniam de sumtu minuendo suasit 15, 8
idem in περὶ Πυῤῥωνείων τρόπων 11, 5
Fenestella 15, 28
Furius poëta 18, 11

G.

Gabius Bassus in Commentariis 3, 9
idem libris de origine vocabulorum & verborum 3, 19. 5, 7
idem libro tertio de origine vocabulorum 2, 4
idem libro septimo 11, 17
Gallus Asinius 17, 1
Cn. Gellius 8, 14
idem in annalibus 18, 2
idem annali tertio 13, 21

H

D. Hadrianus oratione quam in senatu de Italicensibus habuit 16, 13
Hegesias 9, 4
Helvius Cinna in poëmatis 9, 12. 19, 9, 13
Heraclitus Ephesius 20, 10
Hermippus 3, 33
Herodotus in historiis 1, 11. 5, 9, 8, 4. 16, 19. 17, 8. 18, 2
idem historiarum primo 3, 10
idem libro tertio 13, 7
idem libro quarto 16, 11

Hesiodus 1, 15. 4, 5
Hierocles Stoicus 9, 5
Hippocrates 17, 11. 19, 2
idem libro περὶ τροφῆς 3, 16
Homerus 1, 11, 15. 2, 6, 21. 22, 26, 30. 3, 10, 16. 5, 9. 6, 2, 6. 7, 20. 9, 9, 10. 12, 1. 13, 1, 7, 20, 23, 25. 14, 6. 15, 3, 6. 16, 12, 17, 38. 18, 19. 20, 7
Q. Horatius Flaccus 2, 22
Q. Hortensius 19, 9
Hypsicrates grammaticus libris super his quæ à Græcis accepta sunt 16, 12. 19, 2

I.

C. Julius Cæsar. 7, 9
idem in libris Analogicis ad M. Ciceronem 19, 18
idem in Anticatone 4, 16
idem libro de Analogia primo 1, 10
idem libro de Analogia secundo 9, 14
idem in Dolabellam actionis tertio 4, 16
idem in epistolis ad C. Oppium & Cornelium Balbum 17, 9
idem in oratione pro Bithynis 5, 13
idem in suasione rogationis legis Plautiæ 13, 3
Julius Higinus 6, 6. 10, 16
idem commentariis in Virgilium 1, 21. 5, 8
idem in exemplis 10, 18
idem de vita & rebus Africani 7, 1
idem libro de vita rebusque illustrium virorum sexto 1, 14
idem de Virgilio libro quarto 16, 6
Julius Modestus secundo quæstionum confusarum 3, 9
Junius 14, 8
Isigonus Nicæensis 9, 4

L.

D. Laberius 8, 15. 17, 14
idem in Anna Perenna 16, 7
idem in Alexandrea 16, 7
idem in Cacomemnone ibid.
idem in Catulario 7, 9
idem in Coloratore ibid.
idem in Compitalibus 16, 7, 9
idem in Cophino 16, 7
idem in Fullonica ibid.
idem in Fullone ibid.
idem in Gemellis 1, 7
idem Gallis 7, 9
idem in Lacu Averno 11, 15
idem in mimis 16, 7
idem in mimo primo, qui est, Salinator 3, 12
idem in mimo, qui est, Scriptura 3, 18
idem in natali 16, 7
idem in Necromantia 16, 7. 20, 9
idem in Restione 10, 17. 16, 7
idem in Saturnalibus 16, 7
idem in Sororibus 9, 12
idem in Staminariis 16, 7

Lælius Felix ad Q. Mucium libro primo 15, 7
Lævius 19, 9
idem in Alcesti 19, 7
idem in Erotopægniis 2, 24
idem in Protesilaodamia 12, 10
Largius Licinius in libro qui Ciceromastix 17, 1
P. Lavinius libro de verbis sordidis 20, 11
Lenæus Pompeii libertus 17, 16
C. Licinius Imbrex in fabula Neæra 13, 21
Licinius Mucianus 9, 4
L. Livius Andronicus in odyssea 7, 7. 3, 16
idem odysseæ libro primo 18, 9
C. Lucilius 1, 3. 2, 24. 3, 14. 4, 16. 7, 3. 8, 5. 9, 14. 16, 5. 18, 5. 20, 8.
idem primo satirarum 10, 20
idem tertio 1, 16. 16, 9
idem quinto 18, 8
idem septimo 9, 14
idem nono 1, 16
idem undecimo 4, 17. 11, 7
idem libro quinto decimo 1, 16. 4, 17. 9, 14
idem libro sexto decimo 4, 1
idem vicesimo 4, 1
T. Lucretius Carus 5, 15. 7. 3. 12, 10. 13, 19. 16, 5
idem libro quarto 1, 21. 10, 26

M.

Manilius 17, 7
Massurius Sabinus 3, 16. 5. 6, 19. 10, 15. 11, 18. 14, 2
idem Memorialium primo 6, 7
idem libro septimo 4, 20
idem libro undecimo 5, 6
idem in commentariis de indigenis 4, 9
idem libris juris civilis
idem libro secundo 4, 1. 2, 11, 18
idem libro tertio 5, 13
idem libro de furtis 11, 18
Cn. Matius in mimiambis 10, 14. 15, 25. 20, 9
idem iliados septimo 6, 6
idem iliados uno & vicesimo 9, 14
idem iliados tertio & vicesimo 9, 14
idem de auspiciis libro primo 13, 14
Memmius 19, 9
Menander 2, 23. 17, 4
idem Plocio 2, 23. 3, 16
Q. Metellus Numidicus in epistola quam quum in exilio esset scripsit ad Cn. & L. Domitios 15, 13. 17, 2
idem in libro accusationis in Valerium Messalam tertio 15, 14
idem in oratione adversus Manlium TR. PL. 6, 11
idem in oratione de triumpho suo 12, 9
idem in oratione, quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus 1, 6
Q. Mucius Scævola 4, 1

idem de jure civili libro sexto decimo 7, 15
Q. Mucius Scævola filius 17, 7
Q. Mucius Scævola pater ib.
Musonius 16, 1. 18, 2

N.

Cn. Næv. 1, 24. 6, 8. 8, 13
idem libris sive carmine belli Pœnici 5, 12. 17, 21
idem in Hesiona 10, 25
idem in Tryphallo 2, 19
Neratius libro de nuptiis 4, 4
P. Nigidius Figulus 2, 26. 3, 19. 4, 16. 5, 21. 8, 14. 10, 11. 11, 11. 13, 10, 18, 4. 19, 14
idem Augurii privati libro primo 6, 6
idem de animalibus libro secundo 7, 9
idem de extis 16, 6
idem de vento libro secundo 2, 22
idem de Virgilio libro quarto 16, 6
idem commentariis grammaticis 5, 2. 9, 12. 10, 4. 12, 14. 13, 6. 15, 3. 17, 13. 19, 14
idem libro undecimo commentariorum 4, 9
idem vicesimo tertio 17, 7
idem vicesimo quarto 13, 24
idem in undetricesimo 10, 5
Novius in Ligartaca 15, 13
idem in Attellana Parcus 17, 2

O.

Onesicritus 9, 4
C. Oppius de vita & rebus Africani 7, 1

P.

M. Pacuvius 1, 24. 2, 26. 13, 8. 14, 1
idem Anchisa 4, 17
idem Atreo 13, 2
idem Niptra 13, 28
idem Paulo 9. 14
Pamphila commentario undecimo 15, 23
idem commentario nono & vicesimo 15, 17
Panætius philosophus libro secundo de officiis 13, 26
Parthenius poëta 13, 25
Pericles Atheniensis 1, 3
Philemo 17, 4
Philippus Macedo epistola ad Aristotelem 9, 3
Philistion Locrus 17, 11
Phlochorus 3, 11. 15, 20
Pindarus 17, 10. 20, 7
L. Piso Frugi Annalium primo 11, 14
idem annali secundo 15, 29
idem annali tertio 6, 9
Plato 5, 15, 16. 6, 1, 13. 7, 9, 5. 17, 11, 12 18, 2. 19, 11
idem de legibus 20, 1
idem libro primo 15, 2
idem libro secundo ibid.
idem de optimo statu reipublicæ 14, 3
idem Gorgia 6, 14. 10, 22

idem

idem Parmenide 6, 13
idem in Protagora 5, 3
idem Symposio 17, 20
idem Theæteto 13, 17
C. Plinius Secundus in historia naturali 17, 15
idem libro septimo 3, 16. 9, 4
idem libro decimo 13, 12
idem libro vigesimo octavo 13, 12
idem libris Studiosorum 9, 16
Plutarchus 3, 5. 17, 11
idem commentario in Hesiodum quarto 20, 8
idem de Homero libro primo 4, 11
idem libro secundo 2, 8, 9
idem in Symposiacis 4, 11. 17, 11
idem libro octavo 3, 6
idem Ὁπόση ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀνθρώποις περὶ εὐφυΐαν καὶ ἀρετὴν διαφορὰ 1, 1
idem περὶ ἀργηστίας 1, 26
idem περὶ πολυφραγμοσύνης 11, 16
idem περὶ ψυχῆς *primo* 1, 3. 15, 10
Polybius 7, 14
Polystephanus 9, 4
L. Pomponius Atellanarum scriptor in AEditumis 12, 10
idem in Gallis Transalpinis 16, 6
idem in Mævia 10, 14
idem, Parcus 3, 17
idem in Porcetra 18, 6
M. Porcius Cato 2, 17. 4, 9, 12. 5, 21. 13, 22, 16, 12. 19, 10. 18, 7
idem in carmine de moribus 11, 2
idem libro de agricultura 3, 14
idem libro de falsis pugnis 10, 3
idem quæstionum epistolicarum libro primo 7, 10
idem libro de re rustica 10, 26
idem libro de re militari 7, 4
idem Originibus 3, 7. 10, 24. 18, 12
idem Originum primo libro 1, 16
idem secundo libro 17, 13
idem in tertio libro 2, 22. 17, 13
idem libro quarto 2, 19, 28. 5, 21. 10. 1, 11. 1, 3
idem quinto 7, 3. 11, 3. 15, 9. 15, 13
idem sexto 20, 5
idem septimo 13, 23
idem in orationibus 13, 23
idem oratione de præda dividunda 11, 18
idem in oratione ad milites contra Galbam 1, 23
idem de Achæis 2, 6
idem de ædilibus vitio creatis 13, 16
idem contra Turium 10, 24
idem contra Tiberium exsulem 2, 14
idem de bello Carthaginiensi 9, 14
idem de dote 10, 23

idem

idem de decem hominibus 13, 23
idem de consulatu suo 4, 17
idem de Carthaginiensibus 3, 14
idem de Lusitanis contra Ser. Galbam 1, 2. 13, 23
idem de sacrilegio commisso 7, 22
idem de re Floria 9, 12. 10 13
idem de Ptolemæo contra Thermum 18, 9. 20, 11
idem de suis virtutibus 16, 14
idem in M. Fulvium apud Censores 5, 13
idem in Lentulum apud Censores 5, 13
idem in L. Veturium 17, 2
idem in suasione legis Voconiæ 7, 13. 17, 6
idem ne veteri sit imperium ubi novus venerit 20, 2
idem in oratione quam dixit Numantiæ apud equites 16, 1
idem pro L. Turio contra Cn. Gellium 14, 2
idem pro Rhodiensibus in senatu 7, 3. 13, 23
idem pro se contra C. Cassium 10, 14
idem Si se Cælius TR. PL. appellasset 1, 15
Porcius Licinius 17, 21. 19, 9
Posidius 2, 13
Pythagoras 6, 2

Q.

C. Quintius Atta in Ædilicia 7, 9
idem Conciliatrice. ibid.

R.

Rutilius 7, 14

S.

Sabinus interpres Hippocratis 3, 16
C. Sallustius Crispus 1, 15. 2, 17. 4, 17. 9, 11. 10, 7, 21. 15, 13
idem Catilina 3, 1. 4, 15. 7, 17. 9, 11. 10, 6
idem in historiis 2, 27. 15, 13. 17, 18
idem in historia prima 9, 12. 10, 26
idem in historia secunda 10, 20. 13, 28
idem historia quarta 18, 4
idem Jugurtha 1, 22. 9, 14. 16, 10
Sappho 20, 7
Sedigitus Vulcatius libro de poëtis 15, 24
C. Sempronius Asellio 1, 13
idem rerum gestarum libro primo 5, 18
idem libro quarto 13, 3
idem libro quinto 2, 13
idem libro tertio decimo 4, 9
idem libro quarto decimo 13, 20
C. Sempronius Gracchus in oratione contra P. Popilium 11, 13
idem quum ex Sardinia rediit ad populum in concione 15, 12

idem de legibus promulgatis 9, 14. 10, 3
idem de Q. Popilio circum conciliabula 1, 7
idem in dissuasione legis Aufeiæ 11, 10
Ser. Claudius commentario 13, 21
Ser. Sulpicius in reprehensis Scævolæ capitibus 4, 1
idem de sacris detestandis libro secundo 6, 12
idem epistolâ ad Varronem 2, 10
idem libro de dotibus 4, 3, 4
idem ad edictum ædilium Curulium 4, 2
Sinnius Capito epistola ad Pacuvium Labeonem plura non pluria dici debere 5, 21
idem in litteris ad Clodium Tuscum 5, 20
L. Sisenna historiarum quarto 11, 15
idem historiarum sexto 9, 14. 12, 15
Socrates 12, 9
Sophocles 12, 11
idem in tragœdia Αἴας ὁ Λοκρός 13, 17
idem in tragœdia φυλοπίδες ibid.
Sotion in libro κέρως ἀναλθείας 1, 8
C. Suetonius Tranquillus 15, 4
idem historiæ ludicræ libro primo 9, 7
Sulpitius Apollinaris 2, 16. 4. 17
idem in quadam epistola 15, 5
idem in epistola ad L. Clarum 13
P. Syrus mimographus 17, 14, 16

T.

Taurus philosophus in Gorgiam Platonis commentario primo 6, 14
P. Terentius Afer 4, 16. 7, 7. 18, 12
idem Heautontimorumeno 4, 9
idem Phormione 20, 6
Q. Terentius Scaurus de erroribus Cæsellii 11, 15
M. Terentius Varro 1, 20. 2, 18. 21, 28. 3, 14. 4, 16. 5, 21. 7, 14. 9, 9. 10, 7, 27. 11, 1, 6. 16, 8. 16, 18. 17, 4, 21. 18, 9. 19, 10
idem de comœdiis Plautinis libro primo 3, 3. 17, 21
in libris de lingua Latina 7, 11
idem libris ad Marcellum de lingua Latina 8, 12
idem de lingua Latina ad Ciceronem libro sexto 10, 21
idem libro octavo 2, 25
idem libro vigesimoquarto 16, 8
idem de poëtis primo 1, 24. 17, 21
idem libro de re rustica tertio 2, 20
idem de sermone Latino ad Marcellum libro secundo 12, 6, 10

idem libro tertio 16, 12
idem in libris disciplinarum 18, 15
idem libro quinto 10, 1
idem libris divinarum 16, 17
idem libro secundo 10, 15
idem libro septimo 18, 12
idem decimo quarto 3, 16. 15, 30
idem in libro Pius, aut de pace 17, 18
idem epistolicarum quæstionum libro quarto in litteris ad Oppianum 14, 7, 8
idem epistola ad Ser. Sulpicium 2, 10
idem Hebdomadum vel de imaginibus libro primo 3, 10, 11
idem libris sive antiquitatibus rerum humanarum 11, 1
idem libro primo 13, 15
idem quarto decimo 1, 18
idem octavo decimo 1, 16
idem uno & vicesimo 11, 1. 13, 12, 13
idem quinto vicesimo 17, 3
idem humanarum libro de bello & pace 1, 25
idem humanarum libro de diebus 3, 2
idem libro Isagogico 14, 7
idem in logistorico Catus, sive de liberis educandis 4, 19. 20, 11
idem in Sisenna vel de historia 16, 9
idem Satira Menippæa de officio mariti 1, 17
idem in Satira, Nescis quid serus vesper vehat 1, 22. 13, 11
Satira Orestes sive de insania 13, 4
idem in Satira Testamentum 3, 16
idem in libro Satirarum qui est, Exdemetricus 19, 8
idem in Satira Menippæa Ἱππακύων 3, 18
idem Satira ὑδροχρύων 13, 29
idem Satira περὶ ἐδεσμάτων 7, 16. 15, 19
idem Satira, δὶς παῖδες οἱ γέροντες 6, 5
idem Satira σπιαμαχία 13. 21
Satira τὸ ὄπι τῇ φακῇ μύρον 13, 27
Theocritus Bucolicis 9, 9
Theodectes in Tragœdia Mausolus 10, 8
Theophrastus 4, 1. 8, 6. 16, 15
idem libro primo de amicitia 1, 3. 7, 8
Theopompus 15, 20. 16, 15
Thucydides 1, 11. 17, 21
Timæus in Historia Græca de rebus pop. R. 11, 1
Timon in Sillis 3, 17
Tiro Tullius Ciceronis libertus 12, 3. 4, 16
idem epistola quadam 10, 1
idem epistola ad Q. Axium 7, 3
idem in pandectis 13, 9
de variis atque promiscis quæstionibus ibid.

de usu atque oratione linguæ Latinæ ibid.
C. Trebatius 4, 2
idem de religionibus libro secundo 6, 12
C. Tuditanus 6, 4
idem in commentario tertiodecimo 13, 14
M. Tullius Cicero 1, 11, 15. 2, 17. 7, 9. 8, 6. 10, 3, 18. 11, 2. 13, 15, 19. 20, 6
idem epistolarum ad Atticum libro nono 4, 9
idem epistolarum libro ad Ser. Sulpicium 12, 13
idem epistolarum libro ad Plancum 1, 22
idem de divinatione libro primo 4, 11. 15, 13
idem de fato 6, 2
idem de finibus libro secundo 15, 13
idem de gloria libro secundo 15, 6
idem de jure civili in artem redigendo 1, 22
idem in libro qui inscribitur laus Catonis 13, 18
idem Lælio sive de amicitia 1, 3. 17, 5
idem in Oratore 18, 7. 15, 3
idem de Oratore libro primo 1, 15
idem libro secundo 4, 8
idem Oeconomico 15, 5
idem in libris de republica 12, 2
idem libro secundo 1, 22
idem sexto 6, 16
idem de accusatore constituendo 4, 9. 13, 23
idem Antoniana prima 13, 2
idem secunda 1, 22. 7, 11. 13, 20
idem sexta 1, 16
idem contra concionem Q. Metelli 18, 7
idem contra Rullum de lege Agraria 13, 23
idem in dissuasione legis Agrariæ 6, 16
idem in Maniliana de imperio Cn. Pompeii 1, 7
idem Miloniana 1, 16
idem pro A. Licinio 6, 16
idem pro M. Cælio 17, 2
idem pro Cluentio 16, 7
idem pro Cn. Plancio 1, 4. 9. 12
idem pro C. Rabirio 12, 3
idem pro Sex. Roscio 9, 14
idem pro P. Sestio 9, 16. 12. 13
idem pro P. Sulla 6, 16
idem de provinciis Consularibus 3, 16. 15, 5
idem in L. Pisonem 12, 23
idem in Verrem 12, 10
idem in Verrem actionis secundæ primo 6, 16
idem oratione secunda 13, 19
idem tertia 12, 13
idem quarta 2, 6
idem quinta 1, 7. 13, 19

V.

Q. Valerius Antias 3, 8. 5, 21. 6, 8. 7, 19.
idem historiarum duodecimo 7, 19

idem quarto & vicesimo 1, 7
idem quadragesimo quinto 7, 9
idem septuagesimo quinto ibid.
Valerius A Edituus 19, 9
Q. Valerius Catullus 6, 16. 7, 20. 19, 9
Valerius Maximus factorum & dictorum memorabilium libro octavo 12, 7
M. Valerius Messala Augur 13, 14
Valerius Probus 1, 15. 7, 7, 9. 15, 30
idem commentario de occulta litterarum significatione C. Cæsaris 17, 9
idem epistola ad Marcellum 4, 7
C. Valgius Rufus de rebus per epistolam quæsitis libro secundo 12, 3
Velius Longus in commentario de usu antiquæ loquutionis 18, 9
P. Virgilius Maro 1, 22. 2, 3. 6, 22, 26. 3, 2. 4, 1, 16, 17. 5, 8, 12. 6, 6. 7, 12. 17, 20. 8, 5. 9, 9, 10, 11. 14. 10, 11, 29. 12, 1. 13, 19, 25. 15, 13. 17, 10. 20, 1
idem in Bucolicis 9, 9
idem in Georgicis 1, 21, 22, 4, 16. 18, 5
idem libro primo 13, 19
idem Aeneidos libro primo 10, 16
idem secundo 2, 3
idem tertio 13, 19
idem quarto 13, 1
idem sexto 2, 16. 4, 17. 10, 16. 16, 5
idem septimo 16, 6
idem decimo 13, 19
M. Verrius Flaccus 16, 14. 18, 7
idem de obscuris Catonis 17, 6
idem rerum memoria dignarum libro primo 4, 5
idem de verborum significatione libro quarto 5, 17, 18

X.

Xenophanes 3, 11
Xenophon *in Cyripædia* 14, 3
idem in commentariis dictorum & factorum Socratis ibid.

Z.

Zeno 9, 5. 17, 35

LE-

LEGUM
ET
ALIORUM MONUMENTORUM,
Itemque incertorum scriptorum
INDEX.

Annales antiqui 1, 19. 2, 11. 3, 15. 6, 7. 9, 11
Annales Maximi libro undevicesimo 4, 5
Libri veterum memoriarum 5, 5. 10, 27
Monumenta historiæ Græcæ 10, 17, 18. 7, 9. 17, 15
Historia rerum Pœnicarum 17, 9
Scriptores temporum Augusti 10, 12
Liber commentarius de familia Porcia 13, 18
Libri de Vita P. Scipionis Africani 3, 4
Laudationes funebres 13, 18
Leges duodecim tabularum 6, 7. 8, 1. 11, 18. 15, 13. 16, 10. 17, 12. 20, 1, 10
Lex AEmilia sumptuaria 2, 24
Lex Antia 2, 24
Lex Ateria 11, 1
Lex Atinia 17, 7
Lex Cornelia 2, 24
Lex Ebutia 16, 10
Lex Fannia 2, 24
Lex Horatia 6, 7
Lex Hortensia 15, 27
Lex Julia de Judiciis 14, 2
Lex Julia sumptuaria 2, 24
Lex Julia de donanda civitate universo Latio 4, 4
Legis Juliæ caput septimum 2, 15
Lex Licinia 2, 24. 15, 8. 17, 21. 20, 1
Leges Numæ regis 4, 3
Lex Sempronia 10, 3
Leges Solonis 11, 18
Decretum D. Hadriani 3, 16
Decretum senatus de mutuitatione 2, 24
Decreta Tribunicia 7, 19
Senatusconsultum de Philosophis & rhetoribus Latinis 15, 11
Senatusconsultum vetus, quòd hastiæ Martiæ movissent 4, 6
Edictum AEdilium curulium de mancipiis 4, 2
Edictum perpetuum 10, 15
Edictum Consulum de comitiis centuriatis 13, 14
Edictum censorium de coërcendis rhetoribus Latinis 15, 11
Edicta veterum prætorum 11, 17

Edictum tralaticium consulum 3, 18
Libri sacerdotum P. R. 13, 21
Libri de Auspiciis Augurum P. R. 13, 14
Lex compitalium concipiendorum 10, 24
Lex Censoria 4, 20
Lex belli indicendi 16, 4
Lex jurisjurandi militaris ib.
Lex Arrogationis 5, 19
Lex Vestalis virginis capiendæ 1, 12

FINIS.

Memineris, lector, hoc in indice ita scriptores laudari & vetera monumenta, ut in uno unius libri capite iidem scriptores sæpius repertantur, item legum XII tabb. aliarumque plura capita, cujus te monitum volumus.

IN-

INDEX
RERUM & VERBORUM
In A. Gellio memorabilium.

Prior numerus librum, posterior capita libri designat.

Abluvium apud Laberium 16, 7
Abnoctandi jus 13, 12
Absolutè posita quædam 1, 21
Academici ut à Pyrrhoniis differant 11, 5
Acca Larentia qualis fuerit, quæque illi sacra constituta 6, 7
Accentiunculæ 13, 6
Accipitret quid Levio 19, 7
Accius poëta quando floruerit 17, 21
Accii & Pacuvii poëtarum colloquium 13, 2
Acerbitas & acerbitudo 13, 3
Acetum cur haud fere umquam congelascat 17, 8
Achæi pugnam taciti ineunt 1, 11
Acies Romanorum ut instrui solita 10, 9
Acii, secundo casu 9, 14
Acina, apud Catullum 7, 20
Acritas & acritudo 13, 3
Actiones rei uxoriæ in urbe Roma ante Carvilianum divortium nullæ 4, 3
Actito, frequentativum ab ago, quemadmodum prima pronuncietur syllaba 9, 6
Actuariæ naves 10, 25
Ad, præverbium quando acuatur 17, 7
Addicti à prætore debitores creditoribus ut tractati & habiti 20, 1
Addictam suam Plautus in pistrino scripsit 3, 3
Adhæsè loqui 5, 9
Adjunctum dialecticum 16, 8
Admiratio magna non parit verba, sed silentium 5, 1
Admodum, *adprobè*, *affabrè* & similia ubi acuantur 7, 7
Adoptio quid, & ut ab arrogatione differat; qui possint adoptare & adoptari 5, 19
Adoptivus filius utrum adoptatori inter præmia patrum prosit *ibid.*
Adprimus 7, 7
Adprobus quid significet *ib.*
Adverbia in *im.* 12, 15
Advertere navem 16, 6
Adultera uxor deprehensa à marito impunè occiditur 10, 23

Adulterio, & adulteritas apud Laberium 17, 7
AEacus Jovis filius 15, 25
AEschines acerrimus prudentissimusque orator 18, 3
AEschylus Euripide antiquior 13, 7
Quo tempore Athenis poëta celebris fuerit 17, 21
AEdepol, muliebre jusjurandum 11, 6
AEdes sacræ non omnes templa sunt 14, 7
Val. AEditui venustissimi versus 19 9
AEditumus, qua forma dictum 12, 10
AEditumus, Pomponii Atellana *ibid.*
AEdituus, novum verbum *ibid.*
AEdituentes, apud Lucretium *ibid.*
AEgles Samius athleta 5, 9
AEgyptia lens 17, 8
AEgyptiacorum librorum numerus & interitus 5, 9
AEgyptus antea Aëria dicta 14, 6
L. AElius Stilo sui temporis doctissimus 10, 21. magister Varronis 1, 18. 16, 8. ejus sententia de numero Plautinarum comœdiarum 3, 3
AElurorum oculi ad vices lunæ aut ampliores fiunt aut minores 20, 8
Q. AEmilius Papus censor 17, 21
AEnigma 12, 6
Cn Domitius AEnobarbus censor 15, 11
AEquinoctium in septimo signo Zodiaci 3, 10
AErarii 4, 20
Aër fulva, apud Ennium 13, 19
AEris confessi judicatu quot justi dies ex XII tabulis 20, 1
AEruscare 9, 2
AEruscatores 4 7
AEs confessum, in XII tabulis 15, 13
AEsopi apologus 2, 29
AEtatium fines 10, 28
AEtnæ conflagratio 17, 10
Affatim, quem accentum habeat 7, 7
Affecta, quæ veteres dixerint 3, 16
Affectuum negotium 15, 5
Africus ventus 2, 22
Agendi verba in patiendi formam mutata 18 12
Agere cum populo, & concionem habere ut differant 13, 15
Agnis caprino lacte altis lana durior 12, 1
Men. Agrippa consul 17, 21
Agrippæ campus 14, 5
Agrippa qui? 16, 16
Ajus deus 16, 17
Alæ exercitus cur ita dictæ 16, 4
Alba linea, proverbium 20, 11
Albania profert homines in pueritia canescentes; item plus

plus cernentes per noctem quàm per diem 9, 4
A. Albinus res Romanorum Græcè conscripsit, quidque de eo senserit M. Cato 11, 8
Alce meretrix 4, 11
Alcibiades tibias à se inflatas oris deformitate pudefactus abjecit 15, 17
Alexander Magnus quando natus; quando regnum adeptus, & quot annis natus obierit 17, 21
Alexander Molossus quando in Italiam venerit 17, 21
Alexandri & Scipionis Africani superioris comparatio 6, 8
Alexandri ad Aristotelem epistola Latinè versa 20, 5
Allegatus pro *allegatio* 13, 20
Alpheni I. C. in verbis aliquot veteribus explicandis errores 6, 5
Alucinari 16, 12
Alveolo ludere 14, 1
Aluminis vis in igne depellendo 15, 1
Amata, prima virgo Vestalis 1, 12
Ambitiosus 9, 12
Amicitia ad quid expetenda 17, 5
Amicei, numero plurali 13, 24
Amici dissidentes ut reconciliandi 1, 3
Amici utilitatis causa quatenus delinquendum 1, 3
Amicus superioris quali ingenio esse debeat ex Ennii sententia 12, 4
Amorabundus, Laberio 15, 15
Amor nostri & caritas innata nobis à natura 12, 5
Amoris atque odii affectiones intra quem modum coërcendæ 2, 3
Anacreontis senis versiculi lepidissimi 19, 9
Anaxagoræ auditor Euripides 15, 20
Ancipitia vocabula 29, 9
Androcli servi viri consularis ad pugnam venationis dati & leonis mutua recognitio memorabilis 5, 14
Androgyni 9, 4
Andronicus philosophus 20, 5
Anna Perenna 13, 21
Annales quid, & ut differant ab historia 5, 18
Annianus 20, 8
Annianus poëta 7, 7. 9, 10
Annulum cur & Græci & Romani in eo digito gestaverint, qui est in manu sinistra minimo proximus 10, 10
Anticyra elleborum profert præstantissimum 17, 15
Antiochus Asiæ rex 7, 2
Antisthenes Socraticus quid voluptatem esse dicat 9, 5
Antistitæ Ciceroni 13, 20
Antonius Julianus rhetor 15, 1. 18, 5
ejus in oratione Ciceronis pro

pro Cn. Plancio de verbo immutato tenuis sententia 1, 4
ejusdem jocus in adolescentem rhetorem 9, 15
quid illi responderit qui ei objiciebat quòd Hispanus esset 19, 9
Antigenides tibicen 15, 17
M. Antonius triumvir reipublicæ constituendæ 3, 9
Anuis, gignendi casu 4, 16
Apluda 11, 7
Apiaria 2, 20
Apollodori de Menandro versus 17, 4
Appii Cæci filiæ cur multa dicta fuerit ab ædilibus plebei 10, 6
Appion Plistonices homo doctus, at venditator doctrinæ suæ 5, 14. 6, 8
Apirocalus 11, 7
Appius Claudius Caudex consul 17, 21
Apprime 17, 2
Aquilius Gallus judex 15, 28
Aquilo 2, 22
Arbitrium judicii humani liberum 6, 2
Arbor felix 10, 15
Arboreta 17, 2
Arcera, in XII tabul. 20, 1
Arcesilaus philosophus quid molli & delicato diviti responderit 3, 5
Archelaus Mithridati præfectus 15, 1
Archelaus rex 15, 20
Archilochus quo tempore floruerit 17, 21
Archytas Pythagoricus simulachrum columbæ è ligno commentus, quod volasse dicitur 10, 12
Arduum, Sallustio quid 4, 15
Areopagitæ judices graviores 12, 7
Argentum purum putum 6, 5
Argumenta reciproca, quæ Græcis ἀντιστρέφοντα appellantur, quomodo fiant 5, 10
Argumenta qualia esse debeant 17, 5
Argyranche 11, 9
Arimaspi 9, 4
Arion fidicen delphino vectus 16, 19
Ariscon ex femina mas factus, antea Arescusa 9, 4
Aristarchus analogiam defensitavit 2, 25
Aristippi dictum 19, 1
Aristo I. C. 11, 18
Aristodemus actor fabularum 11, 9
Aristogiton 9, 2
Aristophanes comicorum facetissimus 13, 23
Aristophanes loquacitatem quibus vocabulis denotaverit 1, 15
Aristoteles Alexandri regis magister, ejusque ad eum epistola Latinè versa 20, 5
disciplinarum ejus quas tradebat discipulis partes *ib.*
commentarii ejus acroamatici & exoterici *ibid.*
quas disciplinas promiscè, quas

quas paucos tantùm docuerit *ibid.*
ut succesſorem ſibi elegerit 13, 5
quanti paucos Speuſippi libros emerit 3, 17
rei omnis humanæ peritiſſimus 19, 5
quando mortuus, & quando natus 17, 21
Ariſtoxenus muſicus 4, 11
Arma, multitudinis numero 19, 8
Arra 17, 2
Arrabo, quid Q. Claudio 17, 2
Arrogatio quomodo fiat: verba in ea ſollemnia: qui arrogari poſſint 5, 19
Arteria quid, ejuſque pulſus ad quid tangatur 18, 10
Artemiſia ut virum amaverit, ejuſque oſſa imbiberit 10, 18
Arvales fratres 6, 7
Arulator 16, 7
Aſelli Peſſinuntii 7, 16
Aſſentior, pro *aſſentio* 18, 12
Aſſes librarii, in XII tabulis 20, 1
Aſſiduus, quid in XII tabulis 16, 10
Atabulus ventus 2, 22
Atejus Capito publici privatique juris peritiſſimus 10, 20
Athenienſes quanto Megarenſium odio flagraverint 6, 10
quos tres philoſophos legatos ad Romanos miſerint, & quo illi uſi interprete 7, 14
quando Perſas, quando Lacedæmonios vicerint 17, 21
quid *diem* dixerint 3, 2
Athenis tibiis canere quando deſitum 15, 17
Athenis quantus librorum publicorum numerus ante clades Perſicas 6, 17
Atiniæ legis verba ut accipienda 17, 7
Atque, particula quam vim habeat, & quot ſignificationes 10, 29
Atrociores injuriæ 20, 1
Attica Ἀτθὶς 14, 6
Attici adſpirare amant 2, 3
Attilius Regulus ſerpentem oppugnat 6, 3
memorabilis de eo hiſtoria, quum à Karthaginienſibus captus eſſet 6, 4
quo genere mortis affectus ſit *ibid.*
Atypus, vitioſus in edicto 4, 2
Avaritiam non animum modò virilem, ſed corpus quoque ipſum effeminare quam ob cauſam Salluſtius dixerit 1, 3
Avarus, unde 10, 5
Avens, pro *libens* apud Levium 19, 7
Aventinus ex ſeptem urbis montibus cur ſolus extra pomœrium ſit 13, 14
idem à D. Claudio intra fines pomœrii receptus *ib.*

Averruncus deus 5, 12
Aves *præpetes* apud Virgil. 6, 6
inferæ *ibid.*
Aufero & *aufugio* quomodo ex *ab* præpositione composita 15, 3
Augures quas aves potissimum spectaverint 6, 6
D. Augustus linguæ Latinæ non nescius 10, 24
Val. Corvino statuam in foro poni curavit 9, 11
ancilla ejus quinque liberos enixa; ejusque monumentum 10, 2
maturè ut Græcè expresserit 10, 11
ejusdem ad Cajum filium epistola 15, 7
Aure agresti homo 13, 19
Aurum coronarium 5, 6
Aurum Tholosanum 3, 9
Auspicari magistratus quando soliti 3, 2
Auspicia patriciorum maxima, & minora 13, 14
Auster 2, 22
Autumna tempestas 19, 7
Autumo quid & unde; Nigidiique in eo error 15, 3
Axioma dialecticum quod Græci dicunt, quomodo à Latinis dictum fuerit 16, 2
Q. Axius familiaris Ciceronis, ad quem Tiro Tullius scripsit 7, 3

B.

Babylonii quid *diem* dixerint 3, 2
Bagrada flumen 6, 3
Baculi 5, 3
Balbus, vitiosus in edicto 4, 2
Corn. Balbus 17, 9
Ballista 6, 3
Balneæ Sitiæ 3, 1
Barbam ante senectutem veteres radebant 3, 4
Barbarismus ante Augusti ætatem non erat in usu 13, 6
Barvasculus advocatus 15, 5
Beata vita sola virtute fit 18, 1
Bella consulibus mandata 10, 15
Bellaria 13, 11
Bellum jubere 16, 4
Benefactum semper manet 16, 1
Beneficia quæ remuneranda 7, 3
Beneficus & liberalis quid M. Ciceroni 17, 5
Biantis de re uxoria syllogismum non videri ἀπερίφρονα 5, 11
Bibax & *bibosus*, qua ratione dicatur 3, 12
Bidentes hostiæ quid, & unde 16, 6
Bimæ hostiæ 16, 6
Bœotia antea Aonia dicta 14, 6
Bœotia comœdia Plauto adscripta Aquilii esse dicitur 3, 3
Bona sine malis non consistunt 6, 1
Bonum esse quod naturalis ratio dictat 12, 5

Borysthenes fluvius 9, 4
Bosporicum mare congelascere 17, 8
Botulus, farcimen apud Laberium 16, 7
Bovinator 11, 7
Breviloquentia 12, 2
Bruma in septimo signo Zodiaci fit à solstitio 3, 10
Bruttiani decemviros flagro cædunt 10, 3
Magistratuum servi *ibid.*
Bucephalus equus Alexandri quanti emptus, superque eo historia memorabilis 5, 2
Bucephalon oppidum nomine equi ab Alexandro conditum 1, 2

C.

Caduceus & hasta duo signa belli & pacis 10, 27
Cæcias ventus 2, 22
Cæcilius poëta quo tempore floruerit 17, 21
loci ejus de Menandro expressi 2, 23
ejusdem à Menandri de mensibus genitalibus opinione discessio 3, 16
Sex. Cæcilus I. C. cum Favorino super XI tabularum legibus disserit 20, 1
Cæcilius senator interpres trium philosophorum ab Athenienſibus ad Romanos legatorum 7, 14
Q. Cædicii tribuni militum virtus, & præclarum facinus 3, 7
Cæli regiones quatuor 2, 22
Cælum an pluraliter dicatur 19, 8
de Cæneide & Cæneo cantilena 9, 4
Cæpe quam cum luna συμπάθειαν habeat 20, 8
Q. Cæpio consul 15, 28. Tholosam diripuit 3, 9
Cæremoniæ unde dictæ 4, 9
Cærites primi municipes 16, 13
Cærites tabulæ 16, 13
Cæruleus color 2, 26
C. Cæsar pontifex maximus 5, 13
gravis auctor linguæ Latinæ 1, 10
socer Pompeji 19, 8
quos in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quatuor solos in senatu extra ordinem sententiam rogasse dicatur, & quem ex illis quatuor primum 4, 10
Pharsalica ejus pugna victoriaque prædicta Patavii à sacerdote Cornelio eo die quo fiebat 15, 18
Cæsellius Vindex non bene Furium poëtam reprehendit 18, 11
idem à Sulpicio Apollinare reprehensus in Virgiliani versus enarratione 2, 16
reprehensus iniquè à M. Scauro 11, 15
pudendus ejus error 7, 2
Cæsius color 2, 26.

Cajæ Tarratiæ qui honores tributi, & quòd una omnium feminarum *testabilis* dicatur 6, 7
Calabarriunculi, Laberio 16, 7
Calari 15, 27
Callimachus poëta Alexandriæ quando floruerit 17, 21
Calliſtratus orator Athenienſis 3, 13
Calorificus 17, 29
Camella apud Laberium 16, 7
Camillus dictator quando Vejos ceperit 17, 21
Canes in Capitolio 7, 1
Canicula 4, 20
Caninum prandium in ſatira M. Varronis 13, 30
Cannabus 17, 3
Capi dicitur virgo Veſtalis, flamen Dialis, & augures 1, 12
Capionem etiam dici poſſe 2, 10
Capitecenſi qui, & quando primùm milites conſcripti 16, 10
Capitium Laberius dixit 16, 7
Captioſis interrogationibus non reſpondendum 16, 2
Carendum tui 19, 7
Carmentis fanum 18, 7
Carneades Academicus cur adverſus Zenonem ſcripturus elleboro ſtomachum purgaverit 17, 15
ab Athenienſibus ad Romanos legat. 7, 14
Carviliani divortii quæ cauſa 4, 3. 17, 21
Caſcè loqui 1, 10
Caſſii mors 3, 9
Caſſita, aviculæ nomen 2, 29
Caſtorem Romæ viri cur non juraverint 11, 6
Caſtrenſis corona 5, 6
T. Caſtricius rhetor 11, 13. 13, 20
Caſus interrogandi Nigidio quis 13, 25
Caſtus 10, 15
Cataſcopium 10, 25
Catamitus 7, 2
Catejæ 10, 25
L. Cato 13, 18
M. Catonis Nepotis orationes *ibid.*
M. Cato Uticenſis 13, 19
M. Cato Salonianus *ibid.*
M. Cato tribunus plebis *ibid.*
M. Cato ædilis curulis *ibid.*
M. Cato qui de juris diſciplina libros reliquit, orationes ad avi exemplum compoſuit & conſul fuit *ibid.*
M. Catonis Cenſorii quot filii, quot nepotes *ibid.*
inimicus Scipioni Africano ſuperiori 4, 18
ejuſdem exprobratio in pſeudophiloſophos 13, 23
quando floruerit 17, 21
ejuſdem cum C. Graccho & M. Cicerone comparatio facta 10, 3
à C. Cæſare conſule ſententiam rogatus verboſè nimis

nimis dicens in carcerem duci jussus 4, 10
quàm frustra à Tirone Tullio reprehensus fuerit, in ea oratione, quam pro Rhodiensibus habuit 7, 3
quid de A. Albino dixerit veniam deprecante, si quid in ea historia, quam de Romanorum rebus Græcè conscripserat, erratum esset 11, 8
ejusdem loci vera lectio quæ 18, 9
Catonium apud Laberium 16, 7
Catulli verum elogium 7, 20
ejusdem venustissimi versus 19, 4
Caudicæ 10, 25
Caupuli 10, 25
Caurus ventus 2, 22
Cecurri, non *cucurri* veteres dixere 2, 9
Celatim 12, 15
Celoces 10, 25
Censor in ærarios quos notas refert, & causam quare notaverit subscribit 4, 20
Censores quum equiti præpingui auferant equum, utrum id cum ignominia fiat 7, 12
Censoriæ notæ 4, 12
Censoriæ severitatis exempla 4, 20
Censorium opus *ibid.*
Censores ærarium faciunt 4, 12
Cephisia Herodis Attici villa 1, 2
Cercuri 10, 25
Cercyon Neptuni filius 15, 2
Cerealibus plebs mutuitare solita 18, 2
Chaldæorum vanam esse disciplinam, neque tantæ vetustatis quam ipsi volunt 14, 1
Chamæleontis natura 10, 12
Chilonis Lacedæmonii dicta 1, 3
Chiridotæ tunicæ 7, 12
Chirographi exhibitio 14, 2
Chrysippus quid de providentia senserit 6, 1
quid de necessitate & vi fati 6, 2
Stoïcorum princeps *ibid.*
sententia ejus oppugnata 6, 2
omne illi verbum ambiguum 11, 12
quibus Euripidi versibus sæpe usus 7, 16
Ciborum delicatorum peregrinorumque genera 7, 16
Cibus ut in stomachum descendat 7, 16
M. Cicero quando natus 15, 28
in libro de amicitia quædam à Theophrasto mutuatus 1, 3
verbi ab eo immutati argutiam in oratione pro Cn. Plancio quam tenuiter Julianus rhetor explicaverit 1, 4

verba ejus in quinta Verrina & oratione de imperio Cn. Pompeii 1, 7
cum M. Catone & C. Gracho collatus 10, 3
eadem fere ætate qua Demosthenes primas causas egit 15, 28
bene eum in Lælio super amicitia argumentatum 17, 5
quàm ineptè & stolidè à Gallo Asinio & Largio Licinio fuerit reprehensus 17, 1
C. Cæsari coætaneus 19, 14
manifestus ejus error super Hectore & Ajace 15, 6
vir acerrimæ in studio litterarum licentiæ 15, 3
quàm facetè crimen manifesti mendacii à se amolitus sit 12, 12
verborum diligentissimus 13, 23
frustra eum Seneca reprehendit 12, 2
ejus de reditu quæstio 10, 20
super verbis ejus in prima Antoniana inquisitio facta 13, 1
Cinna poëta illepida fecit carmina 19, 9
Cippus, apud Laberium 16, 7
Circius ventus 2, 22
Circuli septem in cœlo circa axis longitudinem 3, 10
Cispius mons 12, 1
Citra quid veteribus 12, 13
Civica corona 5, 6
Civitas, pro loco & pro hominibus 18, 7
Classici qui M. Catoni 3, 17
Classis procincta 10, 15
Claudere 1, 7. 3, 19
Claud. Cento Appii Cæci filius consul 17, 2
Clientes neque fallendi neque deserendi 5, 13
quàm cari esse debeant 20, 1
Climacteres 3, 10
Climactericus annus 15, 7
Cloatius Verus quam absurde Latina multa ad originem Græcam redigere conatus sit 10, 12
P. Clodii de cæde quæstio 10, 20
Cocio apud Laberium 16, 7
Cœnandi tempus Athenis 17, 3
Coïtum Venereum quid Hippocrates dixerit 19, 2
Color 12, 5
Colonia quid, & ut à municipio differat 16, 13
Colorum varia genera 2, 26
Columbæ simulachrum è ligno volans 10, 12
Comicorum Græcorum certamina 17, 4
Comitialis morbus 19, 2
Comitiatum & concionem qui magistratus avocare possit 13, 14
Comitiis centuriatis qui dies futurus sit edicunt consules 3, 14
Comitia plurali numero semper 19, 8

Comitia calata 15, 27
curiata *ibid.*
centuriata *ibid.*
tributa *ibid.*
Comperendinationes 14, 2
Compitalia quemadmodum à prætore concipi solita 10, 24
Compluria & *compluries* rectè & Latinè dici 5, 21
Comprecationes deorũ immortalium 13, 21
Communia verba 15, 13
Commentationes apud Q. Claudium 17, 2
Con, præpositio quando productè, quando correptè pronuncianda 2, 17
Concilium quid 15, 27
Concio, quot significationum 18, 7
Concionem habere aliud est, quam *cum populo* agere 13, 14
Condictus dies cum hoste 16, 4
Confessum æs in XII tabulis 15, 13
Confiteor, commune verbum 15, 13
Conjicere, consistere causam 5, 10
Conjunctum dialecticum 16, 8
Consiliosus 4, 9
Consistio 16, 4
Consolor, commune verbum 15, 13
Consuetudo rerum domina 12, 13
verborum domina 11, 7
Consules provocationẽ habent 13, 12
Contagium, anceps vocabulum 12, 9
Contemplo 18, 12
Contraria apud dialecticos 16, 8
Contrarium nullum sine contrario altero 6, 1
Convivæ quales legendi 13, 11
Convivales sermones quales esse debeant *ibid.*
Convivarum numerus absolutus secundum M. Varronem *ibid.*
Convivium absolutum quibus rebus constet *ibid.*
Copiari 1-, 2
Copulatum dialecticum 16, 8
Cor Ennius masculino genere non dixit 7, 2
Corinthus Ephyre dicta 14, 6
Coriolanus quando & quare à Romanis desciverit 17, 21
Corn. Dolabella equum Sejanum quanti emerit 3, 9
ejus mors 3, 9
Cornelius sacerdos Patavinus 15, 18
Coronarium 4, 14
Coronarum militarium nomina 5, 6
Corpora hominum antiquorum vastiora 3, 10
Corporis humani modus 3, 10
Corpus quid 5, 5
Cornutus Annæus Grammaticus 2, 6

ne-

nequicquam Virgilium reprehendit super versibus quibus Veneris & Volcani concubitus describitur 9, 10
Val. Corvinus unde sic dictus 9, 11
statua illi ab Augusto in foro posita *ibid.*
Corvitæ 10, 25
M. Crassus cum Cn. Pompejo consul 14, 7
ovalem coronam aspernatus 5, 6
P. Crassus Mucianus quot bona in se habuerit, ejusque gesta in Asia 1, 13
Crates Grammaticus anomaliam defensitavit 2, 25
Cremera flumen 17, 21
Crepita & crepidulæ 13, 20
Crepidarii *ibid.*
Creta antea Aëria dicta 14, 6
Cretenses in acie cithara usi 1, 11
Crimina quemadmodum sine periculo confitenda rhetoribus 12, 12
Critolaus Peripateticus ab Athenienſibus ad Romanos legatus 7, 14. quid voluptatem esse dicat 9, 5
Crœsi filius infans loquutus: adolescens mutus factus quomodo loqui cœperit 5, 9
Crystallus ex nive concretus 19, 5
Cuicuimodi 9, 2. 13, 21
Cujuscemodi 11, 16
Cuimodi 12, 2
Cum populo agere 13, 15
Cumprimè 17, 2
Cupediæ ciborum 6, 13
Curiata comitia 5, 19. 15, 27
Curiata lex 13, 14
M. Curius 10, 16. 14, 1
Curtius 12, 15
Cursus navium 10, 29
Cyclops Neptuni filius 15, 21
Cydarum 10, 25
Cylindrus lapis 6, 2

D

Darius rex 17, 30
Dei diversæ significationes 16, 16
Decemviri quando creati 17, 21
à Bruttianis flagro cæsi 10, 3
debitoris inopis membra distrahi jubebant 20, 1
decem mensibus gigni hominem, non undecim scripserunt 3, 19
Decemvirales leges absoluta brevitate scriptæ, sed obscuræ 20, 1
Decere, cum dandi casu 2, 15
Decima una ex Parcis 3, 16
Decimi mensis partus *ibid.*
Deculpatus 19, 10
Decuriæ, pro loco & pro hominibus 18, 7
Defectio, & dicta per defectionem 5, 8
Defendere 9. 1
Definitio omnis constat genere & differentia 4, 1

Defunctorum animæ divinant 10, 19
Dehonestus 19, 10
Diarium 7, 18
Delicia, singulariter apud Plautum 19, 8
Delphini Venerii & Amasii, & super eo historia singularis 7, 8
Demetrius πολιορκητὴς 15, 31
Demosthenes apud Philippum regem verba faciens obticuit 8, 8. 13, 9
nitidus cultus ei probro 1, 5
locus ejus à Cicerone expressus 13, 1
quid de Laïde meretrice poscente pecuniam dixerit 1, 8
ut relicto Platone Callistratum rhetorem sectatus sit 2, 13
ut Milesiorum legatos pecunia ab iis accepta eluserit, joculareque ejus super ea re ad Aristodemum dictum 11, 9
ejus & Ciceronis ætatis collatio facta, qua primas uterque causas egit 15, 28
quid dixerit quum salutem fuga quæsisset; & ibi quando mortuus sit 17, 21
Democritus philosophus quando floruerit 17, 21
ut Protagoram philosophias docuerit 5, 3
cur se oculis privaverit 10, 17
ejus nomine non esse digna quæ eum Plin. scripsisse vult 10, 12
quid *vocem* appellet 9, 3
Demortua verba 9, 2
Dente aliquo carens venumdatus an redhiberi possit 4, 2
Dentes in homine quando gignantur 3, 10
Deos quosdam Romani ut prodessent celebrabant, quosdam ne obessent placabant 5, 12
Depalmare 20, 1
Depecisci 20, 1
Depectere capillum 10, 15
Deperditus 5, 2
Deprecor quo significatu à Catullo positum; quid propriè sit, quæque in eo ratio 9, 16
Depudicavit apud Laberium 16, 7
Descendidi, pro, *descendi* 7, 9
Detornata sententia 6, 8
Diagoras Rhodius in amplexu filiorum præ nimio gaudio mortuus 3, 15
Dialectica captio 19, 2
Dialecticæ studium jucundum, sed primo aspectu arduum 16, 8
Dialecticorum lex interrogandi & respondendi, quæque ejus vitia 16, 2
Dialis flaminis & flaminicæ cærimoniæ variæ & observationes 10, 15
Dianæ Ephesiæ templum qui

incenderat haud poterat nominari 2, 6
Dicendi tria genera 7, 14
Dicere indoctius & apertius 12, 5
Dicturum inimicos, apud Ciceronem 1, 7
Die casu patrio 9, 14
Dies, secundo casu apud Ciceronem & Virgilium 9, 14
Die pristini & pristine & similia veteres dixere, non, ut nunc nos dicimus 10, 25
Die quarte & *die quarto* ut differant *ibid.*
Die quarto Laberio est *nudinus quartus* *ibid.*
Diem quid Athenienses dixerint ; quid Babylonii ; quid Umbri; denique quid Romani 3, 2
Dies civiles *ibid.*
Dies primi post Kalendas, nonas, idus, cur atri habeantur ; & cur dies quartus Kalendas, nonas, idus, ut religiosus vitetur 5, 17
Diespiter 5, 12
Differentia in definitione 4, 1
Diffisio 14, 2
Diffisus dies *ibid.*
Dignor, commune verbum 15, 13
Dii, generandi casu apud Virgilium 9, 14
Dii qua re præcipue ab hominibus differant 14, 1
Dijovis 5, 12
Disjunctum dialecticum *ibidem*
Diluculat 16, 8
Dimidia hora an recte dicatur 3, 14
Dimidium plus toto 18, 2
Dimidius, & , *dimidiatus* quomodo differant ; & ubi locum habeant 3, 14
Dio Syracusanus amicus Platonis 3, 17
Diodoro Crono nullum verbum ambiguum 11, 12
Diogenes Cynicus servus 2, 18
ut sophistam captiosè argumentantem eluserit 18, 12
Diogenes Stoïcus ab Atheniensibus ad Romanos legatus 7, 14
Diomedis & Glauci permutatio 2, 33
Dionysius Siciliæ tyrannus quo tempore fuerit 17, 21
Dioxippus Hippocraticus 17, 12
Disciplinosus 4, 9
Dispessis manibus 15, 15
Dispretus 7, 18
Divinatio in oratione quid 2, 4
Diurnare 17, 2
Doctiusculè 6, 10
Corn. Dolabella proconsul Asiæ cur ream veneficii mulierem ad Areopagitas rejecerit 12, 6
Dolentia, pro, *dolore* Lævio 19, 7
Dolentes quid facere soliti 12, 5

Dolor apud Stoïcos indifferens *ibid.*
Dolorem ut sapiens toleret *ibid.*
Dolori obstat ratio *ibid.*
Doloris vis & natura quæ contra Stoïc. 19, 12
Dolus anceps vocabulum 12, 9
Dominatu, dandi casu 4, 16
Domitiano imperante, philosophi & rhetores urbe Italiaque ejecti 15, 11
Domitius Insanus Grammaticus 18, 7
Domuis gignendi casu 4, 6
Draco Athenienſium primus legislator, severiter leges tulit 11, 18
qua pœna fures affecerit *ib.*
Dubiosus 5, 10
Dulcioreloquus Nestor apud Levium 19, 7
Duo & vicesimo anno, ut dicatur 5, 4
Durities, duritudo 17, 2

E.

Ebrietatis laus 15, 2
Edulcare 15, 25
Effatus ager 13, 14
Egere multis & nihil habere veri philosophi esse 13, 22
Ego & *tu* ut pronuncientur 10, 4
Egregie an *egregi* vocandi casu dicendum esset quorundam Grammaticorum ridicula decertatio 14, 5
Elæenses Asiani socii & amici populi Romani 1, 13
Eleusinium certamen 15, 20
Eligantia olim in vitio 11, 2
Ellebori genera duo, eorumque vis 17, 15
Ellops Rhodius 7, 16
Elucificare 10, 17
Elucus 16, 12
Elutriare lintea, apud Laberium 16, 7
Empedocles Agrigentinus quando floruerit 17, 21
Empedocles testiculos cur κυάμους vocet 4, 11
Emplastrum, ἑλκτέρως apud Laberium 16, 7
Emptionis competitores 12, 12
Ennianista 18, 5
Ennius quando natus 17, 21
cur tria corda sese habere dixerit 17, 17
ut Euripidem æmulatus 11, 4
nequidquam à Seneca reprehensus 12, 2
Vera ejus lectio 18, 5
Enses 10, 25
Epagoge dialectica 7, 3
Epaminondas Thebanorum dux 17, 21
Ephorus historiæ scriptor 3, 11
Epicarides 10, 25
Epictetus servus 2, 18
ejus in philosophum impurum verba 17, 19
Domitiani tempore una cum cæteris philosophis urbe & Italia ejectus Nicopolim decessit 15, 11

ejus de veris Stoïcis sententia 1, 2
quæ duo vitia maxima dixerit 17, 16
lib. ejus διαλέξεων cum Chrysippi & Zenonis libr. conveniunt 19, 1
Epicurus quando floruerit 17, 21
ut voluptatem definiverit 2, 6
iniquè à Plutarcho in syllogismo reprehensus 2, 8
ab eodem in frivolis verbis evidenti calumnia insectatus 2, 9
voluptatem summum bonum esse ponit 9, 5
quid *vocem* appellet 5, 15
quas dicat esse videndi rationes 5, 16
Epitritos numerus quid 17, 14
Eques Romanus impolitiæ à censore notatus 4, 12
Eques, pro, *equo* 18, 5
Equinus color 3, 9
Equitare equo & homini commune 18, 5
Equiti præpingui quum censor equum aufert, an id cum ignominia fiat 7, 22
Equus mordax aut calcitro vitiosus 4, 2
Erasistratus medicus 16, 3
Errabundus, & id genus verba quo significatu dicantur 11, 15
Erraticas stellas Nigidius errones appellat 3, 10. 14, 1
Eructum vinum 11, 7
Erucius Clarus præfectus urbi 6, 6
idem bis consul 13, 16
Escendere 5, 6. 10, 15. 17, 2. 18, 7
Escriptus 7, 16
Est, *erat*, & *fuit* eleganter sæpe absunt 5, 8
Est, & *erit* quando tempus suum retineant, quando non 17, 7
Esuritionem quæ faciant 16, 3
Etesiæ 2, 22
Evathlus Protagoræ discipulus quo pacto præceptorem suum frustratus sit 5, 10
Euclides Socraticus quo modo, quum tamen ei Athenienſem urbem ingredi non liceret, eò iverit 6, 16
Eudoxus quando floruerit 17, 21
Εὐφωνία quanta ratio à scriptoribus eligantibus habita 13, 20
Evibrati animi 1, 11
Eunuchus vitiosus est, & venumdatus redhibetur 4, 2
Euripides quando floruerit 17, 21
quot tragœdias scripserit, & quotiens vicerit 17, 4
quali joco Æschylum apud Aristophanem insectetur 13, 23
ejus versum quemdam ut Favorinus acceperit 1, 15
versus ejus expressi ab Ennio 11, 4

quid ei Lucillius vitio dederit 7, 3
versus ejus in gulam 7, 16
Sophoclis versum ei Plato attribuit, & quod sæpe integros versus à Sophocle mutuatus sit 13, 17
mater ejus qualis 15, 20
quid patri de eo Chaldæi prædixerint *ibid.*
Eleusinio & Theseo certamine coronatus *ibid.*
Anaxagoræ Prodici, & Socratis auditor *ibid.*
muliebris odii quæ illi causa *ibid.*
mors ejus, & sepulchrum *ibid.*
Europa pars mundi 10, 7
Eurus ventus unde dictus, & quo alio nomine 2, 22
Exactus pecuniam quemadmodum Metellus Numidicus dixerit 15, 14
Exadversum, in qua syllaba accentum habeat 7, 7
EX. ANIMI. TUI. SENTENTIA. in censoriis animadversionibus 4, 20
Exemplum, maxima pœna veteribus 6, 14
EX. JURE. MANUM. CONSERTUM. in antiquis actionibus quid? 20 10
Expassus 15, 15
Expavidus 1, 18
Expensilatio 14, 2
Expensa mente 19, 7
Exsuperantia 4, 18
Extra ordinem sententiam rogare 4, 10
Extrilidus 19, 1

F.

Fabæ inflant 4, 10
Q. Fabio Maximo gramínea corona data 5, 8
Fabius Licinius consul 1, 6
Q. Fabius imperator quid ad Karthaginienses scripserit, quidque illi responderint 10, 27
Fabii quando, & ubi universi cum familiis suis, interempti 17, 21
C. Fabricius Luscinus censor 17, 21
quid admirantibus quòd Cornelium Rufinum inimicum & avaritiæ summæ hominem consulem designari curavisset, responderit 4, 8
eumdem postea censor senatu movit 4, 8
C. Fabricius & Æmilius coss. quid ad Pyrrhum scripserint, quum eum veneno interficere Nicias quidam petito ab iis præmio proposuisset 3, 8
quid Samnitibus sibi aurum offerentib. responderit 1, 4
Fabulum 4, 11
Faciem, non esse quod vulgo dicitur 13, 29
Facies & *Facii* patrio casu 9, 14
Facies hominis apud Pacuvium 13, 29

Facinus anceps vocabulum 12, 9
Factum itur contumelia, qua ratione dictum 10, 14
Facundiosus 4, 9
Fætutinus 13, 20
Falces 10, 25
Fallaciosus 7, 3
Fames minus tolerabilis hiberno quàm æstivo tempore 16, 3
Fames ut diu tolerari possit si cibus absit *ib.*
Fami 9, 14
Famulosus 9, 12
C. Fannius Strabo consul 15, 11
Fasces 10, 3
Fascinari 16, 12
Fascinationes diræ 9, 4
Fati definitio, vis, necessitas 6, 2
Fati necessitas 3, 1
Fatiscor 17, 2
Fatum & natura num idem Ciceroni 13, 1
Fauces inferni apud Virgilium 16, 5
Faviſſæ Capitolinæ 2, 10
Favonius 2, 22
Favorinus philosophus 1, 3, 10. 2, 1, 12, 26. 3, 1, 3, 16, 19. 4, 1. 5, 11. 10, 12. 12, 1. 16, 3
magna memoria vir 3, 23
Favorinus orator ut in luxum cœnarum invectus sit quum legem Liciniam suasit 15, 8
Fax noctis prima 18, 1
Febris habitum & motum pulsu suo demonstrat arteria 18, 10
Fecialis populi Romani quibus verbis & quo ritu bellum indicere solitus 16, 14
Feminæ nullum comitiorum communionem habent 5, 19
Feminæ in mares 9, 4
Feminas solas longa vestis decet 7, 12
Fenerator 16, 12
Feneror, pro, *Fenero* 18, 12
Fenestellæ error ab Asconio notatus 15, 28
Fera animalia 19, 2
Feriæ conceptæ 10, 24
Feriæ denicales 16, 4
Feriæ præcidaneæ 4, 6
Fertum 10, 15
Festinare quid, & ut à properare differat 16, 1
Festucaria vis 20, 8
Festus Postumius 19, 13
Ficedula avis 15, 8
Fidenates quando hostes populi Romani 17, 21
Fides alieno ictu sonare 9, 9
Fidus Optatus grammaticus 2, 3
Filiorum erga parentes officium 2, 2
Finis genere feminino apud Lucretium 13, 19
Flagitium & vitium 1, 7
Flammigare 17, 10
Flaminia 17, 5
Cn. Flavii Annii ædilis curulis res gesta memorabilis 6, 9

Flavus color 2, 26
Flocces vini 11, 7
Florens vino animus 6, 13
Fluctuis, patrio casu 4, 18
Fluvii fontesque gelu durati 17, 8
Fœdifragus 19, 7
Forfices in acie 10, 9
Forma stata & uxoria 5, 11
Formidolosus 9, 12
Fors fuit 12, 8
Fortassean 11, 9
Fortescere 19, 7
Fortitudo vera 12, 5
Forus puppis 16, 19
Fraces olei 11, 7
Frameæ 10, 25
Frater unde, ex P. Nigidii sententia 13, 10
Frequentamenta 1, 11. 5, 1
Frequentativorum fere omnium prima syllaba quomodo pronuncietur 9, 6
Fretu apud Ciceronem 13, 20
Fretum Plauti comœdiam quidam esse non putant 3, 3
Frons virili genere secundum analogiam Cæcilius posuit 15, 9
Frons in acie 10, 9
Corn. Fronto 19, 8
M. Fronto consularis 2, 26
Fruniscor 17, 2
Fuere impendio insit apud Levium 19, 7
Fulvius Flaccus & Æmilius coss. ut in mutuam gratiam redierint 12, 8
Fulvius Flaccus consul 17, 21
M. Fulvius Nobilior temere milites suos coronis sæpe donavit 5, 6
Fulvus color 2, 26
C. Fundanius ædilis plebei 11, 6
Fundus cœnæ 17, 8
Fundus factus populus 16, 12
Funus familiare 16, 4
Fur manifestus & nocturnus quemadmodum è XII tabulis pœniantur 20, 1
Furax 4, 8
Furem quatenus occidere licitum 11, 18
Fures qua pœna Draco, qua Solon, qua decemviri adfecerint 11, 18
Fures publici *ibid.*
Furiosus, morbosus est 4, 2
Furis ἔτυμον non verum à Varrone positum 1, 18
Furius consul 9, 11
Furius poëta reprehensione Cæsellii defensus 18, 11
Furta quàm severiter olim pœnita 7, 15
Furtum quàm castè à veteribus & integre definitum 11, 18
Furtum per lancem & licium 11, 18. 16, 10
Furtum manifestum, oblatum, conceptum 11, 18
Furtum quarum rerum fiat *ibid.*
Furtum ut fiat *ibid.*

G.

Galli quo consilio & quo bello Romam ceperint 17, 21
Galli elleboro sagittas tingunt 17, 15
Gabii Bassi super nomine partus traditio elusa 3, 19
Gallica 13, 21
Gallus Asinius sine ratione Ciceronem reprehendit 17, 1
Gauli 10, 25
Gaudium insperatum multis mortem attulisse 3, 15
A. Gellius Favorinum sectatus 14, 2 16, 3
Sulpicium Apollinarem 6, 6. 13, 16. 20, 6
T. Castricium 13, 20
Romæ extra ord. judex à coss. datus 12, 13
à prætore adolescens in judices lectus 14, 2
quo consilio, qua occasione & quo ordine hosce libros scripserit 20, 11
L. Gellius vir censorius Ciceronem civica corona donari censuit 5, 6
Geminus Servilius 12, 4
Genera nominum tam anxiè inquirere frivolum 4, 1
Genethliaci Chaldæi, vanum hominum genus & fallacioſum 14, 2
Genitales menses 3, 16
Genus in definitione 4, 1
Geometria post, quam in principio, jucundior 16, 18
Gesa 10, 25
Gesseoretæ *ibid.*
Gilvum 13, 29
Gladiator compositus ad pugnam quid sibi proponat 7, 1
Gladiorum vocabula 10, 21
Gladius Hispanicus 9, 13
Glans Hiberica 7, 16
Glauci & Diomedis arma 2, 33
Globus in re militari 10, 9
Gracilis forma orationis 7, 14
C. Gracchus vehemens orator 11, 13
tibia ejus concionatoria 1, 11
ut quædam ejus sententia à Castricio reprehensa 11, 13
ejus de pudicitia & parsimonia quum è Sardinia rediit ad populum verba 15, 12
Tib. Gracchus Tiberii & Caji pater ut cum P. Africano superiore in gratiam redierit, & ut filiam ejus duxerit uxorem 12, 8
Tib. Gracchus pro L. Scipione Asiatico, quum Scipioni Africano inimicus esset, ne in carcerem duceretur jussu collegæ intercessit 7, 19
Græca ut vertenda Latinè 9, 9

Græci cannabo & ſtupa naves ſuebant 17, 3
Græcorum quorumdam verborum difficillima in linguam Latinam tralatio 11, 1
Gratia, anceps vocabulum 12, 9
Gratioſus 9, 12
Graſſator 1, 2
Griphi dialectici *ibid.*
Gubernius apud Laberium 16, 7
Gulæ deteſtatio 7, 16
Gurdus apud Laberium 16, 7

H.

H Spiritum qua ratione veteres verbis quibuſdam inſeruerint 2, 3
Habeo curam *veſtri* an *veſtrum*, utrum dicendum 20, 6
Habitus bene & male 3, 1. 14, 20
D. Hadrianus decrevit undecimo quoque menſe partum edi poſſe 3, 16
Halyattes Lydiæ rex bello Mileſio fidicines, fiſtulatores & tibicines habuit 1, 11
Halcyones quot anni diebus & ubi nidulentur 13, 10
Hannibal ut Antiochum cavillatus 5, 5
quot ex illis decem captivis, quos Romam dejurio ab iis accepto legavit, ad illum redierint, & quo loco apud Romanos illi fuerint qui non redierunt 7, 18
Harena an pluraliter dicatur 19, 5
Hariolum ſuam Nævius in carcere ſcripſit 3, 3
Harmodius 9, 2. 17, 21
Harpalus 10, 16
Haruſpicum Etruſcorũ perfidia 4, 5
Haſta 10, 25
Haſta & caduceus ſigna belli aut pacis 10, 27
Hegeſias hiſtoricus 9, 4
Hellanicus quo tempore vixerit, & qua ætate fuerit 15, 23
Hemiolios numerus 18, 14
Heraclitus Epheſius, 20, 11
Herculani corporis proceritas 1, 1
Hercules Olympicum ſtadium pedibus ſuis metatus *ibid.*
ejus templum 16, 5
Herie Junonis, in comprecationibus 13, 2
Hermaphroditi 4, 4
Herodes Atticus V. C. 1, 2. 9, 2. 18, 10. 19, 12
Herodotus quo tempore vixerit, & qua ætate mortuus 15, 23
fabulator 8, 10
ejus & Homeri ſuper leonum partu diſſenſio 13, 7
Heroïcis in verſibus quid M. Varro obſervaverit 18, 15
Herſilia ut apud T. Tatium,

quum pacem oraret, precata sit 13, 21
Hesiodusne an Homerus antiquior opiniones variæ 17, 20
quàm frivolè Hesiodum Homero antiquiorem esse L. Accius probare conatus sit 3, 11
Hesterna noctu, priscè dictum 8, 1
Herodes stoïcus 9, 5
Higinus grammaticus 1, 2
Scipionis Africani superioris vitam scripsit 7, 7
Hippagines 10, 25
Hipparchus Pisistrati filius quo tempore ab Harmodio & Aristogitone occisus fuerit 17, 21
Hippias tyrannus 1 , 21. 9, 2
Hippocrates divina memoria 19, 2
Hister fluviorum qui ultra imperium Romanum fluunt secunda magnitudine 10, 7
Histiæus 17, 9
Historia ut ab annalibus differat 5, 18
Historici viri munus *ibid.*
Hœdus ex Ambracia 7, 16
Hœdis ovium lacte alitis capillus tenerior 12, 1
Homerus quo tempore vixerit, in quibus tribus tria dicendi genera tradiderit 7, 14
ejus versus præter vulgi opinionem à Varrone explicati 17, 3
variæ de ejus patria sententiæ 3, 11
Hominis definitio 4, 1
Homines res postfuturas prænoscere non posse 14, 1
Homo quoto mense, postquam mulieris uterus semen concepit, gignatur 3, 16
Honos anceps vocabulum 12, 9
Hora Quirini uxor in comprecationibus 13, 21
Horatia lex super Caja Tarratia ad populum lata 6, 9
Horatii trigemini 1, 10
Horatius Cocles 4, 5
Hortensius orator ob munditias corporis gestumque in dicendo histrionicum Dionysiæ saltatriculæ cognomine se compellanti quàm suaviter responderit 1, 5
Hortensius poëta invenustus 19, 9
Hortor, commune verbum 15, 13
Hospites quo loco apud Romanos 5, 13
Hostiæ præcidaneæ, item succidaneæ 4, 6
Hostilia curia inter templa ab auguribus constituta 14, 7
Hostilius Mancinus Mamiliæ meretrici diem quare dixerit 4, 14
Humanus, aliud significare quàm

quàm vulgò putatur 13, 16
Hypsicrates grammaticus 16, 12

I.

Jaculorum vocabula 10, 25
Jalysi imago apud Rhodios 15, 3
Januspater 5, 12
Japyx ventus 2, 22
Idæus præco 3, 23
Idem Accii quod Titii, prov. 3, 23
Idiographus liber 9, 14
Ignarus 9, 12
Ignis cur urinam laceſſat 19, 4
Ignominiatus 8, 14
Ignoſcentia 7, 3
Ilignea corona 5, 6
Illaudatus 2, 6
Illini 7, 11
Illyrios homin. eſſe, qui interimant videndo 9, 4
Imbellia 5, 5
Imparilitas, Soloecismus à Sinnio Capitone vocatur 5, 20
Impendio 1, 2, 7, 1. 11, 18. 18, 6
Imperceptus 14, 1
Impete magno, apud Levium 19, 7
Impolitia, in equis cenſendis 4, 12
Imprecabilis 17, 19
Inops ætate invalid. ita ut ingredi non poſſit, quemadmodum ad prætorem è ſua domo ducatur, ex XII Tabulis 20, 1
In poteſtatem, & ſimilia 1, 7
Inamabilis 2, 6
Inceſtus 13, 19
Inclinamentum 4, 9
Incohibilis 5, 3
Incomprehenſibilia omnia eſſe quo Pyrrhonii quo Academici ſenſu dixerint 11, 5
Incontinentia, vitium maximum 17, 1
Indefinitum verbum quid 1, 7
Indeſes 7, 22
Indiæ in montib. homines caninis eſſe capitibus, nullis cervicibus, & oculos in humeris habentes; item corporibus hirtis & avium ritu plumantibus 9, 4
Indipiſci 12, 1. 17, 2
Indiſſimulabilis 10, 22
Indu 12, 4
Induciæ, quid & unde dictæ 1, 25
Induſtria, anceps vocabulum 12, 9
Infacundia 11, 16
Infans ut in utero matris formatur 3, 11
Infeſtans 9, 12
Infortunitas 6, 1
Infra claſſem, quid Catoni 7, 13
Infrunita verba 4, 9
Ingenium tempore mitificatur 13, 2
Ingratiis 17, 1
Injectio manus in XII Tabulis 20, 1

Injice, & similia ut efferenda 4, 17
Injicere, *conjicere*, & similia qua ratione primam productam habeant *ibid.*
Inimicitiæ an singulari numero dicatur 19, 8
Injuria, anceps vocabulum 12, 7
Injuria factum itur apud Catonem 10, 14
Injuriæ 9, 12
Injuriæ atrociores 20, 1
Injuriæ ut pœniantur ex XII Tabulis *ibid.*
Injurias ulcisci populus Romanus sæpe neglexit 7, 2
Injuriæ ut cavendæ ex Panætii sententia 13, 26
Inlatebrare, apud Q. Claudium 17, 2
Inlutis pedibus 17, 5
Inominalis dies 5, 17
Inora animalia 7, 6
Insece, apud Ennium & Livium 18, 9
Insecenda, non, *insequenda* legendum apud Catonem *ibid.*
Insectiones *ibid.*
Insignite 6, 15
Insomnia, feminino genere 6, 4
Insubidus 6, 1. 12, 2. 13, 19. 18, 8
Insuperhabere 1, 19. 4, 1
Intentio 7, 7
Inter os & offam, apud Catonem 13, 17
Intercedendi jus 7, 19
Internecinum genus morbi 2, 1
Interpretor, commune verbum 15, 13
Interstitio 20, 1
Intolerantia vitium maximum 7, 11
Intolerantibus curis, apud Levium 19, 7
Intra veteribus antea *in*, & quomodo ea postea usi 12, 13
Intra cubitum *ibid.*
Intra kalendas *ibid.*
Intra modum *ibid.*
Intra montem *ibid.*
Intra Oceanum *ibid.*
Invalentia 20, 1
Invidiosus 9, 12
Jonium mare violentum & vastum 19, 1
Jovem unde Latini veteres appellaverint 5, 12
Jovem lapidem jurare 1, 21
Jovis Capitolini cella 7, 1
Jovis convivium in Capitolio 12, 8
Jovis filii prudentissimi & humanissimi à poëtis habiti 15, 21
Jovi alba hostia faciundum quare 10, 15
Ischiacorum dolores modulis tibiæ minui 4, 13
Isigonus Nicæensis historicus 9, 4
Isocratem, ad Mausolæum agonem iviſſe 10, 18
Isocratii 18, 8
Isopsephœ versus, apud Homerum 14, 6

Ita-

Italia armentosa 11, 1
Italicenses municipes 16, 13
Italiæ terræ quæ origo 11, 1
Italiam qui primi incoluisse dicantur 1, 10
Italæ, boves apud veteres Græcos 11, 1
Judex qualis esse debeat 14, 4
Judex ut ad incertos juris casus præmœniri debeat 14, 2
Judex extra ordinem à coss. datus 12, 13
Judex qui ob rem dicendam pecuniam accepisse convictus fuerit capite e XII Tabulis pœnitur 20, 1
Judices cognoscunt 4, 4
Judicis veri officium 14, 2
D. Julius pomœrium protulit 13, 14
Jul. Celsinus 19, 7. 29, 10
Jumentum, in XII Tabulis 20, 1
Jupiter quasi *Jovis pater* 5, 12
Jurare conceptis verbis 7, 11
Juris magistri 4, 1
Jurisjurandi apud Romanos observata sanctimonia 7, 18
Jurisjurandi genera aliquot 11, 6
Jusjurandum adigere 7, 18. 16, 4
Jurites Quirini, in precationibus 13, 21
Jus trium liberorum 3, 16
Jusjurandum militare quibus verbis conceptum 16, 4
Justitia 6, 1
Justitiæ imaginem quàm aptè Chrysippus depinxerit 14, 4
Juventæ finis 10, 28
Justi dies, apud Decemviros 20, 1

L.

Labeo Antistius legum atque morum populi Romani apprimè doctus 13, 10, 12
libri ejus posteriorum post mortem editi 13, 10
Laberius à Cæsare ignominiatus 8, 14
multa verba prælicenter finxit 16, 7
quibus rebus C. Cæsarem offenderit 17, 14
ejus arrogantia *ibid.*
versus ejusdem super privatione oculorum Democriti 10, 17
Labiæ 10, 4. 18, 4
Laboriosus 9, 12
Lacedæmonii in acie tibia usi 1, 11
furta illis exercitio & disciplinæ 11, 18
quando triginta tyrannos Athenienſibus præposuerint 17, 21
quando ab Athenienſibus ad Corinthum victi *ibid.*
quid super sententia quam homo improbatissimus dixerat statuerint 18, 3
quomodo litteras quas ad suos imperatores mittebant, occultarint 17, 9

Lactis quo homo nutritur vis 12, 1
C. Lælius 17, 5
Læstrygones Jovis filii 15, 21
Lætabundus 11, 15
Lætitia quid 2, 27
Læva numina, apud Virgil. 5, 11
M. Lævinus ædilis curulis 13, 13
Lais meretrix 1, 8
Laminæ ardentes 10, 3
Lampadio Ennium emendavit 18, 5
Lancea 10, 25
Lancea, Hispanicum vocabulum 15, 30
Largii Licinii Ciceromastix quam ineptus 17, 1
Largior commune verbum 15, 13
Lavandria, Laberio 17, 7
Laudare prisca lingua quid 2, 6
Laudari frigidè turpius, quàm acerbius vituperari 19, 13
Laurentina 10, 2
Laus Catonis, Ciceronis liber 13, 2
Leænæ quotiens in vita sua pariant, & quot catulos uno partu 13, 7
Lebadia oppidum in Bœotia 12, 5
Lectica latus quidam ut à rustico Venusino joculariter derisus 10, 3
Lectica stupis deligata 10, 3
Leges consensu tacito obliterantur 12, 13
Leges ut mutentur pro ratione temporum & flectantur 20, 1
Leges duodecim tabularum quando scriptæ, quodque quibusdam severæ & quibusdam molles visæ *ibid.*
Legio quot centurias, quot manipulos, quot cohortes habeat 16, 4
Lembi 10, 25
Lenæus Cn. Pompeji libertus 17, 16
Lenunculi 10, 25
Legumentum 4, 10
Leonidæ Lac. laus 3, 7
Leoninæ φιλανθρωπίας exemplum memorabile 7, 14
Leontem suam Nævius in carcere scripsit 3, 3
AEmilius Lepidus & Fulvius Flaccus censores una ut in gratiam mutuam redierint 12, 8
Leporaria 2, 20
Lepores in Bisaltia binis jecoribus 16, 15
Levenna: levis Laberio 16, 7
Levitas haud vulgari significatu: & quos *leves* veteres dixerint 7, 11
Levius poëta implicatus 9, 9
Lex quid, & ut à privilegio & *plebiscito* differat 10, 20
Libentiæ 15, 2
Liberalis, quis 17, 5
Liberos alendos proprio lacte 12, 1
Liberos etiam unum filium filiam-

filiamve dixisse veteres 2, 13
Libertini ab ingenuis quatenus adoptentur 5, 19
Librorum inscriptiones variæ 20, 11
Libros publicè quis primus legendos præbuerit 6, 17
Liburni naves loris suebant 17, 3
L. Licinius Crassus censor 15, 11
Porcii Licinii venustissimi versus 19, 9
Licinius Imbrex comicus 13, 21
Lictor unde dictus 12, 3
Lignum alumine oblitum non incendi 15, 1
Linguam exertare 9, 13
Lingua recondenda secundum Hesiodum 1, 15
Lingula 10, 25
Lintres *ibid.*
Lis pecunia æstimata 4, 4
Liticines 20, 2
Litterarum in epistola C. Cæsaris & aliorum occulta significatio 7, 9
Litterarum quarundam jucunda consonantia 7, 20
Lituus, quid 5, 8
Lituusne auguralis à tuba, quæ *lituus* appellatur, an tuba à lituo augurali *ibid.*
Livius Drusus tribunus plebei morbo comitiali laborans Anticyram navigat ut elleborum bibat 17, 15
L. Livius poëta fabulas docere quando Romæ cœperit 17, 21
Locuples unde 10, 5
Longæ naves 10, 25
Longævus apud Virgilium senem non significat 2, 16
Loquacitas quam magnum vitium 1, 15
Lorarii 10, 3
Lorea, muliebris potus 10, 23
Lua Saturni, in comprecationibus 13, 21
Lucretius 5, 12
Luca 11, 18
Lucilius poëta quando floruerit 17, 21
quid Euripidi vitio dederit 7, 3
Ludibriosus 7, 11
Ludibundus 11, 15
Luere piaculis 4, 5
Luna augente vel crescente quam συμπάθειαν multa habeant 20, 8
Luna quot diebus orbem suum lustret 1, 20. 3, 10
Lunæ motuum causa incerta 2, 28
Luscitiosus servus venumdatus quatenus redhiberi possit 4, 2
Lutescere 18, 11
Luteus color 2, 26
Lutulentus 11, 15
Luxuria in cœnis 15, 8
Luxurii, secundo casu 9, 14
Lycurgi lege maximus honos majori ætati habitus 2, 15

M. Ma-

M.

Macedo philoſoph. 13, 8
Macedonia ἠπαθία dicta 14, 6
Machæræ 10, 25
Magniloquentia 1, 2
Magiſtratus qui prenſionem habeant, qui vocationem, qui neutrum 13, 12
Maja Volcani, in comprecationibus 13, 2
Malum quid 12, 5
Malas malaxavi, apud Laberium 16, 7
Maledicendum non eſſe improbis 6, 11
Malum conſilium conſultori peſſimum, proverb. 4, 5
Mamilia meretrix 4, 14
Manciolis tenellis, apud Levium 19, 7
Mancipia ſub corona vendita 7, 4
Manliana imperia 1, 13. 9, 13
C. Manilius conſul. 17, 21
Cn. Manlius tribunus plebei 6, 11
M. Manlii mors 17, 21
Manuatus eſt, & *Manuarius*, apud Laberium 16, 7
Manubiæ quid 13, 23
Manubias & prædam qua ratione Cicero conjunxerit *ibid.*
Manum conſerere quidnam in antiquis actionibus e duodecim tabulis & apud Q. Ennium: utque id fieri apud prætorem ſolitum 20, 10
Marathonia pugna quando pugnata 17, 21
Marcius Rex conſul. 13, 18
Mare, auſtris ſpirantibus glaucum & cœruleum, aquilonibus obſcurius atrum uſque 20, 30
Mare gelu non duratur 17, 8
Maris in tempeſtate qui fit ut homines timeant & palleant 19, 1
Mariti officium erga uxorem 1, 17
M. Marius 10, 3
Marſi ſerpentum virulentorum domitores 16, 11
Marſpiter 5, 12
Marſus Circes filius 16, 11
Martiæ haſtæ quum moviſſent qualibus piaculis id expiatum 4, 6
Materfamilias & matrona 18, 6
Materiæ infames 17, 12
Matrimus 1, 12
Cn. Mattius verbis novis uſus 15, 25
figmenta ejus verborum venuſta 20, 9
Mature, *Maturare*, quid & unde 10, 11
Mauſolus rex Cariæ, aut ut alii volunt, Græciæ præfectus 10, 18
ejus ſepulchrum *ibid.*
ad ejus certamen qui iverint, & quis vicerit *ibid.*
Mecaſtor, quale jusjurandum 11, 6

Me-

Media sive mediocris forma orationis 7, 14
Medicinæ ut subsecivis horis operam dandum 18, 10
Medium vinum 13, 29
Megalensibus patricii mutitare soliti 2, 24. 18, 3
Mei, patrio casu ab eo, quod est, *Ego* 20, 6
Mei, & *mi* 23, 24
AEl. Melissi grammatici error 18, 6
Memmius durus poëta 19, 9
Memordi, non, *momordi* dixere veteres 7, 9
Memoria hominum morte deleri non debet 5, 13
Menander poëta quam Plautus antiquior 3, 16
quot comœdias scripserit, & quotiens vicerit 17, 14
quid Philemoni dixerit quum sæpe ab eo in comico certamine vinceretur 17, 4
ejus comœdiæ à Cæcilio versæ 2, 23
Mendicimonium, *mœchimonium*, apud Laberium 16, 7
Menippus philosophus servus fuit 2, 18
Mensæ rationes 14, 2
Mensæ secundæ 13, 11
Mentiri & mendacium dicere ut differant 11, 1
Meretricum vitia quibus verbis Plautus designaverit 3, 3
Merope 7, 3
Mesanculæ 10, 25
M. Val. Messala consul 15, 11
Q. Metellus Numidicus purè casteque Latina lingua usus 17, 2
ejus oratio ob quid reprehensa, & quem in modum defensa sit 1, 6
epistola ejus ad Domitium quum in exilio esset 15, 13. 17, 2
Q. Metellus Pius consul 15, 28
Metii Fufetii mors 20, 1
Metus, duobus modis accipitur 2, 12
Mihi & *tibi* ut pronuncientur 10, 4
Milesiæ virgines ut à voluntario interitu deterritæ 15, 10
Milesiorum legati ut à Demosthene pecunia accepta elusi 11, 9
Milites quid jurare soliti 16, 4
quo die adesse debuerint ut consuli citanti responderent; quæque illis concessæ exceptiones *ibid.*
Militi ignominiæ causâ venæ soluta 10, 8
Mille hominum occiditur, quemadmodum dicatur 1, 16
Milonis Crotoniensis athletæ miserandus interitus 15, 16
Miltiades 17, 21
Minores magistratus & majores 13, 15
Minos Iovis filius 15, 21

Miracula varia 9, 4
Miseriam quid efficiat 18, 1
Mithridateios potio 17, 16
Mithridates Ponti rex remediorum adversus venena peritissimus, ejusque mors *ibid.*
quinque & viginti diversarum gentium linguis loquutus 17, 17
Moderamenta 13, 6
Mœnia, pluraliter semper 19, 8
Mœra 3, 16
Molæ Martis, in comprecationibus 13, 22
Monocoli 9, 4
Monstra hominum varia *ib.*
Morbi quando periculosiores 3, 10
Morbi vis 12, 5
Morbosne natura fecerit una cum hominibus 6, 1
Morbus, in duodecim tabulis 20, 1
Morbus sonticus 16, 4. 20, 1
Morbus ut à vitio differat in edicto ædilium curulium 4, 2
Mori constituentes inedia, quoto die mortem oppetant 3, 10
Moriens quo temporis momento moriatur 6, 13
Morta, una ex Parcis 3, 19
Mortales multi, & *multi homines* quid differant 13, 28
Mortuaria glossaria 18, 7
Q. Mucius pontifex maximus 5, 14
Mulcedo 19, 9
Mulier, si vinum bibit, à marito multata 10, 23
Mulier sterilis venundata, quatenus redhiberi possit, inter juris-prudentes dissensum 4, 2
Mulieri vir judex 10, 23
Mulieres Romæ per Herculem non jurabant 11, 6
Mulieres Romanæ absteniæ osculum cognatis ferebant, ut odor indicium faceret si bibissent 10, 23
Multa qui habet multis indiget 9, 8
Multa, Sabinum vocabulum 11, 1
Multa suprema, minima, quibus verbis dicta *ibid.*
Multam dicere, facere ibid.
Multi grumi fluctus, apud Levium 19, 7
Multijugus, multicolor, multiformis 18, 18
Mundum muliebre 4, 1
Mundus muliebris *ibid.*
Muneror, pro *munero* 18, 12
Municipes, & *municipium*, quid, & ut à colonia differat 16, 13
Muræna Tarteſſia 7, 16
Muralis corona 5, 6
Murina, muliebris potus 10, 23
Musicam absconditam nulli rei esse 13, 29
Musonius philosophus 5, 1
quanti cuidam æruscatori philosophum sese ostentanti dari jusserit 9, 2

ejus

ejus sententia quædam à M. Catone diu ante Latinè dicta 16, 1
Mutant, pro, *mutantur* apud Varronem 17 13
Mutuitate 2, 24. 18, 2
Mutus morbosus est 4, 3
Myoparones 10, 25
Mys Epicuri servus 2, 8

N.

C. Nævius tribunus plebei Scipionem Africanum superiorem accusat 4, 18
Nævius poëta quando fabulas apud populum Romanum dederit 17, 21
fabulas duas in carcere conscripsit 3, 3
versus ejus in Scipionem Africanum superiorem 6, 8
ejusdem epigramma sepulchro suo inditum 1, 24
Nani, apud Cinnam 19, 13
Nanus, id est, *pumilio* 16, 7
Nasci non potest ante mensem septimum neque mas neque femina 3 10
Natis ante noctis horam sextam, uter dies natalis sit 3, 2
Natura 6, 1
Natura quid primum in homine creaverit 13, 5
Natura & *fatum* num eadem Ciceroni 13, 1
Naturæ vis 12, 5
Navalis corona 1, 6
Naucritus in Mausolæo certamine fuit 1, 18
Naves ut Liburni utque Græci contexuerint 17, 3
Navigantes *ingredi* & *transgredi* rectè dictum 10, 26
Navium cursus 10, 25
Navium vocabula *ibid.*
Ne, particula privativa 13, 21
Ne id quoque 17, 2
Necessitas & *necessitudo* non differunt 13, 3
Nefasti dies vulgo perperam dicti 4, 9
Corn. Nepos erravit quum Ciceronem annos tres & viginti natum causam pro Sex. Roscio dixisse scripsit 15, 28
Neptuni filii inhumanissimi & ferocissimi à poëtis habiti 15, 21
Neptuni nomina 2, 28
Neptunus qua ratione apud Homerum dicat puellæ à se compressæ, illam intra annum parituram 3, 16
Neptunus pater *ibid.*
Nequitia non vulgari significatu 7, 11
Neria, Cn. Gellio 13, 22
Nerienem, tertia correcta *ibid.*
Nerienes Martis, in comprecationibus *ibid.*
Nerienes vocandi casu apud Varronem *ibid.*
Nerio quid Sabin. *ibid.*
Nervi unde 13, 13

Nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare 9, 7
Nervolaria Plauti, inter incertas 3, 3
Nescius 9, 12
Neurospasta 14, 1
Ni *ibid.*
P. Nigidius Figulus 4, 9. 10, 11. 13, 10. 17, 7
Ciceroni & Varroni coætaneus 19, 14
Cicero eum reveritus 11, 11. 13, 23
commentationes ejus propter obscuritatem non vulgatæ 19, 14
locus ejus difficilis super litteris *ibid.*
Nihil cum amaracino sui proverb. 20, 11
Nihil cum fidibus graculo proverb. *ibid.*
Nilus fluminum quæ ultra imperium Romanum fluunt prima magnitudine 10, 7
Nimium quantum 1, 8. 15, 1. 16, 6. 18, 3
Niobe quot filios habuerit, variæ Græcorum sententiæ 20, 7
Nivis aqua potui pessima; frugibus & arboribus fecunda 19, 5
Nocteſcere 18. 11
Noctilucor Memnon, apud Levium 1, 9
Nomen Tarquinium apud L. Pisonem 16, 9
Nomina non positiva esse, sed naturalia, argutissimè à P. Nigidio disceptatum 10, 4
Nomina quædam singulari, quædam numero plurali tantum dici, & quæ ratio 19, 8
Nomina quorumdam patriciorum, qui malè de republica meriti essent, ne cui ejusdem gentis inderentur prohibitum est 9, 2
Nona una ex Parcis 3, 16
Nos & *Vos* ut pronuncientur 10, 4
Nostrum & *nostri* ubi locum habeant 20, 6
Novicium 6, 5
Novissimus & *novissimè* cur Cicero non dixerit 10, 21
Nox, pro *noctu* in XII tabulis 8, 1
Nuces Thasiæ 7, 16
Nutrices infantum quales plerumque esse soleant 12, 1
Nutriendos liberos esse feminis, non nutricum, sed suo sibi lacte. *ibid.*

O.

Ob, præpositionis natura 4, 17
Obba 16, 7
Obesum quid 19, 7
Objicere, cur prima producta ponatur 4, 17
Obicibus cur primam productam habeat 1, 17
Obliquè agere 7, 17

Oblittera gens, apud Levium 19, 7
Obnoxiè. in Plauto 3, 17
Obnoxius quid significet, quæque ejus origo *ib.*
Obsidionalis corona 5, 6
Obstipidus 5, 1
Occidione occisus 5, 17
Oceanus cum luna simul senescit adolescitque 14, 1
Oculorum quæ vis 5, 16
Offendere 9, 1
Officiorum quis ordo Romæ observatus 5, 13
Oleaginea corona 5, 6
Olearum folia quando convertantur 9, 7
Oleum cur sæpe congelascat 17, 8
Olus Postumius Tubertus dictator Romæ quando fuerit 17, 21
Olympias Philippi regis uxor, Alexandri mater 7, 1 ejus ad Alexandri litteras, in quibus, sese Jovis Ammonis filium dixerat, rescriptio 13, 4
Olympicum stadium longius quàm cætera 1, 1
Omnimodis 2, 18. 4, 2
Onesicritus historicus 9, 4
Opicus 11, 16. 13, 9
C. Oppius de vita P. Scipionis Africani superioris scripsit 7, 1
C. Oppius res Cæsaris curabat 17, 9
Oppositа 16, 8
Opus divitiis ut dictum 7, 2
Orantes in senatu exsurgunt 7, 3
Oranti senatori in senatu alia conducunt principia, quàm patrono pro reo causam dicenti *ibid.*
Orationem in pectore non in ore nasci debere 1, 15
Orationis virtutes 7, 14
Orbis, in re militari 10, 9
Orcæ 10, 25
Orcinus thesaurus 1, 24
Oresti corpus non tam grande inventum fuisse quàm Herodotus vult 3, 10
Oriæ 10, 25
Oriens æquinoctialis, brumalis, solstitialis 2, 22
Ornatu. dandi casu 4, 6
Ornithones 20, 20
Orthium carmen 16, 19
Oscedo 4, 20
Ostrea Tarentina 7, 16
Ostreæ cum luna quam συμπάθειαν habeant 20, 8
Osus 4, 8
Otacilius Crassus consul 10, 6
Ovalis corona 5, 6
Ovandi quæ causa *ibid.*
Ovantes, utrum pedibus an equis vehentes civitatem ingrediantur *ibid.*
Oves virili genere in multa dicenda 7, 8. 11, 1

P.

Pabulor 17, 2
Pacis bibliotheca 16, 8
Pacis templum 5, 21

Pactitia pugnæ cessatio 1, 25
Pacuvius poëta quando floruerit 17, 21
ejus epigramma sepulchro suo inditum 1, 24
ejusdem cum Accio poëta colloquium 18, 2
Pænitere unde, & quid proprie 17, 1
Palma Ægyptia 7, 16
Palmæ vis & natura, & cur ea signum victoriæ 3, 6
Panætio ἀναλγησία atque ἀπάθεια non probata 12, 5
Panætium M. Tullius æmulatus in libris de officiis 13, 6
Pancratiæ 12, 26
Panda 13, 21
Papia lex de capienda Vestali 1, 12
Papirius Prætextatus cur ita cognominatus 1, 23
Parcæ à partu: earum nomina 1, 16
Parcus, unde & super eo Gabii fassi traditio elusa 3, 10
Parones 10, 25
Parthenii versus à Virgilio expressus 13, 26
Partim hominum, qua ratione veteres dixerint 10, 13
Partu uno quot pueri simul gigni possint 10, 2
Partus postquam muliebris uterus semen genitale concepit, quoto mense fiat, variæ tam medicorum quàm philosophorum & auctorum veterum opiniones; & quoto mense fiat secundùm Romanos 3, 16
Partus undecimo mense post mortem mariti à femina quadam editus qualis fuerit judicatus 3, 16
Pasa, muliebris potus 10, 23
Passis velis & *passu manibus*, à *pandor*, non à *patior*, veteres dixerunt 15, 15
Passo capillo *ibid.*
Patiendi verba in agendi modum à veteribus versa 18, 12
Patrensis bibliotheca 18, 9
Patri debita in omnibus rebus prærogativa quatenus conniveat filio magistratum gerente 2, 2
Patrima, matrima 1, 12
Patris jussis quatenus parendum 2, 7
Patronis, qui pro reis dicunt, quid in principio orationis faciendum 7, 3
Pavere etiam sapientis esse 19, 1
Jul. Paulus 1, 22. 5, 4. 19, 1
Pavus è Samo 7, 16
Peccata exemplis non purgari: superque eo Demosthenis dictum 10, 9
Peccatis pœniendis quot causæ 6, 14
Peccatu 13, 19
Peccatum nullum latere, sed tempore revelari 1, 11
Pectunculus Chius 7, 16
Pecunia quibus modis data probetur 14, 2

Pedàneus, non *pedarius* dicendum 3, 18
Pedarii equites *ibid.*
Pellex quæ 4, 3
Pelamis Chalcedonia 7, 16
Peloponnesiacum bellum quo tempore fuerit 17, 21
Pelusiotæ cur cæpe non edant 21, 8
Penus varii generis, & quid sit 4, 1
Pepoſci non *popoſci* veteres dixerunt 7, 9
Pepugi, non *pupugi*, veteribus dictum *ibid.*
Perdices bina corda habere ſcripſit Theophraſtus 16, 15
Peregrinus, Proteus philoſophus quomodo non peccandum eſſe docuerit 12, 11
Periander Corinthi rex 16, 19
Pericles Alcibiadis avunculus 15, 17
ejus dictum 1, 3
Pernicii, *progenii*, patrio caſu 9, 4
Perſæ quando ab Athenienſibus victi 17, 21
Perſes Macedonum rex Philippi filius bellum contra Romanos geſſit, victuſque fuit 7, 3
Perſeus Zenonis ſtoïci ſervus 2, 18
Perſonæ ἔπαινος quàm lepidum Gab. Baſſus poſuerit 5, 7
Pertentant gaudia pectus, apud Virgil. 9, 9
Peſtilenta, *pulverulenta* loca apud Levium 19, 7
Peterritum, cujus linguæ vocabulum 15, 30
Phædon Socraticus ſervus 2, 18
Phalarica 10, 25
Phaſeli *ibid.*
Philemo comicus Menandrum vicit 17, 4
Philippides poëta præ nimia lætitiâ mortuus 3, 15
Philippus regnum Macedoniæ quando adeptus 17, 21
quando apud Chæroneam Athenienſes vicerit *ibid.*
ex inſidiis occiſus. *ibid.*
ejuſdem ad Ariſtotelem epiſtola ſuper Alexandro recens nato 9, 3
Philiſtio Locrus vetus medicus 17, 11
Philolaus Pythagoricus 3, 17
Philoſophia deguſtanda non ingurgitanda 15, 16
Philoſophia gnaviter ſectanda 6, 10
Philoſophi falſi & veri ex Epicteti ſententia qui? 1, 2
Philoſophi aliquot qui ſervitutem ſervierunt 2, 18
Philoſophi jactabundi exẽplum 1, 2
Philoſophi nomen cultu habituque mentientem quẽdam quibus verbis Herodes Atticus notaverit 24, 2

Philosophi nomine, & non re, ut à Catone fuerint notati 13, 22
de Philosophis urbe exigendis senatusconsulti & edicti censorum verba 15, 11
Philosophus ut audiendus 5, 1
Phœniceus color 2, 26. 3, 9
Phormio, Athenienſium dux 17, 21
Phrygia attagena 7, 16
Pictacium, apud Laberium 16, 7
Pigitum 15, 13
Pigneror, pro *Pignero* 18, 12
Pignoriſcapio, copulatè 7, 10
Pilum 10, 20
Piſcinæ 2, 25
Pindarus pingui facundia. verſus ejus ſuper deſcriptione AEtnæ non bene à Virgilio expreſſi 17, 10
Piſiſtratus tyrannus quo tempore vixerit 17, 21
idem primus libros Athenis legendos publicè dedit 6, 17
Placida, navium genus 10, 25
Planus, id eſt *ſycophanta*, apud Laberium 16, 7
Platò, veritatis amantiſſimus, quibus verbis philoſophos inceſſuerit, qui veræ philoſophiæ emolumenta ignorant 10, 22
quando ad Dionyſium Siciliæ tyrannum profectus ſit 17, 21
an Xenophonti male voluerit 14, 3
ejus & Lyſiæ oratio ut differat Favorini ſententia 2, 5
duas ſolum pœniendi cauſas ponit 6, 14
ejus eligans ſententiâ 2, 22. 13, 6
homo tenui pecunia 3, 17
Philolai Pythagorici libros quanti mercatus *ibid.*
ejus verſus amatorii liberius Latinè verſi 19, 11
quid voluptatem eſſe dicat 9, 5
quædam ejus exercitii gratiâ Latinè verſa 17, 20
Plautius comœdiarum ſcriptor, cujus comœdiæ quædam errore nominis Plauto adſcriptæ 3, 3
Plautus quando floruerit 17, 21
Latinæ linguæ decus 19, 8
comœdias in piſtrino ſcripſit 3, 3
elogium ejus verum 7, 17
ejus ſub nomine quot comœdiæ ferantur 3, 3
L. AElii ſententia quot ſint *ibid.*
rectè Nerienem conjugem Martis dixit 13, 21
comœdiæ ejus ut dignoſcendæ 3, 3
XXI Varronianæ dictæ *ibid.*
epigramma ejus ſepulchro inditum 1, 24
Plebes ut à *populo* differat 10, 20

Plebiscita 15, 27
Plebiscitum quid 10, 20
Plerique omnes 8, 11
Plinius Secundus 9, 4. 11, 16
ejus parum cauta scriptio 9, 16
Plurali numero carentia 9, 8
Pluria, rectè Latinè dici 5, 21
Plutarchus 14, 11
inique Epicurum in syllogismo reprehendit 2, 1
eumdem non rectè etiam in verbis frivolis reprehendit 2, 9
quid illi servus objecerit quem loro cædi jubebat 1, 26
opinionem Platonis de natura stomachi adversus Erasistratum tutatur 17, 11
libri ejus titulus περὶ πολυπραγμοσύνης quid sibi velit 1, 16
Pœni etiam de omnium rerum imperio decertarunt 10, 27
Pœnicum bellum primum 17, 21
Poëtarum Latinorum qui dulcedinem versuum Anacreonticorum æquiperaverint 19, 9
Pœtilius tribunus plebei à Scipione Africano superiore rationes prædæ Antiochenæ poscit 4, 18
Asin. Pollio frustra Sallustium reprehendere conatus est 10, 26
Polus histrio celebris, superque eo historia memoratu digna 7, 5
Polycrata nobilis femina, nimio gaudio mortua 3, 15
Polyphontes rex 7, 3
Polystephanus historicus 9, 4
Pomœrium auguribus quid, quique ejus proferendi jus habeat 13, 14
Cn. Pomp. Strabo Pompeji Magni pater Asculanos subegit 15, 4
Cn. Pompejus Magnus consul cum M. Crasso 14, 7
Varronem rogat ut librum faciat, ex quo discat quid facere debeat quum senatus ipsi consulendus *ibid.*
æde Victoriæ à se dedicata quomodo nomen honoris sui theatro inscribi jusserit 10, 1
filia C. Cæsaris ei desponsa 4, 10
ejus imperium *ibid.*
Pompolus Theophrasti servus 27, 18
Pomptinus ager 9, 11
Ponticeæ anates vim habent venenis detergendis 17, 16
Pontifices pro collegio decernunt 11, 3
Pontificium 1, 13
Pontones 10, 25
P. Popilius 11, 13
Populabundus, apud Sisennam 11, 15
Popul. fundus factus 16, 13

Porca præcidanea Cereri sacra 4, 6
Porcetra quid, & ut à sue differat 18, 6
Porcia lex 10, 3
Porciæ familiæ nomina & genera 13, 19
Porcius tribunus plebis 13, 12
Postliminiò redire 7, 18
Postprincipia 16, 9 & 18
Postremissimus 15, 12
Postverta dea 6, 16
Postuma proles, apud Virgilium 2, 16
Postumiana imperia 1, 13
Sp. Postumius consul 17, 21
Præcipitantia 6, 2
Præcox, *præcocis*, facit, non, *præcoquis* 10, 11
Præda quid, & ut à *manubiis* differat. 13, 24
Præfectus Latinarum causa creatus an senatus consulendi jus habeat 14, 8
Præficarum voces 18, 7
Præfiscine & *præfiscini* 10, 24
Præmandare 4, 1
Præmaturè 10, 11
Præmodum 7, 7
Præmorsisse, apud Plautum, pro, *Præmordisse* 7, 9
Prænestini ex colonis municipes à Tiberio facti 16, 13
Præpes portus, apud Q. Ennium 6, 6
Præpetes loci, apud eumdem *ibid.*
Præpetes pennæ apud Virgilium *ibid.*
Præpositiones verbis præpositæ quatenus producantur, quatenus corripiantur, multis exemplis ostensum 4, 17
Præpositionum quarumdam naturam ut Cicero observavit, non semper eamdem esse 12, 17
Præsentarius 16, 4
Præterpropter, apud Ennium 19, 10
Præstabilis 1, 3
Prætextata verba 9, 10
Prætores consulum collegæ, consules tamen rogare non possunt, & minori sunt quàm illi imperio 13, 14
Prætoris cujusdam lepidum in advocatum dictum 1, 22
Præverbium 7, 7
Prensionem tribunus plebei habet, non etiam vocationem 13, 12
Primitus 6, 2
Princeps 4, 10
Priva quæ veteres dixerint 10, 20
Privilegium quid? *ibid.*
Priusquam Theognis nascerētur, proverb. 1, 3
Pro particulæ varietas 11, 3
Pro præpositio quando productè & quando correptè pronuncietur 2, 17
Pro castris pugnatum 11, 3
Pro testimonio testis dicit *ibid.*

Probi ad Marcellum epistola 4, 7
Proclive & proclivi 10, 24
Procurare, in haruspicina 4, 5
in piaculis 4, 6. 16, 6
Prodicus rhetor 15, 20
Prodromi 2, 22
Productæ kalendæ 18, 13
Profata, apud Varronem 16, 8
Profligo verbum impropriè vulgo usurpari 15, 5
Proletarii, qui? 16, 10
Proletariis Romæ maximus honor habitus 2, 1
Proloquium 5, 11
Proloquium, quid? 16 8
Proluhium 16, 19
Proludium 5, 18
Proluvium rei Veneriæ 4, 11
Promercalia 4, 1
Promiscè 6, 14. 7, 3. 10, 2. 13, 9
Promiscus 11, 16
Pronunciatum, Ciceroni 16, 8
Properatim 12, 15
Properare ut à *festinare* differat 16, 14
Properare aliud quàm *maturare* 10, 11
Propere *ibid.*
Prosa, dea 16, 16
Prosumia 10, 25
Provocatio ad tribunos plebei 4, 14
Protagoras cujus conditionis homo fuerit, & ut ad philosophiam adierit 5, 1
Protogenes pictor 5, 3
Prudentia indisserta magis eligenda, quam stulta loquacitas 1, 15
Publii mimographi sententiæ selectiores 17, 14
Publius suppar Laberio quàm gratus C. Cæsari fuerit *ibidem*
Pudor sanguinem cur diffundat 19, 7
Pudoricolor aurora Levio *ib.*
Pueritiæ finis 10, 28
Puerorum impubium victus ut moderandus 9, 19
Pugiones 10, 25
Pulveret, apud Plautum 18, 12
Horatius Pulvillus consul 17, 22
Pumiliones Græcè νάνοι 19, 13
Pupillos defendere quam sanctum apud Romanos 5, 13
Purpurare 18, 11
Purum putum, unde 8, 5
Putare *ibid.*
Pygmæi 9, 4
Pyramides, apud geometras 1, 20
Pyrrhonii philosophi ut ab Academicis differunt 11, 5
Pyrrhonis philosophi sententia *ibid.*
Pyrrhus rex 3, 7. 10, 19
quando bellum cum populo Romano gesserit 17, 21
Pythagoras quando in Italiam venerit *ibid.*
quibus cibis abstinuerit secundum Plutarchum 4, 11
ne-

neque de animalibus eum neque de fabis comedisse falsa opinio, *ibid.*
dictus Euphorbus, Pyrander, Callicleas, & deinde femina nomine Alce *ibid.*
ejus disciplinæ quis ordo 1, 9
Pythagoricis quantum temporis tacendi, quantumque dicendi imperatum 1, 9
Pythia 12, 5

Q.

Quadrantalia 1, 20
Quadriga, numero singulari apud Varronem 19, 8
Quadrigæ num singularem numerum habeant *ibid.*
Cl. Quadrigarii & Valerii Antiatis super historia de Pyrrho rege veneno necando dissensio 3, 8
Quadrupes eques, non, *equus*, Ennius scripsit 17, 5
Quæstor an in jus ad prætorem à privato vocari possit 13, 13
Quæstor prædam vendit 13, 23
Quartum, & *quarto* consul 10, 1
Quassare 2, 6
Querna corona 5, 6
Quernus cibus antiquissimus 5, 6
Quiesco, & similia utrum, e, producta an correpta efferantur 6, 15
Quin particulæ variæ significationes, ejusque in veterum scriptis obscuritas 17, 13
Quinquatrus unde 2, 21
P. Quintium qua ætate Cicero defenderit 15, 28
Quintus Catulus curator restituendi Capitolii 2, 10
Quoad vivet, & *quoad morietur* cur idem tempus significent, quum ex duobus sint facta contrariis 7, 21
Quod subreptum erit, lege Atinia ut accipiendum 17, 7
Quoque pro, *quidem* 17, 2
Quotquot annis 6, 5
Quopsones, apud Afros 8, 13

R.

Radere barbam ante senectam ætatem Romani etiam moris fuit 3, 4
Rarenter 2, 25
Ratariæ naves 10, 25
Ratio ut nata in homine 12, 5
Recentatur, apud Mattium 15, 25
Receptitius servus, quis apud Catonem, præter Verrii Flacci sententiam 17, 6
Recipere mulier dicitur ex dote 17, 6
Rectos cupressos, apud Ennium 13, 19

Re-

Recuperatores à prætoribus injuriis æstimandis dati 20, 1
Redhibitio in servis 4, 2
Referre gratiam 1, 4
Refrigerare, apud Varronem 13, 24
Religio est dicere, apud Terentium 4, 9
Religiosa delubra *ibid.*
Religiosi dies *ibid.*
Religiosus quid, & quam πολύσημον, quoque significatu ad eumdem modum inclinata nomina dicantur *ibid.*
Rem præsidio futurum, & similia, & qua ratione dicantur 1, 7
Remus à Romulo in monte Aventino auspicio superatus 13, 14
Reorum cultus 3, 4
Rescire quid 2, 19
Res profligata 15, 5
Res repetere, jus belli 16, 11
Restare 1, 23
Retæ 11, 17
Retanda flumina in prætorio edicto *ibid.*
Rex sacrificulus solus super flaminem Dialem accumbit 10, 15
Rhetor ut loqui debeat 1, 6
Rhetores Italia ut urbe ejecti, & super eo verba edicti censorii 15, 11
Rhodanus fluviorum qui ultra Romanum imperium fluunt, tertia magnitudine 10, 7
Rhodienses amici & socii populi Romani ut se in bello Persico gesserint, quæ eorum consilia, & ut à Catone in senatu defensi, quum quidam è senatoribus bellum illis inferendum censerent 7, 3
Rhodii obsessi à Demetrio quæ verba ad illum super Jalysi imagine, quam incendere parabat, legaverint 15, 31
Rhodos insula *ibid.*
Rica 6, 10
Ridibundus 15, 15
Robigus, deus 5, 12
Roboraria 2, 20
Robur 10, 12
Rogare prætorem vel consulem prætor non potest 13, 14
Rogatio quid 10, 20
Romani populi & Pœni collatio 10, 27
Romanus populus quibus rebus è minimo maximus factus 20, 1
Romani veteres quam Græcæ linguæ imperiti 13, 9
Romuli regis egregia circa vinum responsio 11, 14
Sex. Roscium qua ætate Cicero defenderit 15, 28
Rubidus color 2, 26
Corn Rufinus à C. Fabricio senatu motus 4, 8. 17, 21
ab eodem consul designari curatus, quum tamen ei inimicus esset *ibid.*
Rufus color 2, 26

Ru-

Rumices 10, 25
Rumpiæ *ibid.*
Rupices 13, 19
Rutilus color 2, 26

S.

Cæl. Sabinus I. C. 7, 4
Sabinus medicus Hippocratis enarrator 3, 16
Sacellum quid, & unde: in eoque Trebatii error *ibid.*
Sacrorum detestatio 11, 27
Salacia Neptuni, in precationibus 1, 21
Sallustius proprietatum in verbis retinentissimus 10, 20
novator verborum 1, 15
in adulterio deprehensus ab Annio Milone, loriſque cæsus 17, 18
loci cujusdam ejus cum Demosthenico collatio facta 2, 20
multi ejus obtrectatores 4, 15
sententia ejus contra invidorum calumnias defensa *ibid.*
nequidquam ab Asinio Pollione reprehensus 10, 26
vera ejus lectio 20, 6
Salonius cliens M. Catonis 13, 18
Saltem particulæ quæ vis quæque origo 12, 14
Saltuatim 12, 15
Samnites ad Fabricium legatos mittunt 7, 14
Samniticum bellum 17, 21
Sanates, in XII tab. 16, 10
Sanctitudo & sanctitas 1, 2
Sandaliarius Romæ 18 4
Sanguinem cur pudor diffundat; timor verò contrahat 9, 6
Sanguinis dimissio inter ignominias militares 10 8
Sapiens an iratscatur 1, 26
Sapiens nil cogi potest 12, 5
Sapiens quemadmodum dolorem ferat *ibid.*
Sapientiam filiam Usus & Memoriæ eleganter Afranius dixit 13, 8
Sarpedon Iovis filius 15, 21
Satrapes 10, 18
Saturionem suam Plautus in pistrino scripsit 3, 3
Saturnalia Athenis quemadmodum A. Gellius, aliique Latini qui studiorum causa eò venerant, quæstionum certationibus agitare soliti 18, 2
Sauromatæ diebus tertiis cibum capiunt 9, 4
Scævitas 6, 2. 20, 1
Q. Scævola non satis rectè *penum* definivit 4, 1
Scaphæ 10, 25
Scari Cilices 7, 16
Scaurus grammaticus D. Hadriani temporibus 11, 15
ut Cæsellium Vindicem reprehenderit *ibid.*
Scenicorum artificum studium & amor non honestus 20, 4
Schemata geometrarum 1, 20

Scholica nugalia 4, 1
Scythæ ἀνθρωποφάγοι 9, 4
Scythæ quemadmodum famem diu tolerent 16, 3
Scimpodium Græcienſe 19, 10
L. Scipioni Aſiatico multa irrogata à C. Munatio tribuno plebei 7, 19
P. Scipioni Africano à Claudio Aſello tribuno plebei dies dictus 3, 4
idem eidem Aſello in cenſura equum ademit *ibid.*
ejus oratio contra Aſellum 7, 11
P. Scipio Africanus ſuperior ut cum Tib. Graccho, Tib. & C. patre, in gratiam redierit, & affinitatem cum eo inſtituerit 12, 8
vitam ejus qui ſcripſerint 7, 1
ſigna, quæ ejus nativitatem præceſſere *ibid.*
Cum Iove Capitolino loquutus *ibid.*
oppidum quoddam in Hiſpania ut expugnaverit *ibid.*
quàm altus animo fuerit & magnificus, exemplis oſtenſum 4, 18
quid M. Nævio tribuno plebei illud apud populum, quòd pecuniam ab Antiocho accepiſſet, accuſanti reſponderit *ibid.*
quid fecerit Pœtilio tribuno plebei rationes à ſe pecuniæ Antiochenæ exigente *ibid.*
adoleſcens fama non ſincera, ita ut Nævius poëta in eum ſcriberet 6, 8
Scirpi 12, 6
Sciſcidi, pro, *ſcidi* 7, 9
Scitamenta 18, 8. 20, 9
Scorpii 10, 25
Scribendi occultè exempla varia 17, 9
Scriptum facere 6, 9
Scruta, *ſcrutarius* 3, 14
Sculna, apud Varronem 20, 11
Scyron Iovis filius 15, 21
Scytale Laconica 17, 9
Secare, &, *ſectio* 20, 1
Sectius, apud Plautum 18, 9
Secundis rebus & proſperis homines in poteſtate ſua non ſunt 7, 3
Secures 10, 3
Securim, non, *ſecurem* 13, 19
Sedavit tempeſtas 18, 12
Sejanus equus, proverb. 3, 9
Cn. Sejus à M. Antonio capitis damnatus 1, 9
Seleucus rex Nicanor dictus libros, quos Xerxes aſportaverat, Athenas referendos curavit 6, 17
Sella curulis 3, 18
Sellarius quæſtus 3, 1
Semiphalarica 10, 25
Senatorem quis veſtitus, quis calceatus deceat, quis dedeceat 13, 20
Senatores non erant, etiamſi curulibus magiſtratibus functi, qui à cenſoribus

in

in senatum lecti non erant 3, 18
Senatores, qui curulem magistratum gessissent curru soliti in curiam vehi *ibid.*
Senatûs, & similia pariendi casu à M. Varrone & P. Nigidio posita 4, 16
Senatum habere quibus diebus jus sit 14, 7
Senatum habiturus auspicari prius & hostiam immolare debet 14, 7
idem prius de rebus divinis quàm humanis ad senatum referre debet *ibid.*
Senatus consulendi quibus ordine jus fuerit, quibus extra ordinem 14, 7, 8
Senatus, pro loco & pro hominibus 18, 7
Senatus in Capitolio epulatus 12, 8
Senatus per quos more majorum haberi solitus sit 14, 7
Senatus-consultum quot modis fiat; quique super eo primus in senatu rogari solitus 14, 1
Senatus-consultum per discessionem factum 3, 18
Senatusconsultum ubi fiat 14, 4
ante exortum solis, aut post occasum factum ratum non est *ibid.*
Senecæ futile de Q. Ennio, P. Virgilio, & M. Cicerone judicium; varia item de eo judicia 12, 2
quæ bene dixisse dicatur *ibid.*
Senectuti olim amplus honor habitus 2, 15
Seniores à minorib. domum deducti 2, 15
Seniores, qui 10, 28
Senonicum bellum 17, 21
Sensuum hominum quinque duos esse maximè belluis communes 19, 2
Sensuum naturalis defectio, & quid de ea Aristoteles 7, 6
Sententiam in senatu quibus dicere licuerit 3, 18
Sententiarum rogandarum in senatu quis olim ordo 4, 10
Septemtrionarius ventus 2, 22
Septemtrionum verum ἐπίπλουν 2, 21
Septenarii numeri vis 3, 10
Sequester 2, 11
Sequestro positum, apud Catonem *ibid.*
Sermonari 17, 2
Serpens inusitatæ magnitudinis 6, 3
Serra, inre militari 10, 9
Q. Serranus consul 15, 28
Sertorius quo astu barbaros milites sibi conciliaverit, & in officio continuerit 15, 22
Servi in furto manifesto prensi ut pœniantur 11, 8
Servi pileati venumdati, quorum nomine venditor nihil præstat 7, 4

Servilianus V. Cl. 1, 2
Servius Sulpicius I. C. 2, 10. 6, 12
Servius Tullius Romanorum rex 13, 14
quot classes juniorum census faciendi instituerit, & quæ pueritiæ, juventæ, senectæ posuerit discrimina 10, 28
Servus jure veteri in adoptionem etiam per prætorem dari poterat 5, 19
Sestion Ποσειδώνιον dictum 14, 6
Sexagesimus tertius annus in senibus periculosus 15, 7
SI. DEO. SI. DEAE. in piaculis 2, 28. 15, 23
Sibones 10, 25
Sibyllini libri ut Romam venerint 1, 19
Sicæ 10, 25
Siccius Dentatus bellator magnus, Achilles Romanus dictus 2, 11
Siciles 10, 25
Sicinnistas nebuloso nomine cur Accius dixerit 11, 8
Sidera quædam à quibusdam terris videntur, à quibusdam non 19, 1
Sidicinus quæstor 10, 3
Silenta loca, apud Levium 19, 7
Silvius post AEneæ mortem natus 2, 16
Sinnius Capito 5, 21
Sinus togæ 4, 18
Sisenna adverbiis in *im* plurimùm usus 12, 15
Siticines, apud Catonem 10, 2
Siti *ibid.*
Socrates quando Athenis capitis damnatus & veneno necatus 17, 21
quid Alcibiadi quærenti cur uxorem suam tam acerbam domo non exigeret responderit 1, 7
eum umquam de rebus naturalibus disputavisse negat Xenophon 14, 3
ejus patientia & temperantia 2, 1
Sol in cœlo vertitur 12, 1
Sol occasus 17, 2
Soleæ 13, 20
Solidum, schema geometricum 1, 20
Soliferrea 10, 25
Solis defectus causa incerta 2, 28
Solœcismum quomodo Latini appellaverint 6, 20
Solon quando leges Athenienses scripserit 17, 21
ejus leges Athenis axibus ligneis incisæ 2, 12
lex ejus pensitata, quæ pœnâ eos afficit qui sese à civili seditione removissent. *ibid.*
qua multa fures affecerit 11, 18
Solstitium & bruma 3, 10
Solstitium in septimo signo Zodiaci fit à bruma *ibid.*

Somnus nimius pueris nocet 4, 9
Sophismata 18, 13
Sophocles tragœdus quando floruerit 17, 21
ejus Electra 7, 5
ejus sententia prudens 12, 11
antiquior Euripide 13, 18
versus ejus Euripidi à Platone tributi. *ibid.*
Soror, unde dicta ex Labeonis sententia 13, 10
Sortitio in sacro certamine 5, 9
Soterici lecti 12, 2
Sotion Peripateticus 1, 8
Spadix 2, 26. 3. 9
Spari 10, 25
Sparti usus quando in Græcia cœperit 17, 3
Spatæ 10. 25
Specti, interrogandi casu 9, 14
Speusippus philosophus 3, 17
voluptas & dolor duo illi mala opposita, medium eorum bonum 9, 5
Spepondi, non, *spopondi*, dixere veteres 7, 9
Sponsaliorum sollemnia ex Servii Sulpicii sententia 4, 4
Sponsus, sponsa. *ibid.*
Sp. Carvilius Ruga primus divortium Romæ cum uxore fecit 4, 5
Squallere 2, 6
Squallor *ibid.*
Stadiorum in Græcia longitudo 1, 1
Stare pectus sentibus, apud Lucilium 8, 4
Stata forma quæ Ennio, *uxoria* Favorino dicta 5, 11
Stationes Romæ jus docentium 13, 13
Stellarum siderumque observatio liquide non constitit 14, 1
Stellarum non esse eam vim quam Chaldæi dicunt *ib.*
Stitisses, non *stetisses* legendum apud Catonem 2, 14
Stata 10, 25
Stoïci & peripatetici disputatio super vita beata 18, 1
Stoïcus verus ex Epicteti sententia 1, 2
Stolidi qui propriè 18, 4
Stomachi via, & quomodo cibi in eum descendant 17, 11
Stribligo 5, 20
Stupa 17, 3
Suadæ medulla 12, 2
Suavitudo & suavitas 13, 2
Sub corona venire 7, 4
Subducti supercilii carptores 19, 7
Subices 4, 17
Subnixoanimo, apud Q. Claudium 17, 6
Suboles 19, 12
Subsecivum studium & tumultuarium 13, 23
Subsecivum tempus 8, 10. 20, 11

Subsidio, in re militari 10, 9
Subsolanus ventus 2, 22
Succidaneæ hostæ 4, 6
Succenturiari 15, 8
Succidaneum tergum, apud Plautum 4, 6
Succidiæ 13, 23
Suculæ stellæ ubi in cœlo 13, 9
Sufferctus 4, 17
L. Sulla Felix consul 15, 18
L. Sulla Piræeum oppugnat 15, 1
P. Sulla reus M. Ciceroni mutuam dat pecuniam 12, 12
P. Sulla proferendi imperii titulum quæsivit 13. 14
P. Sulpicio Gallo quid P. Africanus Pauli F. objecerit 7, 12
Sulpicius Apollinaris 4, 17. 12, 13, 16. 16, 5. 18, 4
Summovere populum 13, 13
Summus tonus 13, 24
Sumptuariæ leges 2, 24
Supereſſe 1, 22
Sursum cur certiores ictus fiant si quid mittas, quàm deorsum 9, 1
Sus quid, & ut à *porcetra* differat 18, 6
Suspicioſus 9, 12
Susque deque 16, 9
Syllogismi definitio ut ab Aristotele posita est Latinè conversa 15, 25
Symbolæ 6, 13
Sympoſiacæ quæstiones 6, 1;

T.

Tabularum obsignatio 14, 2
Tænarus insula 6, 19
Talabarriones, apud Laberium 16, 7
Talenta Attica tria quot H S 3, 17
Talentum magnum 11, 10
Talionis pœna ex XII tabulis 20, 1
ad æstimationem judicis redigi solita *ibid.*
Tarquinius Superbus Romanorum rex 1, 19
Taurus philosophus quid A. Gellio responderit percunctanti an philosophus irascereturus 1, 26
A. Gellium convivio accipit 17, 8
stoïcorum hostis 12, 5
Taxare 2, 9
Tegmine onychino flumina, apud Levium 19, 7
Telorum vocabula 10, 11
Tempestas, anceps vocabulum 12, 9
Templum 14, 7
Tempore revelantur omnia 12, 11
Tentamenti gratia 9, 15
Ternio lunæ 1, 20
Terræmotus causa incerta 3, 28
feriæ ob terræmotum indictæ *ibid.*

Terrai, gignendi casu 13, 24
Terra movet 2, 28. 4, 6
Tertiumne consul an *tertio* dici oporteat 10, 1
Testamenti genera tria 15, 27
Testimonium adversus clientem nemo dicit 5, 13
Testimonii falsi convicti, de saxo Tarpejo dejiciebantur, ex XII tabulis 20, 1
Terentius quando floruerit 17, 21
Testium interceſſio 14, 2
Testor, communeverbum 15, 13
Thebani Lacedæmonios apud Leuctra quando superaverint 17, 21
Themistocles Athenienſium dux quando & ubi Xerxem devicerit 17, 21
Theodectes 10, 8
Theophrastus Peripateticus 1, 3. 8, 8. 16, 15
Theophrastus Aristotelis succeſſor 13, 5
Theopompus in Mausolæo certamine victor 10, 18
Theseum certamen 15, 20
Thracia Sithon dicta *ibid.*
Thracus homo 19, 12
Thucydides quo tempore floruerit, & qua ætate mortuus 15, 23
Tiberianæ domus bibliotheca 13, 18
Tiberius Cæsar consultus de civica corona 5, 6
Tibiæ cantus multis doloribus hominum leniendis adhibetur 4, 13
Tibiis uti quando Athenienses desierint 15, 17
Tiburtina bibliotheca in Herculis templo 19, 5
Timæus Græcè de rebus populi Romani scripsit 11, 1
Timarchus ab Æschine de impudicitia accusatus 18, 3
Timochares Pyrrhum veneno necare proponit: quod Niciam feciſſe vult Quadrigarius 3, 8
Timon amarulentus in Platonem invectus 3, 17
Timor cur sanguinem contrahat 19, 6
Tiro Tullius M Ciceronis libertus 4, 10. 7, 3. 13, 9. 15, 9
quæ in oratione M. Catonis, quam pro Rhodienſibus habuit, reprehenderit, & quomodo ad ea responsum 7, 3
Tis, generandi casu apud Plautum 20, 6
Titius Castricius 1, 6
Toga virorum Romanorum primus amictus 7, 12
Tollere, pro *corrigere* 1, 17
Tonus summus 13, 25
Tolosanum aurum 3, 9
L. Torquatus 1, 5
Manlii Torquati pugna cum Gallo, quæ illi cognomen dedit 9, 13
Tragula 10, 25

Tra-

Trajani templum 11, 17
Trajani forum 15, 25
Transalpibus 15, 30
Transgressum navium rectè dici apud Sallustium 10, 26
Tres & *trís* Virgilio 3, 19
Triangulæ metæ 1, 20
Tribuni militares quando consulari imperio Romæ 17, 21
Tribuni plebei & ædiles quando creati *ibid.*
Tribuni plebei quot? 17, 19
ad quid creati? 13, 12
prensionem, non etiam vocationem habent. *ibid.*
neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re possunt 15, 27
nullum eis diem Roma abesse licet 3, 2
Tribunicium decretum super L. Scipione Asiatico 7, 19
Tribus pro loco & pro hominibus 18, 7
Tributa comitia 17, 26
Tributus 13, 19
Trifaces 10, 25
Triquetra 1, 20
Trisecli senex Nestor, apud Levium 19, 7
Triticum an pluraliter dicatur 19, 8
Triumphalis corona 5, 6
Triumphus quo minus agatur quæ impediant 5, 6
Triumviri reipublicæ constituendæ 14, 7
Trusatiles molæ 3, 3
Tubicines 20, 2
C. Tuditani commentarii 13, 14
M. Tuditanus consul 1, 21
Tumultuarium studium 13, 23
Tunica muliebris 6, 10
Tunicæ virorum Romanorum 7, 12
Tunicis uti prolixis viro indecorum 7, 12
Turbulentus 11, 15
L. Turius 14, 2
Turres. in re militari 10, 9
Tutela pupillaris muliebri prælata 5, 13
Tutorum in pupillos potestas 5, 19
Tyros Sarra dicta 14, 6

V.

Vagire 16, 17
Valeri, in vocandi casu prima syllaba acuta 13, 25
Q. Valerius consul 17, 21
Valerius Probus grammaticus 4, 7. 9, 9
quodam loco apud Sallustium pro, *eloquentia*, *loquentia*, legit 1, 15
Vallum dentium 1, 15
Vant, propriè qui 18, 4
M. Varro & P. Nigidius Ciceroni Cæsarique coætanei 19, 14
Menippum in satiris æmulatus 2, 18
qua ratione usus sit in Plau-

ti comœdiis dignoscendis 3, 3
Varronianæ XXI Plauti comœdiæ appellatæ *ibid.*
libri ejus hebdomadum, quum proscriptus esset, direpta ipsius bibliotheca non comparuerunt 3, 10
ejus epistolæ ad Oppium quædam capita 14, 7
Cn. Pompejo commentarium Isagogicum dedit *ibid.*
in quibus tribus triumformarum orationis dicat esse exempla *ibid.*
Varro triumvir 13, 12
tribunus plebei *ibid.*
Vasum 13, 22
Vaticanus deus unde 16, 17
Ubera feminis ad quid à natura data 12, 1
Uberes formæ dicendi 7, 14
Ve, particulæ vis 5, 12. 26, 15
Vecors qua vi particulæ *ve* dicatur 5, 12
Vehemens 16, 5
Vehicula præbenda publicè conducta 15, 4
Vejovis quis deus; quid ei immoletur, quod ejus simulacrum 5, 12
Velia oppidum 10, 16
Velitari 6, 10
Velitatim 12, 15
Velius Longus 18, 9
Velocitatis singulariæ homines 9, 4
Vellicatim 12, 15
Vena quid, & ad quid exploretur? 18, 10
Venæ in hominibus septenario numero moventur 3, 10
Venam solvi militibus ignominiosum 10, 8
Venationis pugna in circo 5, 14
Venenum anceps vocabulum 12, 9
Venenum præsentarium 6, 4
Veneror, commune verbum 15, 13
Venia quando deprecanda 11, 8
Venter timore repentino cur effluat 19, 4
Ventidius Bassus humili loco natus tribunus plebei prætor & consul, pontifexque maximus, qui à M. Antonio hostis judicatus primus de Parthis triumphavit 15, 4
Ventorum varia nomina, unde singuli veniant, variæque de eorum numero opiniones 2, 22
Verant, apud Ennium 18, 2
Verba communia 15, 13
Verba dedit, apud Q. Claudium 17, 2
Verba nova etiam prisca dici 11, 17

Verba nova fugienda *ibidem*
Verba prisca & insolentia fugienda 1, 10. 11, 17
Verba quæ in utramque partem significatione reciproca dicuntur 9, 12
Verba vetera longa ætate oblitterantur 26, 1
Verbis pluribus idem significantibus quem in modum utendum & ad quid; eamque in rem testimonia auctorum plurima 13, 24
P. Virgilius multæ antiquitatis 5, 12
ritu ursino versus peperit 17, 11
Æneida nondum limatam comburi voluit, in qua multa corrigenda *ibid.*
non bene è Pindaro flagrantiam Ætnæ expressit 17, 10
quos versus Parthenii ac Homeri imitatus sit 13, 26
Lucretium etiam imitatus 1, 21
quibus verbis abjectè & ignaviter usus dicatur; & quid illis, qui hoc dicunt, respondendum 2, 6
quibus versibus civilem diem designaverit 3, 2
ut Græcos poëtas Latinè expresserit 9, 9
nequidquam ab Annæo Cornuto reprehensus 9, 10
contra Higinum ab errore defensus 5, 8. 6, 6
Nolam cur è versibus suis exemerit 7, 20.
quos versus Homeri bene, quos malè vertisse existimatus sit 9, 9
frustra eum Seneca reprehendit 12, 2
duplex apud eum lectio 4, 1
quos ejus errores Higinus notaverit 10, 16
Veritas temporis filia 12, 11
Verrii Flacci error 16, 14 17, 6
Verruca quid Catoni 3, 6
Versus singula vocabula singulis syllabis increscens 14, 6
Vertenda Græca Latinè quomodo? 9, 9
Veruta 10, 25
L. Verutius 20, 1
Vescus 16, 5
Vestalis qualis esse debeat, quibus rebus à sacerdotio excusetur, quo jure sit simul atque capta est; rituque capiendi, & cur capi dicatur: verba item sollemnia pontificis maximi eam capientis 1, 12
Vestalis prima à rege Numa capta *ibid.*
Vestalis virgo cur *Ama-*

ta vocetur à pontifice 1, 12
Vestibulum quid, & unde? 16, 5
Vestibulum inferni, apud Virgilium 16, 5
Vesticeps 5, 19
Vestrorum, pro, *vestrûm* apud Plautum 20, 6
Veteres propriè & integrè loquuti 7, 12
Vexare, grave verbum 2, 2
Via Laurentina 10, 3
Viaticum, pro facultate & paratu magno 17, 2
Viator in carcerem ducit 4, 10
Viatores magistratuum licio transverso cincti 12, 3
Vicem 10, 3
Victoria impulverea 4, 15
Victoria præpes 6, 6
Victoriæ ædes à Cn. Pompejo dedicata 10, 1
Victoriosus 4, 9
Victu, donandi casu 4, 16
Videndi rationes variæ secundùm varios philosophos 5, 6
Vieta poma 13, 3
Vindicia quid; & ut olim fieret 20, 10
Vini genera tria 13, 29
Vinum ut sumendum, & ad quid, secundùm Platonem 15, 2
Vinum apud antiquos in convivio quare 17, 20
Vinum mulieribus Romanis ad quid interdictum? 10, 22
Vinum cur rarius congelascat 17, 8
Vinum eructum 11, 7
Vinum Lesbium; item Rhodium 13, 5
Vinolentus, & id genus nomina quo in significatu dicantur 11, 15
Viperarum morsibus tibiæ cantum mederi 4, 13
Vir mulieri judex 10, 23
Vir uxorem in adulterio deprehensam impunè occidit; contrà uxor virum etiam deprehensum ne contingere quidem potest 10, 23
Virescere 8, 11
Virgis cædi viris honestis civibusque Romanis indignum 10, 3
Viri Romæ per Castorem jurarunt 11, 6
Viri illustres qui floruerint post Romam conditam ante secundum bellum Karthaginiensium 17, 21
Virtutum æquiparatio etiam speciem simulationis creat 14, 13
Vita humana ferro similis *ibid.*
Vitam beatam quid efficiat 11, 2
Vita quæ duo maxima Epicteto 17, 19
Vitium quid, & ut à morbo diffe-

differat in edicto ædilium curulium 4, 2
Vivaria quo nomine veteres appellaverunt? 2, 20
Ultra, veteribus *uls* 12, 13
Ulysses apud Homerum non ex gutture, sed ex pectore vocem mittit 1, 15
Umbri quid *diem* appellaverint 3, 2
Undarum motus cur alio modo aquilonibus, alio modo austris flantibus fiant 2, 30
Undiquevorsum 7, 16
Vocandi casus nomina, ut, *Valeri*, ubi acuenda 1, 24
Vocationem qui habeant 13, 2
Vocationem tribunus plebei non habet, sed prensionem 13, 12
Voces etiam petulantiores Romæ pœnitæ 10, 6
Voconium plebiscitum de coërcendis mulierum hereditatibus 28, 1
Voculatio Nigidio quid 13, 25
Voculationes 13, 6
Vocum notæ *ibid*
Volcani area 4, 5
Voluntas an pœnienda 7, 3
Volup 12, 4
Voluptas quid sit, philosophorum variæ opiniones 4, 5. 12, 5
Voluptatis definitio secundum Epicurum 2, 6
Voluptates fœdæ, quæque nobis cum belluis communes 19, 2
Vox, corpusne sit, an ἀσώματον, diversæ diversorum philosophorum sententiæ 5, 15
Urbanorum prædiorum magni reditus 14, 1
Urbes & *Urbis*, Virgilio 13, 19
Urinam cur ignis lacessat 19, 4
Usucapio copulatè dicta 7, 10
ut Usurpetur mulier quamdiu ex XII tabulis viro abesse debeat 3, 2
Utor, commune verbum 15, 13
Vulcatii Sedigiti de poëtis Latinis judicium 15, 24

X.

Xenophon an æmulus Platonis fuerit 4, 11
Xerxes quando Themistocle duce ab Atheniensibus fuerit victus 17, 21
Xerxes libros publicos Athenis asportat in Persas 6, 17

Z.

Zeno Citiensis & Epicurus Athenienſis, philoſophi celebres erant quando bellum cum rege Pyrrho à Romanis ſumptum eſt 17, 21
Zeno cenſuit voluptatem eſſe indifferens 9, 5
ad Zenonis ſcripta refellenda quanta cura quantoque apparatu aggreſſus ſit Carneades 17, 15
Zephyrus ventus 2, 22
Zodiacus 3, 10
Zonæ plenæ argenti 15, 12

INDEX
GRAECARUM VOCUM
Quæ his Gellii libris ſunt inſertæ.

*

Αἰγεῖον 18, 10
ἀγόραιοι homines 17, 3
ἀδιάφορον 2, 7
ἀδιαφορεῖν 16, 9
ἁδρὸν dicendi genus 7, 14
ἄδοξοι ὑποθέσεις 17, 12
αἴγλης athleta quidam Samius 5, 9
αἴθοπα οἶνον cur dixerit Homerus 17, 8
αἰθρηγενέτης βορέης 2, 22
αἰσχύνη 19, 6
ἀκαλύφη 4, 11
ἀκόλαστος 7, 11
ἀκουστικοὶ 1, 9
ἀκρατὴς 19, 2
ἀκροατικὰ & ἐξωτερικὰ 20, 5
ἀκροατικαὶ diſciplinæ ibid.
ἅμαξαι 2, 21
ἀμετροεπὴς 1, 15
ἀμπελῶνες 2, 20
ἀμφισβητούμενον ἀντὶ ὁμολογουμένου 17, 5
ἀναλγησία 12, 5
ἀναλογία 2, 25
ἀνανεοῦσθαι 15, 25
ἀνατομαὶ 10, 10
ἀναψύξαι 13, 29
ἀνέχου καὶ ἀπέχου 17, 19
ἀντιστρέφοντα argumenta 5, 10. 9, 16
ἀνωμαλία 2, 25
ἀξίωμα 16, 8
ἀοργησία καὶ ἀναλγησία 1, 26
ἀπάθεια 19, 12. 12, 5
ἀπαρέμφατον 1, 7
ἀπαρκτίας 2, 22
ἀπηλιώτης ibid.
ἀποπροηγούμενα 12, 5
ἀπορητικοὶ 11, 5
ἄπορον 9, 15
ἀργέστης 2, 22
ἄρκτος 2, 21
ἀσώματον 5, 15
ἄσωτος 7, 11
αὐτόματος θάνατος 1, 31
ἀχρεῖος 7, 11

Β.

Βάρβαρον 6, 20
βαστάζοντες 5, 3
βούλιμος 16, 3
βοώτης 2, 21

Γ.

Γλαυκῶπις Lat. Cæſia 2, 26

γραμ-

γραμμὴ Euclidi, quid 1, 20

Δ.

Δαφνῶνες 2, 20
δειλινὸς περίπατος 20, 5
δημαγωγοὶ 3, 13
δημηγορίας 18, 7
ἡ διὰ τεσσάρων συμφωνία 3, 10
διεζευγμένον ἀξίωμα 16, 8
οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται 1, 18
δυσχερές 4, 15

Ε.

Ἑβδομὰς 3, 10
εἰς τετάρτην 10, 24
εἰσαγωγαὶ 16, 8
ἐκεχειρία 1, 25
ἐνθυμήματα 6, 13
ἡ ἐξαίφνης φύσις ibid.
ἐξωμίδες 7, 11
ἐξωτερικὰ & ἀκροατικὰ 20, 5
ἐξωτερικαὶ disciplinæ ibid.
ἐπιγλωττὶς 17, 11
ἐφημερὶς 5, 18
ἐπιμελοῦμαι ὑμῶν 20, 6
ἐπίκοινον 13, 7
ἐπίτασις 7, 7
ἐρυθρὸς 2, 26
εὐρόνοτος 2, 22
ἐφεκτικοὶ 10, 5
ἐφόδιον 17, 2
ἐχεμυθία 1, 9
ἑωθινὸς περίπατος 20, 5

Ζ.

Ζέφυρος 2, 22

Θ.

Θάλασσα ἡ εἴσω 10, 7

Ι.

Ἰάπυξ 2, 2
ἰσοκατάληκτα 18, 8
ἰσονύκτιος aut ἰσημερινὸς circulus 2, 22
ἱστόποδες 10, 25
ἰσχνὸν dicendi genus 7, 14

Κ.

Καθήκοντα 1, 13
κακότροπος 7, 11
κανονικὴ 16, 18
κήδομαι ὑμῶν 20, 6
κλέπτης 1, 18
κλίμακες 10, 15
κλιμακτερικὸς 15, 7
κιρρὸς οἶνος 13, 29
κοιλία ἡ κάτω 1, 18
κοινόβιον 1, 10
κόλασις 6, 14
κρηπῖδες 13, 20
κρικωτὴ σφαῖρα 3, 10
κριτικοὶ vel κρίσιμοι dies medicis ibid.
κρύσταλλος 19, 4
κύαμος 4, 11
κύβος 1, 20

Λ.

Λαγωὸς 1, 18
λάλοι 1, 15
λίψ 2, 22

M. Ma-

M.

Μαθήματα 1, 9. 14, 3
μαθηματικοὶ 1, 9
μελαγχολία 18, 7
μελισσωνες 2, 20
μέλος 16, 18
μέσα, quæ & ἀδιάφορα 2, 7
μέσον dicendi genus 7, 14
μετρικὴ 16, 18
μετριότης 1, 26
μιαρὸς 7, 11
μοῖρα πεπρωμένη καὶ εἱμαρμένη 6, 3
μοχθηροὶ 18, 4
μύρον τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ 13, 27
μύωψ 4, 2

N.

Νάνος 19, 13
νοτὶς humor 2, 22
νότος Lat. Auster. ibid.
νωθεσία 6, 14
νωδὸς 4, 2

Ξ.

Ξανθὸς color, item πυῤῥὸς, & ἐρυθρὸς 2, 26

O.

Ὁδοῦ πάρεργον 17, 20
ὁμοιοτέλευτα καὶ ὁμοιόπτωτα 18, 8
ἀντὶ ὁμολογουμένου τὸ ἀμφισβητούμενον 17, 5
ὀπτικὴ 16, 18
ὁρισμοὶ 1, 25
οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθι ὁ πλοῦς 1, 8
ὀψιμαθία 11, 7

Π.

Πάθη 1, 26. 19, 12
παιδεία 13, 15
παραγωγαὶ 11, 15
παράδειγμα 6, 14
παράδειγοι 2, 20
παραδιεζευγμένον ἀξίωμα 16, 8
παρακείμενος 11, 9
παραιτοῦμαι 6, 16
κατὰ παρακοούθησιν 6, 1
πάρισα 8, 18
πέμματα quæ & τραγήματα 13, 11
περιεῖναι 1, 22
περίπατος δειλινὸς & ἑωθινὸς 20, 5
περιπλόμενος ἐνιαυτὸς 3, 16

P.

Ῥυθμὸς 16, 18

Σ.

Σκεπτικοὶ 11, 5
σόλοικον 5, 20
σπάδιξ 3, 9
σπαρτοι 17, 3
σπεῦδε βραδέως 10, 20
στέρησις 16, 26
στερητικὸν μόριον 5, 12
συγκαταθέσεις 12, 2
συμπεπλεγμένον ἀξίωμα 16, 8

συμ-

συμφωνία ἡ διὰ τεσσάρων 3, 10
συνάγχη, synanche 11, 9
συνημμένον ἀξίωμα 16, 8
σφυγμὸς 18, 10
σχήματα, ἐπίπεδον καὶ στερεὸν 1, 20

Τ.

Τανυπτέρυγες 6, 6
τεχνικοὶ 17, 5
τεχνῖται οἱ περὶ τὸν Διόνυσον 20, 4
τιμωρία 6, 14
τραγήματα 6, 13. 13, 11
τραχεῖα ἀρτηρία 17, 11
τριὰς 1, 20
τροπαὶ θεριναὶ καὶ χειμεριναὶ 2, 22
τόποι 1, 25
τυφῶνες 19, 1

Υ.

Ὑγιὲς νόμιμον διεζευγμένον 2, 7
ὑάδες 13, 9
ὕπνος ibid.
ὑπογραφαὶ 2, 25
ὕπτιος 13, 9
ὑφορβὸς ibid.

Φ.

Φαντασίας 11, 5, 19, 1
φθίσις, phthisis 4, 2
φιλανθρωπία 13, 15
φοινικὸς, vel potius φοινικοῦς 2, 26
φοῖνιξ 3, 9
φορτικοὶ 18, 4
φρέαρ 1, 18
φυσικοὶ 1, 9
φῶρ 1, 18

Χ.

Χαλεπὸν 4, 15
χαρακτῆρες 7, 14
χειμεριναὶ τροπαὶ 2, 22
χειριδωτοὶ tunicæ, à Lat. dictæ Chiridotæ 7, 12

FINIS.

JOANNIS FREDERICI GRONOVII

Notæ & Emendationes

IN

AULUM GELLIUM.

JOANNIS FREDERICI GRONOVII NOTAE ET EMENDATIONES IN AULUM GELLIUM.

IN PRAEFATIONEM.

Atqui jucundiora alia reperiri queunt. ipse autem ad hoc scripsi] Hæc & quæ sequuntur, usque ad summas capitum uniuscujusque libri antehac in fine totius operis adhæserant. At eam præfationem esse demonstrat & locus, quem obtinet in scripto Regio, & res ipsa clamat, ut docuit Salmasius in Prolegomenis ad Solinum. Animadvertit hoc quoque nescio an non prior Erycius Puteanus Apparatus Epistolarum centuria 1 epist. 45. Subscribunt membranæ Rottendorfiæ, idem principium Noctium Atticarum facientes. Uterque autem codex: *Jucundiora alia reperiri queunt. ad hoc ut liberis quoque meis paratæ* (Reg. *partæ*) *istiusmodi remissiones essent.* Salmasius ubi tradit, quemadmodum ex vetusto codice legendum sit, de posterioribus solum *autem* expunxit; credo, quod τὸ *ipse scripsi*, quæ tamen etiam, ut dixi, in ambabus membranis desiderantur, ad sensum implendum necessaria judicaret. Ego vero & in Chartaceo veteri, qui cum vulgatis hæc ad calcem rejecisset, inveni: *Atqui jucundiora alia reperiri queunt. ad hoc ut liberis.* Et sane τὸ *Atqui* ἐκὼν ἀέκοντι ξυμῷ omisi, quippe quod interdum & exordium sermonis ornet. Sic Appulejus incipit Milesias: *At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram.* Ubi male mutarunt. Virgilius secundo Æneid. *At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis.* Ovidius tertio Fastorum: *At quam sunt simi-*

similes, at quam formosus uterque! Et in Epistola Medeæ: *At tibi Colchorum, memini, regina vacavi.* Ubi & ὁ πάνυ Nic. Heinsius particulæ istius vim animadvertit. Tale principium Hippodromi est Sophistæ, quod & Megistias audiens & narrans Philostratus admirati sunt: Ἀλλ' ἐμνησθόν γε δύναμις. Hæc autem etiam quasi indignatio lectoris est: cui potuit respondisse auctor pari brevitate: *Atqui jucundiora alia reperiri queunt. At hæc, ut liberis quoque meis.* Juxta enim commode intelligas in his, *à me reperta sunt*, atque à principio, *Exspecto ut lector dicat.* Plautus Cistellar. *At pol ille à quadam muliere, si eam monstret, gratiam ineat.* LA. *At sic ille quidam volt dari mercedem.* Mercatore: *At ego, si velim, jam dantur septem & viginti minæ.* De. *At ego.*

Indistinctè atque promisce] Sic Rot. & in sequentibus libris *promisca, promiscam, promisce*, tanto consensu membranæ, ut diffidere nequeas. Nimirum pronuntiatio contraxit duas syllabas, primum ut quasi *promisquus* dicerent, quemadmodum *arquatus* pro *arcuatus*: postea & *promiscus*, ut *cocus, præcocis, cotidie.* Sic Lucretius *vacefit*, pro *vaquefit*, ex *vacuefit.* Nam *miscus* ab initio dixisse non magis credo quam *mutus* pro *mutuus* à *muto*, *continus* pro *continuus* à *contineo*: etsi serior ætas audacius *continari* pro *continuari* fecerit, ut & *vacum* pro *vacuo*: sed *miscuus, misquus, miscus, misculus, miscellus.*

Annotationibus, tractationibus lectionibusque variis] Satis hoc absonum atque abhorrens: *annotationes facere annotationibus.* Itaque H. Stephanus *observationibus* subjicit. Duo optimi Regius & Rottendorfius, *incondite eruditionibus lectionibusque variis.* sine τῶ *tractationibus.* Atque etsi insolentior videatur vox *eruditiones*, exstat tamen & apud Vitruvium lib. 1 cap. 1. *Architectura est scientia pluribus disciplinis & variis eruditionibus ornata.* Et ibidem: *Disciplina condecorata & abundans eruditionibus variis ac pluribus.* Item: *qui à teneris ætatibus eruditionibus variis instruuntur.* Sed nondum salva res est. Quam enim belle cadit *annotationes facere eruditionibus lectionibusque?* Si nihil aliud, præpositio desideratur. Denique scripsisse auctorem censeo: *quæ fuit in illis annotationibus pristinis, quas breviter & indigeste & incondite ex auditionibus lectionibusque variis feceramus.* Meminerat enim se supra dixisse; *proinde ut librum quemque in manus ceperam seu Græcum seu Latinum, vel quid memoratu dignum audieram.* Ideo nunc repetit *auditiones & lectiones.* Lib. 9, 4. *in istiusmodi rerum auditiones.* Lib. 20, 4. ἐξωτερικὰς *auditiones* Lib. 14, 1. Et per omne opus satis est utrasque agnoscere.

Ille Κηλέου, *alius* Κέρως Ἀμαλθείας] Legendum ex regio, ut præcepit Salmasius: *ille* Πίπλου, *hic* Ἀμαλθείας Κέρως, *alius* Κηλέα,

Κηρία, *partim* Λειμῶνας. Habes eosdem indices in præfatione historiæ naturalis apud Plinium. Nam *partim* est quidam, ut passim nostro. Sic 2, 22. 5, 6. 7, 3. Plinius: *Inscriptionis apud Græcos mira felicitas.* Κηρίον *inscripsere, quod volebant intelligi favum. alii* Κέρως Ἀμαλθείας, *quod Copiæ cornu, ut vel lactis gallinacei exspectare possis in volumine haustum. Jam Musæ,* Παιδέκ, Ἐγχειρίδια, Λειμών, Πίναξ, Σχέδιον, *inscriptiones, propter quas vadimonium.* Quibus ad Solinum acquievit Salmasius, sed ad Simplicium mavult Καίρια, quia MS. Καιβια.

Atque alius Πινακίδιον, *& item alius* Ἐγχειρίδιον, &c. *de natura humana*] Pro his omnibus regius: *Atque alius* Ἀνθηρῶν, *alius* Εὐρημάτων· *sunt etiam qui* Λυχνοὺς *inscripserunt: sunt item qui* Στεφανικούς. *Sunt adeo qui* Παιδείας, *&* Ἑλικῶνα, *&* Περβλήματα, *&* Ἐγχειρίδια, *&* Παροξυϊδίας.

Est qui Memoriales titulos fecerit] Merito his offensus Stephanus correxit, *Memorialia titulum.* Sed sufficiebat posterius, & id Regius confirmat. Cogitabat autem *Memorialia* Massurii Sabini, quæ & in Digestis juris civilis & apud nostrum appellantur. Sed Gellio Macrobioque constanter ea *Memorabilium* inscribi, & quod in nuperis A. Gellii editionibus id mutatum est, contra scriptorum, quos viderit antiquissimos, auctoritatem factum contendit Casaubonus ad Suetonii Julium. Haud dubiè manum adierunt summo viro, quos putavit antiquissimos. Nam & Regius Rottendorfiusque lib. 4, 20 *in septimo memoriali* & lib. 5, 6 *in undecimo librorum memorialium*: & ne nuper demum *Memorabilium* in editis mutatum putes, prima omnium editio 1474 Romæ Sueinhemo & Panartio auctoribus lib. 4, 20 *in septimo memorali*: lib. 5, 6 *in XI librorum memoralium*; lib. 6, 7 *in primo memoralium*, exhibent. *Memoriales* autem dixit, ut *Annales*: & plenius *Memoriales libri*, quemadmodum Atejum Capitonem *in libris conjectaneis* advocat Nonius, quæ nostro & aliis *Conjectanea.*

Est qui Studiosorum & De ridiculis περὶ παιδιᾶς ἱστορίας] Ne hæc quidem ἀμύμων ille Regius, sed loco illorum: *Est qui* Παγκρατικῆς, *&* Πάρεργα, *&* Διδασκαλικῆς.

Est qui βιβλιοθήκαν] Reg. *est* Παιδαγωγικῆς ἱστορίας. Interponendum τὸ *qui*, ut fecit Salmasius.

Est præterea qui Pratum] Quod *Pratum* inter Latinas refert inscriptiones, puto esse interpretationem Græcæ Λειμών, inquit Salmasius.

Est item qui Ἐπαφίδων· *est qui scripsit* Συγγραφῶν] Mirifice sudat in his optimus Stephanus, sed frustra. non sunt enim Gellii, sed ex Plinio transcripta, ut apparet è Regio, qui vicem eorum: *Est itidem, qui* Πάγκαρπον, *est qui* τὸ Πᾶν *scripsit.*

Unde Salmasius, *qui* Τόπων. Ad τὸ *scripsit* intellige ex superioribus *titulum*. Sic minuitur quæstio, an *scripsit* pro *inscripsit* dicere potuerit auctor.

Neque item desunt] Uterque cum Chartaceo: *Neque item non sunt*.

Aut Epistolicarum quæstionum] Lipsius, *epistolarum quæsitiorum*, 2 Elect. 4. sed qui uteretur exemplari, in quo superius habebatur: *de natura humana & epistolicarum quæstionum*. Quæ verba cum jam virtute vett. libb. sublata sint, nihil impedit, quo minus maneat, quod illi hic sanciunt, *Epistolicarum Quæstionum*.

Multasque prorsus concinnitates] Uterque *prorsum*.

Illud Heracliti Ephesii viri summè nobilis] In Regio non apparet nomen Philosophi. Et poterat profecto abesse. Sed Rottend. plane: *illud eracliti*.

Introite, nam & hic dii sunt] Sic suppleverunt ætate avorum nostrorum aut proavorum ex Aristotelis lib. 1 cap. 5 de partibus animalium. nam prima editio pro his verbis habet spatium vacuum; chartaceus nil nisi *G* ut solet, Græca desiderari significans. Laus hujus loci restituti Salmasio debetur, neque ab eo averti potest. Is primus è Regio codice produxit: Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει· & quidem loco tam illustri, ut mirum sit inventos, qui laureolam in hoc mustaceo. Nisi quod addiderunt apud Julianum τὴν παραβάτην, Diogenem Laërtium, Athenæum, Clementem Alexandrinum id Heracliti dictum quoque exstare. Sed, inquit Crojus 4 Observ. mens Agellii postulat, ut ex Heracliti verbis tollatur negatio, atque ut ita legantur: Πολυμαθίη νόον διδάσκει· Ita ut quod negavit Heraclitus, affirmet Agellius: alioqui quomodo quave ratione testaretur, se in variorum librorum lectione plurimum temporis impendisse? Credo, si stitisset ibi auctor, nec statim subjecisset: *sed modica ex iis eaque sola accepi*, & quæ sequuntur proprie illi dicto respondentia & exponentia id, quod in se agnoscit Heracliti sententiæ simile. Memor illius, multa scire non facere meliores, legi quidem multos, sed non multa ex illis ad me pertinere putavi, dignaque habui, quæ memoria tenere ac scire me postularem. Præterea Heracliti dictum tot auctoribus est ἀρνητικὸν· quod si invertere & contrarium illi pronuntiare voluisset auctor, non dixisset *cum illud dictum cordi haberem*, sed potius, *cum sentirem secus atque Heraclitus*: *cum mihi videretur* Πολυμαθίη νόον διδάσκειν *contra atque Heraclitus sensit*. Nam dicere se cordi habere alicujus monitum, & ei contrarium monito facere ipsum mentiri est.

Super augurio jure & pontificio] Sic MSS. & rectè Stephanus edi-

edidit, cum legeretur, *super augurio & jure pontificio.* Quis igitur locus conjecturis, *super augurum jure*, & *augurali jure?* Lib. 6, 6. *cum de jure augurio quæreretur.* Apud Ciceronem quoque de Senectute cap. 4. *quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? scientia juris augurii?* libri veteres, ubi vulgo fecerant *auguraudi.* Sed Car. Langius distinguit: *scientia juris? augurii?* Adversus quem disputat Gifanius Ind. Luc. in *Clarere.* Lib. 3 famil. 9. *ipsam cognitionem juris augurii consequi cupio.* Sic ediderunt Victorius & ex illo Gruterus: sic ego quoque in optimæ notæ codicibus legi notavi: etsi dissimulet Manutius.

Minutæ istæ admonitiones pauxillulæ] Et Regia & Rottendorfia membranæ, *admonitiones epauxillulæ.* Nemo non viderit legendum, *& pauxillulæ.*

Vel ad alendum studium inhonestæ] Sic à Carrione opinor Stephanus, qui & alios legere notat *ineptæ.* Prima editio & aliæ superiores *honestæ.* Reg. *vesce.* Rot. plane *vescae* quæ vera omnino & docta scriptura est. Nam *vescum* aridum, tenue, exsuccum, macilentum, eoque ad alendum minimè idoneum. Sic Virgilius 3 Georg. *vescas salicum frondes*, Servio *teneras & exiles. nam vescum apud antiquos significabat macrum*, & *quod quasi escam non reciperet.* Sequitur ut nec præbere multum possit. Festus: *Vesculi, male curati & graciles homines.*

Ad oblectandum frigidæ fovendumque animum] Tres codices: *ad oblectandum fovendumque animum frigidæ.*

Aut delectantior motio aut in ludo] Sic edebatur, cum Stephanus fecit, quod & prima habet editio, *delectatior motio*: fatetur tamen neutram sibi vocem satisfacere, seque malle, *delicatior notio.* Philippus Rubenius 2 Elect. 22 *delectantior in otio*: quod ipsum & ab se & ex cod. Vat. laudat Rutgersius 4 Var. 11. Joh. Isac. Pontanus ad Macrobium, *delectatior in otio.* Chartaceus, *delectatior motio*: Reg. & Rottend. *delectatior in otio atque in.* Scribe: *aut sermo incorruptior, aut delectatio in otio atque in ludo liberalior.* Lib. 3, 15. *in osculis atque in manibus filiorum.*

Sed tractationes rerum] Chartaceus & prima editio *tractiones.* Reg. & Rot. *sed & rationes rerum & auctoritates hominum.* Præclare. Idque conjecerat Antonius Thysius.

Disceptationibusque percunctando scribendo, elimati sunt] Hoc à Carrione. Scripti, ut prima & aliæ editiones: *disceptationibusque elimati sunt, sed intemperiarum negotiorumque pleni sunt, abeant percontando scribendo à noctibus his procul.* Prius *sunt* videtur exterendum. De reliquo possis suspicari alterum verbum excidisse supra, & cum ad marginem relatum esset una cum sequenti proximo verbo, utrumque à succedente librario in locum non suum fuisse additum. Foret enim non male: *qui in*

lectitando, percontando, scribendo, commentando, nunquam voluptates, nunquam labores ceperunt.

Mutuabor ex Aristophanis Choro anapæsta pauca] Egregie sic restituit P. Victorius 17 Var. Lect. 4. cum legeretur *coronopesta*. Et eo ducunt Reg. qui *choronapesta*, & Rot. qui *choroapesta*. Sed ambo cum Chartaceo habent *Aristophane*. Scribe: *ex Aristophani choro*. Sic amat noster *Sophocli*, *Euripidi*, *Empedocli*, *Socrati*, patrio casu. Nisi malumus *Aristophanæ*, ut 14, 1 *Socratæ & Antisthenæ*. & ibid. c. 6 *Hippocratæ*, licet alio ista casu.

Η γνώμη μὴ καθαρεύοι] Tres hos versus de conjectura interposuit Victorius; utrum plures apponi debeant, an tribus his contentus fuerit auctor, adfirmare non ausus. Docte simul & modeste. Regius & hos ipsos habet versus, & præterea tres alios juxta opportunos: sed & in utrisque aliquid à vulgatis diversum, quod non temere incidisse videtur. Est enim illic, μὴ καθαρεύει, ut & apud Plutarchum Πότερον Αθηναῖοι, & μήτ' εἶδεν μήτ' ἐχόρευσε, ubi Plutarchus μήτ' ᾖσε μήτ' ἐχόρευσε. Subjiciuntur:

Τούτοις αὐδῶ, κ' αὖθις ἀπαυδῶ, κ' αὖθις τὸ τρίτον μαλ' ἀπαυδῶ
Εξίστασθ' τοῖσι χοροῖς, ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπήν
Καὶ παννυχίδας τὰς ἡμετέρας, αἳ τῇδε πρέπουσιν ἑορτῇ.

Primus versus hic integrior quam apud auctorem suum: desunt enim illic τὸ τρίτον, eoque labant pedes. Sed in secundo versu rectius μύσταισι χοροῖς & ob elegantiam sermonis & propter metrum.

Subseciva & subsecundaria tempora] Suspicari possis posterius *sub* imprudentia librarii repetitum, cum scripsisset auctor: *subseciva & secundaria tempora*.

Quantumque à cura publica & à re familiari] Scripti *curæ* isti *publicæ* gratiam faciunt. Chartaceus, *quantumque acuens à re familiari*. Rotten. *quantumque ad venda re familiari*. Regius, *quantumque à tuenda re familiari*, ut beneficio Carrionis edidit Stephanus. Mox Reg. & Rot. *Progredietur ergo*.

Memoriarum disceptatiunculas] Reg. & Rot. *delectatiunculas*.

Neque longiora mihi dari spatia vivendi volo] Rot. nescit τὰ *mihi dari*.

Quod quove in libro quæri invenirique possit] Alii, *quid quoque*. Magis antiqui moris, in quod consentiunt MSS. & prima editio: *quid quo in libro*. Atque his verbis subnexuisse auctorem in fronte operis summas capitum quis non intelligit? Crojus tamen hunc indicem non in principio librorum, ut Plinius ac Solinus, sed ad eorum finem adscripsisse eum, quicquid alii sentiant,

riant, pluribus se probare argumentis ex verbis ipsis Agellii collectis posse gloriatur. Nempe qualibus probavit ex Heracliti verbis inficiationem tollendam. Potissimum ex iis fuit opinor, quod paullo superius legitur, *volumina commentariorum ad hunc diem viginti jam sibi facta.* Sed huic jam occurrit Salmasius, absolutis demum commentariis, ut moris est, præfationem scriptam. Demus igitur manum rebus ipsis & optimorum codicum auctoritati.

Ad Lib. I.

Cap. 1. *Quem scribit, ὁπόση ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀνθρώποις ἐστὶ εὐφυΐα καὶ ἀρετὴ διαφορά.*] Carrio quæ in Busslid. loco Græcorum hic mere Latina, & quidem longe alio sensu, reperit, exposuit timide 3 Ant. L. 17. Ad Sallustii fragmenta, quum notasset eadem in Parisiensi, confidentior vetuit homines ineptissimos veterem scripturam à se primo assertam irridere. Ut vero in rem præsentem venit, ipsumque auctorem recensuit, non potuit quin labasceret, & licet quatuor scriptis codicibus in summa re consentientibus, ob leviculam varietatem, non auctoris, sed nescio cujus ea vetusti literatoris esse decerneret. Ego quatuor istis addo quatuor, in quorum uno est, *Plutarchus in libro, quem de Herculis, quantum inter homines fuit, animi corporisque ingenio atque virtutibus conscripsit*: in altero: *Plutarchus in libro, quem scribit de Herculis genealogia, quantum inter homines fuit, animi corporisque ingenio*: in tertio, *Plut. in lib. quem de Hercule scribit, quantum inter homines animi corporisque ingenio atque virtutibus interfit conscripsit*, rite: in quarto, *quem scribit G. quantum inter homines*, &c. Non temere est conspirare tot codices, & in his valde bonos. Et quæ varietas est, ea mihi confirmat ab auctore hæc verba, ut sana sunt, profecta esse, & captum librariorum literatorumque ante quadringentos annos excessisse. Sunt autem vel, ut primo loco ex Rottendorfiano ea posui, vel ut in binis apud Carrionem est, *de Herculis quali inter homines fuerit animi corporisque ingenio.* Sermo uterque non publici saporis, & prorsus decens nostrum, tum ista, tum qua parte *animi corporisque ingenio* legis Alterum est veteris Poëtæ apud Ciceronem 1 de Inventione: *Nam si veretur, quid eum accuses, qui est probus? Sin inverecundum animi ingenium possidet, Quid eum accusas qui id parvi autitu æstimet?* Alterum habet Sallustius in oratione Cottæ: *Atque ego, cujus ætati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur; neque mox ingenio corporis honestius quam pro vestra sa-*

lute finem vitæ fecerim. Quæ Salluſtii videtur etiam ob oculos habuiſſe Appulejus, cum ſcriberet de dogmate Platonis: *Adhæc ei* (mundo) *attributa eſt perpetua juventus & inviolata valetudo: eoque nihil præterea extrinſecus eſt relictum, quod corrumpere poſſet ejus ingenium.* Ipſe hoc libro cap. 9. *conjectatione quadam de oris & vultus ingenio.* Super omnia notandum, ubi vulgo legebatur, *longitudiniſque Herculis præſtantia*, omnes omnino ſcriptos, etiam Carrione teſte, & primam editionem pro *Herculis* præferre *ejus*; in quo ille multa & inania verba profundit: ſed id argumentum certum eſt in ſuperioribus verbis hujus ipſius capitis, non lemmatis tantùm, factam mentionem Herculis.

Cap. 2. *Longis ambulacris & mollibus*] Sic Plinio lib. 2 epiſt. 3 *illa mollis & tamen ſolida geſtatio.*

Ædium poſticum refrigerantibus] Utrum *ambulacris* an *lavacris?* dein quare *poſticam* potius quam alias partes? Ocius ſcribe ex Fulviano & Rot. *ædium poſitu refrigeranti.* Ovidius 4 Faſtor. *Trinacris à poſitu nomen adepta loci.* Tacitus 4 ann. *Dalmatiam, quæ poſitu regionis à tergo illis.* Et alludunt huc Carrionis codicum ludibria, *poſiticum refrigerantis* & *poſticum refrigeranti* & *poſt refrigerandi.* Lincolnienſis quoque ac Schefferi, *refigeranti.*

Aquis undique canoris atque avibus] Lipſius diſtinguit, *aquis undique, canoris atque avibus*: & cum ſic priſcos eam quoque copulam locare ſolitos monuiſſet, Notet, inquit, & imitetur juventus 2 Elect. 19. Caveat potius. Omnia enim, quibus id probare ſe poſtulat, fucata ſunt. Lib. 19, 1 & 9 nullus ita, ut ille voluit, noſtrorum codicum. In lege Mamilia: *municipibus iis in quorum agro id factum erit.* Florus quoque 2, 6 ex melioribus libris reſtitutus: *quod in bullis ſinguliſque annulis.* Quare autem, *aquis undique canoris atque avibus*, non queat intelligi, ut ſit, & aquis & avibus canoris? an unda labunda ſonans non poteſt dici *canora?* Ego tamen, quia ſatis prædicavit lavacra, malim: *auris undique canoris atque avibus perſonante.*

Κυκλόνζως, ἡσυχάζονζως, σωζείζως] Felix auxilium, quod noſtro tulit Rutgerſius 4 Var. 11. Arrianus 2, 18. Κομψὸν συφισμάλιον ἔλυσας πρὸς κομψόπερον & κυκλόνζον. Et mox: τοῦτο μὲν ἤδη τὸ σόφισμα ὑπὲς τὸ ψαδόμενον, ὑπὲς τὸ ἡσυχάζονζα. Et ſequenti: Ἀνίπατος οὐ μόνον ἐν τοῖς περὶ δυνατῶν, ἀλλὰ καὶ κατ' ἰδίαν ἐν τοῖς περὶ κυκλεύονζος. Apud Lucianum βίων πράσει ait Chryſippea Vita: Θάρρει, καὶ ἄλλα γάρ σε διδάξομαι θαυμασιώτερα. Ἀγρ. τὰ ποῖα; Χρυσ. τὸ ψηρίζονζα, καὶ τὸ κυκλεύονζα καὶ τὸ ἐγκεκαλυμμένον. Ἡσυχάζονζες λόγοι, inventum Chryſippi, quibus acervum ſoriticum circumſcribere & in-

& inhibere tentavit: duosque de illis libros eum scripsisse testis Diogenes Laertius. Cicero 4 Acad. *Placet enim Chrysippo, cum gradatim interrogetur, verbi causa, tria pauca sint anne multa, aliquanto prius quam ad multa perveniat, quiescere. id est, quod ab illis dicitur ἡσυχάζειν.*

Officiaque earum confinitima aut contraria] Sic Carrio ex uno Buslid. Sed neque *officium confinitimum* neque ipsa vox placere potest. Edebatur antea: *officiaque earum confinia aut contra.* Membrana Rottendorfia & Schefferi addunt conjunctionem, *earum & confinia.* Scribe igitur, *officiaque earum & confinia, ut & contra, morbos vitiorumque fraudes.* Sed G. Ranchinus 1 Var. L. 3 trajicit, *vitiorumque labes ac p. animorumque fraudes*; quia sit locutio inaudita *fraudes morborum ac vitiorum.* Imo non est inaudita, si cogites sæpe veteribus *fraudem* idem omnino esse quod malum vel incommodum: ut in illo, *ne cui fraudi sit*, & *incidere in fraudem* & *sine fraude esto*, & similibus.

Nulli esse magis ea omnia explorata] MSS. & vett. edit. *nulli esse ulli magis ea omnia.* Schef. *nulli esse quam illi.* Omissa vox in Stephanica invito Carrione, qui de loquendi ratione se alibi dixisse ait. Censeo Gellium scripsisse: *nulli esse uni magis ea omnia explorata.* Ut *nemo unus* & alii & noster 18, 5. *nemo unus veterum literarum diligens.*

Ut hujus plurimus mos fuit] Sic Carrio è Buslid. Vulgo, *cujus plurimus ei mos fuit*, quod è Pal. refert Gebhardus 1 Antiq. 2. Rot. *ui plurimus ei mos fuit.* Forte: *ut plurimus ei mos fuit.*

Se in theorematibus &c. oblectantes] Sic Carrio ex uno Busl. nisi quod Antiq. 3, 17. *seque in theor.* in Notis *sed se in theor.* Olim erat: *sed theorematibus* &c. *dilatrantes.* Gebhardus *delatrantes.* Fulv. *deblaterantes.* Rottend. *sed theorematis tantum nugalibus* &c. *deblaterantes.* Buslidianus quoque *theorematis*, ut in Antiquis notavit Carrio. Scribe igitur: *neque operæ probæ, de theorematis tantum nugalibus & puerilium isagogarum commentationibus deblaterantes.* Verbum *Deblaterare* exstat 9, 15. Priscianus auctor est Ciceronem quoque *toreumatis*, *peripetasmatis*, *emblematis* in plurativo dixisse. Et noster *poëmatis* 9, 9 & 12.

Ανεκβίαστος] Fulvianus: ἀνανάγκαστος Quo verbo & Arrianus utitur 1, 17. προαίρεσιν ἔχεις ἀκώλυτον φύσει καὶ ἀνανάγκαστον. Et mox: τὸ προαιρετικὸν ἔχεις ἀκώλυτον ἀνανάγκαστον, ἀπαραπόδιστον, 2, 19. ἀποτελέσαι ὑμᾶς ἀκωλύτους, ἀναναγκάστους, ἀπαραποδίστους, ἐλευθέρους, εὐροῦντας, εὐδαιμονοῦντας. Lib. 3, 3. καὶ ἔδωκεν, οἷον εἶχεν αὐτὸς, ἀκώλυτον, ἀναναγκαστον, ἀπαραπόδιστον.

Λέγε μοι σὺ τοὺς θεοὺς ἁπρώην] Sic quidem & apud Arrianum.

Sed

Sed Regius monstrat aliquid vitii subesse: λέγε μοι τὰς θεὰς σοι ἀπῶλω. Scribe: λέγε, μὰ τὰς θεὰς, μοὶ, ἃ πῶλω ἔλεγες. Eodem spectat, quod ex ex suo notavit Carrio: λεγε μοι τὰς θεὰς σα πῶλω.

Cap. 3. *Capitali perdendus*] Sic Carrio, cum in libro unico, unde Canterus hanc partem sectionis hujus vulgavit, esset *capitalis*; miratus tamen & ipse genus loquendi, suspicatusque excidisse vocem *sententia*. Alii advocant ut priscam scripturam, *capili perdendus*: quod si est, quid propius promptiusve, quam *capitis perdendus*, Plautino sermone? Asinar. 1, 2. *Capitis te perdam ego & filiam*. Bacchid. 3, 3. *Egone illam mulierem Capitis non perdam?* Milite. 2, 4. *quem pol ego capitis perdam*.

Præstabilis homo sapientia] Sic ex duobus Carrio: etsi fateatur non suppetere sibi exempla hujus locutionis, *præstabilis aliqua re*; sed & *præstabilior* & *præstabilius* frequenter dixisse veteres, *præstabilis* vix unquam. Quod ne quem sollicitum habeat, Cicero lib. 2 de Oratore: *Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præstabiles aut novitate primæ aut genere ipso singulares*.

Et in qualibus & in quibus causis & quemnam adusque modum] Fulv. Reg. Rott. *& in qualibus causis & quemnam ad modum*. Ut & nonnulli apud Carrionem.

Pensim atque enucleate] Et hoc ex uno Buslid. Alii & olim vulgati, *quibus*: cum nostri, *pensiculate atque enucleate*: Et possis putare hæc ὁμοιόπλωτα compositisse, ut paullo ante *strictim atque cursim*.

Quatenus quoque fine] Error operarum Stephanicæ, ut obtestatur Carrio: nam præter unum, quem tamen ille sequendum non putarat, omnes, ut & vulgati, *quaque fini*.

Δεῖ με συμπράττειν] Carrio notat alios dare μέχει βωμῶν. Fulv. & Regius justum faciunt trochaicum: Δεῖ μὰ συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχει τ' θεῶν.

Theophrastus autem quo dixi libro] Sic ex Buslid. Carrio, cum esset vulgo, *in eo quem dixi libro*. Rottend. *in eo quo dixi*. Suspicor, *Theophrastus in quo dixi libro*. Vide obser. in Ecclesiast. cap. 17 extremo.

Lacuna famæ imminentis partarum amico utilitatum ratione] Quid sibi voluerit Lipsius, cum *laciniam* maluit, quasi duriter dicatur *lacuna solidari*, non *lacinia*, 2 Elect. 3, haud exputo. Quin *laciniam solidari* quid sit, Romanum hominem scisse arbitror neminem: at *lacunam solidare*, quis dubitet esse quod Ciceroni & Varroni *lacunam explere*, Palladio *lacunam sarcire*? Plinius lib. 11 cap. 27. *Perfracta* (ossa capitis) *non queunt solidari*. Lib. 24, 16. *boum nervos abscissos vomere solidari ea rursusque jungi*. Ut & lib. 30, 13 loquitur. Lib. 35, 6. *spumam maris*

maris esse dicunt solidatam cum limo. Ennodius in vita S. Antonii: *planari ardua, solidari scissa, pendentia non timeri. Minuentis* habet aliquam speciem, & Carrioni etiam in mentem venit. Sed Fulv. Regius, Rottendorf. Lincoln. *lacuna famæ munimentis partarum amico utilitatum solidatur*: nec aliter quintus apud me, nisi quod *lascivia*: omnes sine τῆς *ratione*, quod & Carrio suis in nonnullis quæri annotat. Eam scripturam jam produxit è regio ad Solinum Salmasius. Quid autem τὸ *munimentis?* In hujus vocabuli significatione aliquid novasse noster, aut secutus auctores, qui non exstant, videtur. Satis notum est *munire viam.* Appius apud Ciceronem pro Cœlio: *Ideo viam munivi, ut tu eam alienis viris comitata celebrares?* Suetonius Julio: *viam munire à mari supero per Appenninum dorsum ad Tiberim usque.* Sic Livius *munire rupem* pro perviam facere. Hinc *munimenta* dixit pro impensis, quarum, ut canit Statius, *injectu solidantur* & muniuntur viæ. De quibus idem: *& alto Egestu penitus cavare terras, Mox haustas aliter replere fossas, Et summo gremium parare dorso.* Inde transtulit noster.

Id primum illo, quod honestum nobis est] Quam commodum hic τὸ *primum?* Cogitabam aliquando: *id primum, illoque quod honestum.* At Reg. & Rott. *Id præ illo.* Recte, nam ea particula interdum & comparationis est. Ut cum Plautus in Curcul. *omnium unguentum odor præ tuo nautea est.* Menæch. *Solem vides: Satin ut occæcatus præ hujus corporis candoribus.*

Parva lamina auri] Reg. & Rot. *lamna.* Ut semper optimi libri historiæ naturalis Plinii.

Οὐκ οἶδ' εἴπω τούτῳ τῷ γένει] Fulv. Reg. Schefferi: τοῦτο. Forte, εἴ πω τι τῷ γένει. nisi malis, εἴπω τῷ τῷ γένει τιμιωτέρου. Neque intelligitur satis vulgo. Haud satis novi, inquit, numquid ejus quod in genere ac totum majoris pretii est, si pars definita cum alterius certa parte conferatur, tamen etiam præoptanda sit. Non enim (verbi gratia) ut aurum æri præstat, ita tantillum quoque auri magno æris ponderi compositum plus valebit: sed aliquid momenti ea in æstimatione facient copia & modus.

Tempestivius, laxato paullum permissoque] Carrionis quidam, *tempestive lassato* Fulv. Reg. Rot. *tempestive laxato.* Scribe: *hujusmodi indulgentiam gratiæ tempestivæ.* Statius 2 Thebaid. *& oscula mœstis Tempestiva genis posuit.* Statim legendum, *laxato paullum remissoque*, utcumque libri *permissoque*: nam quod repugnat Carrio, & vocis notionem notare jubet, est in eo errore, quo imbuit complures Cujacius. Vide 4 Obser. 2.

Παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τοῦτο ἐστὶν] Regius, τοῦτο ἐστὶν. Fulvianus, τοιοῦτον. Parum interest. Sic autem distingue: ἡ κολυ-

μένη

μέν χάεις ἀφὸ τοῖς ἀνθρώποις, τελέσιν, ὕφεσις ἁμαρτίας ἐν Νόμῳ.

Officiorum existimationes] Lætatur hoc Carrio. Ego quoque alibi hoc vocabulum defendi: sed hic malo cum editis & scriptis nostris *æstimationes*. Equidem *existimatio* interdum est sensus, sententia, judicium, & facultas illa mentis, per quam de re opinamur vel judicamus, & eam vel magni vel parvi facimus: sed pro taxatione, indicatione pretii, compositione rerum, ut intelligatur quid anteferendum, quid posthabendum sit, non puto *existimationem* dixisse veteres. Sic apud Justinum lib. 12, 6. *in iræ locum successit existimatio*, rectè se habet: & ne fero quidem *æstimatio*, quod de Bongarsii consilio subjecerunt. At ubi Cicero ait *æstimationem census*, aut *prædia in æstimationem accepit*, aut *æstimationem litium*, insanum puto de *existimatione* ibi surroganda cogitare.

Causa differendi magis disputandique] Fulv. Reg. Rot. Scheff. *cum discernendi magis disputandique diligentia quam cum decernendi sententia atque fiducia*. Nec τὸ *differendi* patitur, quod mox sequitur *differnit*: etsi pro eo Reg. & Rot. *servitute*: quod monstri instar: sed tamen majorem partem ejus verbi & in corrupto agnoscimus. *Discernendi*, inquit, id est, separandi & distinguendi, quæ misceri non debent, & vulgo ab indoctis miscentur, ac pro iisdem putantur. Vide 3 Observ. 13.

Causas scientiæ, corporum varietates, disceptationumque differentiam ignorantes] Nihil meo judicio vexatius: & tamen omnes sine offensione transeunt: nisi quod illud pro *dissertationumque ac differentiarum*, cum in scriptis haberet *differentias*, fecit Carrio. Ego vero nec *causæ scientiæ*, nec *corporum varietates* quid hic faciant, hilum video. Unum video *ignorantes* illos auctorem non inculcasse. nam quum de his dici putes aliquid eos *non capere*, hoc *non capere* ille nequaquam de personis, sed de rebus pronuntiavit. Quid enim censes non capi? *præceptum, quod in prima parte tractatus istius desideraverat*. At id præceptum omnino dari non potest: adeo non verendum est, ne, si detur, desit, qui capiat. Est aliquid sensum deprehendisse: verba si tractavero violentius, at occasionem mollius ea tractandi acutioribus præministrabo. Reg. & Rot. habent *varietates discriminumque ac differentiarum*. Hoc voluit dicere: *quoniam profecto causarum, personarum, temporum varietates discriminaque ac differentiæ directum atque perpetuum distinctumque in rebus singulis præceptum, quod ego nos in prima tractatus istius parte desiderare dixeram, non capiunt*.

Intra modum tantum coërcuit] Carrio non male ut & Scheferi

feri membrana: *intra modum tamen.* Reg. & Rot. *intra modum cautum coërcuit.*

Hac, inquit, fini ames, tanquam forte fortuna ofurus] Hoc est, eousque ames, ita te des dedasque amico & in potestatem ejus venias, ut latere tecto inde discedere salvusque & honestus esse possis, si quando te ille amare desinat: sic persequare inimicitias, ut non reddas inexpiabiles, & tuto possis cum adversario in gratiam redire. Exemplum insigne præbet hic locus, ut superioribus seculis, homines, ut tempora ferebant, doctos in emendandis, quæ librarii rudiores in scriptis antiquorum peccassent, conatus destituerit: utque libri veteres ab ipsis, qui eos juvare volebant, mangonizati sint. Puteani codex apud Carrionem: *Hac, inquit, finiam ex tanquam f. f. o.* Proxime hunc Rottendorfianus: *Hac inquit finiam & tanquam f. f. o.* Vides per indoctos, sed fidos & quod invenerant sine dolo imitatos, scriptores τὸ *fini ames* male divisa esse, corrupta etiam una litera, sic ut ex illis fieret *finiam ex* vel *finiam &*: in quibus etiam vides quam leve censorium opus foret pudentem censorem gesturo. At ecce sarcinatorem probum & suendi centonis gnarum, qui & mutare, & quasi aliquid deëesset, supplere hæc ausus est in Buslid. hoc modo: *Hunc, inquit, amorem ita finiam, tanquam forte fortuna positurus.* Teneo falsum manifestarium. Qui miraretur, quid sibi vellet, *Hac, inquit, finiam,* neque aut sciret *hac fini* elegantius esse, aut suspicaretur τὸ *am* esse partem τῦ *ames*, interposuit (ut fere tum solebant addendo & infulciendo curare) *amorem ita*: quorum alterum vocabulum materia, alterum τὸ *tanquam* videbatur petere: priori aptandum fuit *Hunc* pro *Hac.* Idem mango ex *Hac itidem tenus oderis* (quod perpauxillum modo excedit quotidianas loquendi formas, & ideo displicuit) fecit *Hoc odium ita ut te nunc oderim*, satis affinibus & propinquis literis, ut liquido appareat, qui hæc concepit, ab illis ductibus quantum posset minimum recedere voluisse. Carrionem, qui primum hæc quasi apertius elegantiusque dicta laudaverat, derisus æmuli tamen saniora sentire compulit. At quam fistula pastoritia dignus, qui mangonium improbum novo mangonio interpolavit expatravitque: *Hunc amorem ita ineam, tanquam forte fortuna ofturus: hoc odium ita, ut te nunc oderim fortassis post amaturus.* Et tamen inventus est clitellarius, qui carduis hisce vesci gauderet.

Καὶ συνεπάγεσθ φιλίας καὶ ἀπεχθείας] In Fulv. & Regio & Schefferi non est posterior copula. Fulv. φιλίᾳ. Forte: νομίζων ἐξ ἀνάγκης ἐπακολεθεῖν καὶ συνεπάγεσθ φιλίαις ἀπεχθείας.

Cap. 4. *Curiose spectabat, aut virtutes*] Hiat indecore oratio.

tio. Quare ſcribe cum Reg. & Rott. *ſpectabat*, *& aut virtutes.*

Judicium factum examuſſim] Quis non delectaretur vocabulo, ſi certa ratio id auctori aſſereret. Scripti & editi omnes, *ad amuſſim*: quod ex mera Carrionis conjectura mutari anceps & incivile eſt. Varro lib. 2 de re ruſt. 1. *Si, inquam, numerus non eſt ut ſit ad amuſſim, ut non eſt, cum dicimus mille naves iiſſe ad Trojam, centumvirale eſſe judicium,* Noſter. 20, 1. *talionem in eo vel ad amuſſim æquiperarent.*

Cap. 5. *Geſtumque in agendo hiſtrionicum*] Tres, *hiſtrionum.* Forte, *hiſtrionium.*

Demoſthenem tradant veſtitu ſincero] Reg. Lincol. Rot. *traditum.* quaſi vellent *traditur.* Dein lectum ante Carrionem, *& veſtitu cæteroque cultu corporis.* Quod ex Pal. refert Gebhardus, 1 Ant. Lect. 2, & rogat: Quid eſt *veſtitus ſincerus*? Nempe pluribus id adjunxerunt veteres, quam nunc vulgo ſolemus. *Sincerum purum*, ut Donatus ad Terentium interpretatur, ſine labe, ſine macula. Sic *porci ſinceri* Plauto, qui probatæ poſſint fieri hoſtiæ: eidem *corium opere faciundo optimum & ſinceriſſimum:* Ovidio *corpus ſincerum* ſine vulnere: Lucretio *ſincera membra* illæſa. Quærit etiam an non ſatis ſit *nitidum?* Id vero ad veſtitum non pertinet, ſed ad alium cultum corporis: quod intelligere potuit ex eo ipſo, quem apponit, Ciceronis loco: *pexo capillo nitidos & imberbes aut bene barbatos.* Sic Plauto *nitidiuſculum caput.*

Hinc etiam κομψὴ illa χλαινὶς] Rot. *hinc eita.* Reg. *Incerta κομψα.* Lege *Hinc certe κομψὴ illa.*

Parum vir, ore quoque] Et hic copulativa excidit. Reg. & Rottend. *parum vir & ore quoque pollnto.*

Compellationibuſque probroſis] Sic & ex antiquis editis & ex omnibus membranis ſe reſtituiſſe ait Carrio, cum legeretur, *appellationibus propoſitis.* Alterum fert Lipſius: de altero, Subſtituunt, inquit, *probroſis*; ego ex ſcripturæ tramite, *prope Oſcis*, 2 Elect. 3. Nimirum leporem veteris conjecturæ tacitus perdere non potuit: nam, ut Carrio dixerat, noſtri quoque, ut & Romana editio, aut prima aut in primis, plane ac ſine dubio, *compellationibuſque probroſis.*

Αμυσος, ἀγροδίαιτος, ἀπρόσιτος] Ita eſt, codex Regius: *ἄμυσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος.* Medium firmat Vaticanus, nec tertio indubito. Neque tamen præciſe *ἀπροσδιόνυσον* accipio, qui aliena rei ac tempori & non *τὰ καίρια* loqueretur, quique extra cauſam, quæ agebatur in alienam vitam moreſque inquireret. Id enim ſic faciebant cauſarum patroni omnes, ut quæ in adverſarios, & qui illis aderant, invidiam conflare poſſent,

sent, arriperent. Tria hæc unum significant rusticum, inficetum, inelegantem, inhumanum. Nam doctum quis negabit Torquatum fuisse? Αμουσος tamen, hoc est, remotus ab ea suavitate morum, quam efficit *didicisse fideliter artes*; quam Justinus ait Alexandro ingeneratam *Græcorum literis*; qua præditi sunt οἱ τὰς χάριτας ταῖς Μούσαις ἀναμιγγύντες. Eam hic & Μοῦσαι & Αφροδίτη & Διόνυσος significant. Sic transfert τὸ ἄμουσον pro inepto vel ingrato Plutarchus 4 συμποσ. quum suem dicit κρηκοδείλου καὶ αἰλούρου τὴν ὄψιν οὐκ ἀτοπώτερον, ἢ τὴν φύσιν ἀμουσότερον. Αναφροδίσιος quoque, non quia viri munia non fungeretur, sed quia nihil habebat de illis, quas Lesbia Catulli

Omnibus una omnes surripuit Veneres:

quia illi deerat ea comitas & facilitas, quam præcipiunt Artis amatoriæ duo libri, & non magis amatorem hominem quam petitorem & ambitiosum, & quem nunc vocant Politicum formant: ut Horatio *Fabula nullius Veneris*. Item ἀπροσδιόνυσος, qui nihil ad Liberum: Liberum proprie ipsum, quem Semeles filium fecerunt, intelligo. Sic Plutarc. 4 συμποσ. Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Quem vero Bacchum? nempe Apollinis prope σύνναον & contubernalem in Parnasso, quem Poëtæ invocant ἀοιδῆς ὑποφήτορα, & in cujus tutela sunt οἱ Διονύσου τεχνῖται κόλακέστε, qui & Μουσοκόλακες. Sic ἄμουσον & ἀπροσδιόνυσον conjunxit & Plutarchus 1 συμποσ. πέμψω δὲ καὶ τὰ λοιπὰ ταχέως, ἂν ταῦτα δόξῃ μὴ παντελῶς ἄμουσα μηδὲ ἀπροσδιόνυσα εἶναι.

Cap. VI *Ad matrimonia adhortaretur*] Et nostræ, ut Carrionis membranæ, *hortaretur*.

Non oportuisse neque de molestia] Turbat orationem τὸ *Neque*: quod si retinemus, τὸ *oportuisse* etiam ad sequens membrum ejus pertinet, quo tamen nisi inepte non potest referri: sive malis, ut edebatur, *neque adhortari magis quam dissuadere absterrereque*; sive ut reddidit Carrio, *neque adhortari id magis esse quam dissuadere absterrereque*. Priori modo foret, non oportuisse Metellum neque confiteri neque adhortari magis quam dissuadere: cum res exigeret, non oportuisse neque confiteri neque dissuadere magis quam adhortari. Posteriori modo acciperes, non oportuisse neque confiteri neque oportuisse id magis esse adhortari; quod rursus ineptum & intolerabile. Ergo fidenter inducimus eam particulam, & quidem Rott. quoque & Lincoln. ac Regio jubentibus. Qui etiam, *adhortari magis esse*, eo ipso alludentes ad τὸ *magis id esse*, quod fuit in duobus apud Carrionem.

Si modo verisimiles sunt] Reg. & Rot. *si veri modo similes sunt*.

Destitutum atque impugnatum relinquat] Quid est *impugnatum?* an haud oppugnatum? At non ea vis verbi. Præterea in mala causa magis præcavere tempus quam ulcisci. Lege ex Regio: *destitutum atque inpurgatum.* Cujus verbi si nobis exemplum deest, at non defuisse Gellio certum habeo: adeo non insolens ad aures accidit. *Impurgabile* dicit Ammianus lib. 22 *impurgabile crimen excusari posse existimans.*

Si pergimus errare, suis bonis nos] Plenius hoc quidem uno in Buslidiano, sed antiquius mihi & magis censorium videtur, quod nostri & omnes ante Carrionem: *At parentes si pergunt errare liberi, bonis exhæredant.* Quod etiam ex Pal. laudat Gebhardus 2 Antiq. l. 20.

Nisi errationibus finem faciamus] Ne hoc quidem ex uno codice inductum placet præ altero: *nisi malis rationibus finem faciamus.* Nam & *ratio*, pro eo, quod agitur vel instituitur, & *mala ratio* pro peccato exquisite dicuntur, & non possunt à quoquam subjecta videri. Sic Terentianus Demea: *Vostram nequeo mirari satis rationem*: Et respondet Syrus: *Est hercle inepta.* Idem Demea: *ne nimium modo Bonæ tuæ isti nos rationes, Micæo, Et tuus iste animus æquus subvortat.* Et quemadmodum *optimæ & honestæ* sunt *rationes*, quæ appellantur apud Ciceronem, sic etiam sunt *malæ.* Actione prima in Verrem: *quoniam pugnare contra me instituisti ex istius tempore & causa malitiose, necesse est istiusmodi rationi me aliquo consilio obsistere. Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias; mea, ut ante primos ludos comperendinem. Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur acuta, meum hoc consilium necessarium.* Cum dicit, *Tua ratio est*, significat, *tu hoc agis*: similiter cum, *Mea ratio est*, vult, *ego autem in hoc sum*: tum, *tua ista ratio, id quod tu agis, moliris.* Et sic apud Tullium centies, quod tamen perpauci observant, vix quisquam scit imitari. Sic quamvis in alia re, l. 40 pr. D. de Statuliberis: *quam ea, quæ mala ratione reliquatus est, quæ furatus est, reposuerit.* Horat. 2 Sat. 6. *feci ratione mala rem.* Contra Seneca de benef. 4, 17. *Dic enim cuilibet ex istis, qui rapto vivunt, an ad illa, quæ latrociniis & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire?* Asconius Pedianus in Divin. *Quasi ex nulla parte bonam rationem defendendi habeat Hortensius.* Et in lib. 1. *Destitisse cum cæperis, mala ratio: est enim inconstantia & mutatio quædam in deterius.*

Isdem deos propitios esse] Fulv. *His demum.*

Cap. VII. *Ubi neque noti essent quo venerunt*] Rot. & Regius, *noti essetis quo.* Scribe, *neque noti esse iis quo venerunt*: ut legitur apud ipsum Ciceronem 5 in Verrem 65. Τὸ *ubi* nostri, perinde ut Carrionis, veteres libri ignorant.

Vide-

Videbatur compluribus] Ita MSS. & recte sic editum invito licet Carrione. Mancinellus olim adversus Vallam disputavit *quam plures* Latine dici, usus verbis Ciceronis 5 Tusc. 21, & auctoris ad Herennium 2, 1, & Senecæ epist. 78. quibus omnibus locis nunc è melioribus exemplaribus *complures* habetur. Idem puta factum illis, quæ ex Plauto, Cicerone, Cæsare, Plinio minatur Carrio. Gebhardus quoque 1 Ant. Lec. 6 reducit *quam pluribus*, idque confirmat Sallustiano: *ut illi quam plurimi deberent.* Si Vallam inspexisset, sciret, quid inter ista sit discriminis.

Debuisse enim scribi non futurum] Omnes etiam nostri, non modo Carrionis: *scribi putabant.* Sustulit ille hoc verbum auctoritate vetustissimæ editionis. Potest fieri, ut & aliis videretur pulcrius, quod ipsi: Romana tamen, ut scripti. Qui si sancirent illam non insuavem sermonis brevitatem, primus assentirer: nunc editi unius auctoritas tanta mihi non est, ut innovare quicquam velim.

Mendæ suæ illudebant] Vidit Carrio membranas, in quibus erat, *illudiabant.* Qui de mera conjectura Plautinum *examussim* inculcare ausus est, eum nunc certe tempus erat imitatorem Plauti agnoscere. Pœnulo 5, 4. *At tu hercle alludiato.* Sticho 2, 3. *Quando adbibero, alludiabo.* Hic friget homo bonus, causatus, plures in istis membranis fuisse mendas, & præcipiens cum magna cautione scriptis utendum. At tu scito in duobus emendatissimis, Regio & Rott. *inludiabant* legi, idque auctoris nostri esse, ut quod optima lege. Lincolnienses quoque *illudiabant.*

Nullum esse in eo verbo neque mendam] Fortassis in hoc conjuraverint Carrionii libri: at nostri *mendum*: neque aliter procedit oratio. Statim Rot. Lincoln. & quintus apud me, *probe ac vetuste.* nec spreverim.

Impromiscuum est] *Impromiscum* ex optimis optimorum librorum exemplaribus fecisse ait Carrio, in quo nostri optimi ei non subscribunt. At quo illi nostri juvant hunc sermonem, mutus Carrio. Ambo enim ablegant τὸ *est.* Et sufficit sane: *sed verbum est indefinitum, quod Græci appellant ἀπαρέμφατον, neque numeris neque generibus præserviens, sed liberum undique & impromiscuum.*

In centesimo quinquagesimo quoque Quadrigarii annali libro] Hoc ex Buslid. irrepere passus est Carrio, cum legeretur: *In Q. quoque Quadrigarii tertio annali verba.* Sed in Notis monuit Gellium lib. 3 cap. 3 commemorare, eam fortitudinem tribuni Q. Claudio Quadrigario descriptam annali tertio: nec se comperisse tot annales libros eum composuisse: eoque numerum Buslidiani

corruptum jure suspicari, & vulgatum suo loco manere jubere. Regius & Rottendorfianus: *In Cl. quoque Quadrigarii tertio annali libro verba hæc esse dixit.*

Et benefacturum] Notat Carrio in altero Puteani τὸ *bene*, in altero hoc totum deesse. In nostris quoque non comparet τὸ *bene*: & merito: non enim *benefacturum* una composita voce, sed binis simplicibus *bene facturum* dixisse Quadrigarium accepit Gellius: itaque, ut cæterorum exemplorum singula tantum verba, ita hic quoque unum *facturum* repetit.

Neque in tempora distrahitur] Hoc ab Aldo, cum Ro. & Venetiis omisissent tres voces priores, pro quarta dedissent *distribuitur*. Regius confirmat Aldinum. Rot. & Scheff. *neque in personas neque in tempora neque in genera distrahitur*, Verum tamen est modi hujus tempora distingui & ea, de quibus hic agitur, unam tantum habere ἔμφασιν significationem: quo argumento delenda esse τὰ *neque in tempora* colligit Phil. Rubenius Elect. 2, 17. Immo diu ante illum Petrus Mosellanus.

In ejusdem M. Tullii Ciceronis oratione] Reg. Rott. Lincolnienses, Schefferi conspirant in abolendo cognomine Tullii: neque amplius habent, quam, *in ejusdem M. Tullii oratione.*

Plautus verborum Latinorum elegantissimus] Merito rejiciunt Carrio & Stephanus illum, qui, quasi aliquid deesset, inseruit *conservator*; sed non debebat Stephanus & istis offendi atque conjicere *diligentissimus* aut *eligentissimus*. Nam τὰ *verborum Latinorum* accipienda sunt, ut Cicero Terentiusque solent dicere *cæterarum rerum*, pro eo, quod est, quod ad cæteras res attinet, quemadmodum Hotomannus & alii observarunt. Lib. 7, 17 *Plautus homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps.*

Cujus ille in præsenti exemplo usus est] *In præsens* voluit Carrio, idque orationem minus præstat ambiguam. Quemadmodum etiam: *Ut rationem autem istam missam facias & auctoritates.* Denique, ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων *modulamentisque orationis.* Hæc omnia ille sic edi se voluisse scribit in Notis, & omnibus adstipulantur nostri: quæ jam toties ex Stephanica corrupta referunt. Quin & Stephanus in suis Noctibus confectat *& modulamentis*, quasi non differre alterum in MSS. esse Carrio monuisset. Forte autem & melius sit ἐμμελείᾳ τῶν λέξεων.

Conspectiusque insuavius hoc imperfectiusque est] Sic Carrio ex editione vetusta, cum vulgares haberent *imperspectiusque*, in Put. autem libro esset *inspectiusque*. Regius & Rottend. *imperpetiusque*. Sed prima vox, de qua nihil Carrio, in utroque codice sic editur, *complectiusque*: quo videtur significari, quod exstat in Fulviano, *completiusque*.

Nu-

Numero verborum sonus clauderetur] Quasi de conjectura Lipsius 1 Elect. 7 *clauderet*: hoc opinor nobilius ratus: sed credibile est ex MS. habuisse, unde & Fruterius Carrioque, quibus Regius Rottendorfianusque faciunt secundas: haud dubie & alii, si libuisset excerptoribus annotare. *Claudeo* & *claudo* vetustis idem quod *claudico*. Vide Addenda ad Livii lib. 22. Ubi ad ea, quæ alii observarunt de hoc verbo, primi addidimus Plinii locum: nunc addemus & Appuleji alterum, qui priores, quod sciam, effugit. De Deo Socratis: *sicubi tamen interfectis sapientiæ officiis, non consilio, sed præsagio indigebat, ut ubi dubitatione clauderet, ibi divinatione consisteret.* Sic Florentinus, ubi vulgo *claudicaret*: ut notavit optimus Elmenhorstius; hoc tantum, neque enim aut probavit, aut cum altero Appuleji loco comparavit. Novi apud eundem *interfectam virginitatem*: hic tamen malim, *defectis sapientiæ officiis*.

Cap. VIII. *Poscebat illa nimium quantum*] Rectè sic Carrio *ἀντὶ τοῦ nimiam quantitatem*. Et tamen tricatur Stephanus, malletque *mirum quantum*, ut magis responderet τὸ θαυμαστόν ὅσον. Sed hoc est nodum in scirpo. *Nimium quantum* libri veteres, & sic Cicero, Quintilianus, Symmachus, Ammianus loquuntur.

Ictus expaviduſque Demosthenes avertit] Colvius ad septimum Appuleji *expavitusque*, à verbo *pavire*: unde *terram pavire* pro ferire apud Ciceronem, & *Depavire* Lucilio Festoque verbe rare. Accipio *expavitus*, sed τῇ παραλήξει in pronuntiando correpta, ut sit idem quod pavefactus, ab *expaveſco*, *expavi*: unde & *pavito pavitansque*. Et *expavitus*, *expavefactus*, ut *expergitus expergefactus*. Omnes autem scripti *avertitur*: unde certatim Fruterius, Gifanius, Carrio, *avertit*. Lib. 4, 18. *Id quum dixisset, avertit & ire in Capitolium cœpit.*

Μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον] Hinc myriadem drachmarum seu talentum, ut ait nummi Romani, denarium dena millia facere nimis supine collegit Chokierius. Aliquid suboluit Carrioni, qui nescire sese ait, τὸ ἢ τάλαντον sintne ipsius Gellii, an recentioris alicujus interpretis. Sane talentum Æginæum decem millium drachmarum Atticarum est. Sed quoties talentum sine alia descriptione nominant, fere sex millium & ipsum Atticum intelligunt. Et video in Vaticano Regioque, qui omnia Græca diligenter & egregie exhibent, tantummodo legi: *At Lais μυρίας δραχμὰς ἀπῄτησεν.* Nec secus in Schefferi codice, cui pleraque Græcorum rubrica notavit.

Cap. IX. *Jubebat, quin & certum tempus statuebat, ut tacerent, non in omnes idem*] Quam ineptissimam omnium vulgatorum & plurimarum membranarum scripturam vocat Carrio, reti-

nent mei: & est in ea forsan aliquid vitii: sed lacunam tantam esse, & sic solidandam è Buslidiano, parum consuadet. *Tum* habent nostri pro *Eum*. præterea *omnes idem* sine media præpositione & *alius aliud* pro *aliud aliis*, unde faciendum *alios aliud*. Sic enim scripsit Gellius: *Tum qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat & certum tempus tacere, non omnes idem, sed alios aliud pro æstimato captu solertiæ.* Melius *Tum* quam *Eum*. nam oratio hæc, *qui exploratus ab eo idoneusque fuerat*, habet figuram, per quam ex uno plures intelligi ait Fabius, & perinde se habet, ac si dixisset, *qui explorati*. Sic iisdem verbis respondent, *non omnes idem, sed alios aliud*, ad intellectum magis quam ad voces relata. *Existimato* Carrionis in eodem errato est, quo supra *existimationes officiorum*. Vellet etiam Stephanus *idoneusque inventus* vel *compertus fuerat*. Videtur id satis intelligi. Alioqui possemus scribere: *qui exploratus habitusque idoneus fuerat*.

Propter Alcibiadis comissationem] Quod Carrio ex vett. & editis & membranis omnibus notat *Alcibiadæ*, Reg. & Rott. Schefferi confirmant. Sic *Parmenidæ* apud Appulejum de dogmate Platonis.

Quod re atque verbo Romano appellabatur κοινόβιον] Sic Carrio, cum inveniret, *quod in re atque verbo*. Fatetur autem de hoc loco, quid statui debeat, non sese habere quod dicat, quum neque verbum Romanum sit κοινόβιον, neque juri Romano locus hic ullus. Catanæus delebat τὸ *Romano*, ut refert Flavius Conject. cap. 81: qui tamen excusat vulgatum, ut *cœnobium* sit vox Latina qualis *rhetor*, *helleborum*, *sycophanta*, *philosophus*, & similia, quæ Latinus usus mollivit, ut jam peregrina non videantur. Rottendorf. *quod jure atque verborum ano appellabatur ertonocito*. Vides quam prope accedat ad id, quod ex Regio codice divine prorsus eruit Salmasius: *quod jure atque verbo Romano appellabatur Herclo non cito*. Servius ad lib. 8 Æneidos ver. 642 *Donatus hoc loco contra metrum sentit dicens, Citæ, divisæ, ut est in jure, Erclo non cito, id est, patrimonio vel hæreditate non divisa.*

Cap. x. *Antiquissimi viri nostri*] Carrio jubet deleri τὸ *viri* de membranarum sententia: & sic Schefferi codex. In Fulviano, Reg. Rottend. deest τὸ *nostri*. Sed hoc eodem pertinet, nam τὸ *viri* cum *nostri* contracto est. Sic infra cap. 22. *sic nostros quoque veteres supereſſe alias dixisse*. 2, 3. *inferebant eam veteres nostri plerisque vocibus*. Et 21. *nostri quoque veteres à bubus junctis septentriones appellarunt*. Lib. 19, 9. *discite nostros quoque antiquiores amasios ac Venerios fuisse*.

Primi incoluisse Italiam] Reg. Rot. Schefferi. *coluisse*, ut omnes apud Carrionem.

Tan-

Tanquam scopulum] Schefferi membrana: *tanquam navis scopulum.*

Cap. XI. *De Gracchi fistula concionatoria*] Et hic Regius Schefferique, *concionaria*, & postea Regius cum Rottendorfiano: *Ecce autem per tibicinia* (de hoc jam monuit Lambecius, ubi vulgo *pro tibicina*) *Laconica tibiæ quoque illius concionariæ in mentem venit.* Quin & prima editio, Veneta Pincii & Aldina in lemmate *contionaria* vel *concionaria.* Et hoc vocabulum cur alteri cederet, causa non erat. *Concionarius* à *concione*, ut ab *legione legionarius.* Sed & quemadmodum *stationarius* & *stationalis* à *statione*, sic à *concione concionalis* & *concionarius.*

Neque etiam ut excitarentur] Rott. Regius, Schefferi cum prima Venetaque editionibus: *neque autem ut.* In Aldina jam mutatum est. Male; sic enim Plautus Aulular. prologo: *Illa illum nescit, neque compressam autem pater.* Lucretius lib. 6. *Nec sunt multa parum tactu fugienda, neque autem Aspectu fugienda.* Appulejus in Floridis; *nec revocare illud nec autem mutare nec emendare mihi inde quicquam licet.* Noster 2, 7. *neque autem illa, quam primo in loco diximus, vera & proba videri potest. Exercitarentur* sane scripti: sed rectè primi editores inde fecerunt *excitarentur.* nam *exsertarentur* Gebhardi 1 Antiq. Lect. 15 tam hic ineptum, quam quod apud Quintilianum sibi gaudet inventum in corrupto exemplari: *motus corporis exsertat oratorem.*

Quod tibicinis numeris temperatur] Sic omnes sane libri. Scribendum tamen censeo, *tibicinii numeris comparatur.* id est, efficitur. Cicero pro Quinctio: *Itaque majores nostri raro id accidere voluerunt; prætores, ut considerate fieret comparaverunt.*

Delectabili atque adeo] Has tres voces addi à melioribus membranis, quarum auctoritatem ille flocci facere noluerit, scribit Carrio. Sed nemo eas agnoscit nostrorum, quorum tamen quosdam ausim in melioribus ponere.

Dispalatique proruerent] Aut *ruerent* scripsit Gellius aut *se proruerent.* nam τὸ *proruere* attente locutis ἐνεργητικὸν est, ut ad Livium & Tacitum monuimus.

Καὶ ὀργῇ χωροῦντες] Regius & Schefferi ὁρμῇ, cui patrocinatur Carrio: & quod idem in illo, καὶ ὑπὸ αὐλητῶν, secutum sese ait, quod apud Thucydidem legitur, non quod in nostri exemplaribus, sciendum in Regio quoque sic legi; non καὶ ὑπὸ αὐλοῖς.

Cretenses quoque in prælia] Præpositio nusquam in nostris.

Quid ille vult ardentissimus] Verbum *vult* insiticium censeo. Videtur enim hactenus orationem suspendisse auctor, hoc modo:

do: *Quid ille clamor? contrane institutum fiebat?* Sic autem noſtri, non *contra institutum*, ut Carrionii. Neque vero mutandum *tam probabile*: multo minus, *An tum etiam gradu clementi*. Quare enim non appellet illud antiquæ diſciplinæ inſtitutum *tam probabile*, quod ipſe ratione atque exemplis illuſtribus approbavit? Quod autem, ubi ad hanc quæſtionem reſpondet, & tum illi veteris diſciplinæ inſtituto, tum mori Romanorum conſtare rationem, pergit interrogare, quid facit aliud quam Ariſtoteles in Problematis & Plutarchus in Quæſtionibus Romanis? qui ſolutiones omnium fere quæſtionum per modeſtiam ſic quaſi deliberando potius quam decernendo expediunt. Memineris autem in illo, *An tum etiam*, tertiam particulam accipi eo ſenſu, quo vulgo dicunt *adhuc*, vel *etiamnum*: ut ſæpe apud Plautum.

Præiſſe ac præmonſtraſſe] Fulvianus, Reg. Rottendor. *præminiſtraſſe*, ut non male quoſdam ſuos habere ait Carrio. Lib. 10, 3. *magiſtratibus in provincias euntibus parere ac præminiſtrare.*

Ad deprimendum ſedandumque impetum] Et Reg. & Rottend. *reprimendum.*

Ingrediendi ad tibicinum modulos prælii] Lincolnienſis, *ad tibicinum prælii*, ſine τῶ *modulos.* ut ſuſpicari liceat & hic ſcripſiſſe auctorem, *ingrediendi ad tibicinium prælii.*

Ariſtoteles in libris problematum] Reg. & Rot. quod mirere, *problemato.* Ergo voluere *problematon.* niſi tamen *problematorum.* nam & hoc audebant interdum.

Επειδὰν πολεμεῖν μέλλωσι] Regius, ἐπειδὰν κινδυνεύειν μέλλωσι· cujus illud interpretatio eſt. Demoſthenes: μὴ τὰς ἐν Μαραθῶνι κινδυνεύσεις. Xenophon de arte equeſtri: ἢ μέλλοντα ἐφ' ἵππου κινδυνεύειν. Schefferi MS. alludit exhibendo ἀγωνεῖν.

Cap. XII. *Aut XV^{ir} vir S. F. aut qui VII vir epulonum*] Reg. Rott. Lincoln, Schefferi: *aut quindecemvirûm ſacris faciundis aut qui Septemvirûm Epulonum aut Salius eſt.* Utrumque in aliquot ſuis repperit Carrio. Et ſic haud dubie noſter. *Cujus pater eſt Septemvirûm aut Quindecimvirûm* exquiſite dicitur pro eo, qui eſt è Septemviris Quindecimviriſve, vel qui eſt Septemvir aut Quindecimvir. Intelligitur enim τὸ τὴς, ut in illo, κρὴ σὺ εἶ ἐκείνων. Lib. 13, 12. Feſtus in Præfectura: *Alterum, in quas ſolebant ire præfecti vigintiſexvirum pro populi ſuffragio creati*: Sic legendum. nam male Scaliger. Cato apud Feſtum in Spatiatorem: *In coloniam me hercules ſcribere nolim, ſi triumvirum ſim, ſpatiatorem atque feſcenninum.*

Populo Romano Quiritibuſque] Et noſtri quemadmodum omnes

omnes apud Carrionem præter Buslid. *populo Romano quiritibus uti.* Sed ut Cujacianus apud eum, Ursinianus quoque, *populo Romano Quiritium.* Nec secus ergo lib. 10, 24 scribendum censeo, ubi item libri, *populo Romano Quiritibus*: & apud Festum in *Dici mos erat: populo Romano Quiritium, id est, Curensium.*

Eum dicit jus pontificium discere noluisse] Mirifice perturbarunt locum. Quatuor MSS. apud me: *eum dicunt deficere voluisse*: ut & uterque Put. apud Carrionem. Duo optimi: *Tamen dicunt deficere voluisse.* Rectissime: neque apex ullus in his mutandus. Nam de Lusitanis agi quis ignorat? *Tamen* est particula contradictionem proponendi. Quasi diceret: Utcumque hæc ita sese habeant, quemadmodum disputavimus, *tamen*, qui favent Galbæ, putant se rem factam habere, ac devolvere omnem culpam in Lusitanos, cum *dicunt* eos ab societate Romana *deficere voluisse*, eoque præveniendos fuisse.

Si volo augurium optime tenere] Sic quidem editi omnes & scripti. Valde tamen probabilis conjectura Ausonii Popmæ in fragmentis historiarum: *jus volo augurium optime tenere.* Vide ad Præfationem.

Quæ prima capta est, hoc fuisse nomine] Rott. & Reg. *nomen.* Lege: *quoniam, quæ prima capta, ei hoc fuisse nomen traditum est.*

Cap. XIII. *Quæsitum in philosophia*] Editiones ante Carrionem: *in philosophia est.* Regius: *Quæsitum esse in philosophia.*

Quæ Græce φιλόσοφοι philosophi appellant] Voculam *Græce* nec antiquissimas editiones nec membranas ullas (præter unas, in quibus *Græci*) agnoscere testis Carrio. Idem adfirmare possum de Regio. Intelligo etiam quemadmodum ea vox irrepserit. nam in Rot. video, *quæ gr. philosophi appellant.* Sic autem semper ille codex, ubi Graja vox occurrit: & τὸ *gr.* ponitur loco ἡ φιλόσοφος, quod transmissum est; non pro vocabulo, quo Gellius usus esset.

Neque timendum exemplum non parendi crediderunt, si rationes hujuscemodi duntaxat non adessent] Carrionis membranæ meliores *non deessent*, quod fortasse rectum ille autumat; si enim hujusmodi rationes adsint, tum non esse culpam imparentiæ timendam: tamen se hoc in medium ponere. At ego, si cætera, ut nunc sunt, maneant, necessario sic legendum esse ajo. Quando enim inexcusabilius, periculosius, formidolosius est solvi vim imperii & jure imperanti non obtemperari, quam quoties id temere ac sine gravissima ratione fit? Sed quum in nostris constanter servetur *non adessent*, suspicari possis καὶ ἡ *Neque*

auctorem dedisse, *Namque.* Etenim, inquit, censuerunt, non fieri, quod jussum est, nihil habere aut trahere mali, si quid eo fiat melius.

Quod jurisconsultissimus] Schefferinus, *quod jureconsultißimus.*

Ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniensium] Locus conclamatus. Gifanius ad Muretum scribit in veteri quodam se codice vidisse, *ad magistratum Græcum more Atheniensium*: unde legendum putabat *ad ἀρχιτέκτονα Atheniensium.* Lipsius venditat è quatuor Vatic. *Moleatensium*: quia penes Stephanum Μῶλυς Λιβυσσα πόλις· τὸ ἐθνικὸν Μωλυάτης. Carrio fatetur in Buslid. quoque esse, *magistrum architectona moleatensium*: sed miratus merito rem gerenti in Asia procerioris arboris habendæ causa mittendum in Africam fuisse. Quæ & Gifanii conjecturæ obstat ratio. Salmasius primum *ad magistrum architectonem Eleatensium*, sive *Elaitensium*, sive *Elatensium.* ab *Elæa*, Ελαία, cujus ἐθνικὸν Ελαΐτης. Deinde quia in scripto Regio invenit, *ad mag. G. more atheniensium*, ut & postea, *tum mag. G. comperto*, decernit scribendum, *ad magistratum Elæatensium*, &, *tum magistratus comperto.* Sed τοὺς Ελαΐτας, Latine dici *Eleatenses, Elæatenses, Elaitenses, Elatenses,* cui probabo? Φωκαία certe Φωκαΐτης, Φωκαιεὺς, Latine redduntur *Phocæa, Phocæensis, Phocaicus*; à Περαίᾳ, Περαΐτης Josepho Latinus est *Peræates*: non *Phocaïtensis* aut *Peraitensis.* Hoc igitur oppidum (& loco, ubi res gerebatur, propinquum erat) si accipimus, legendum, *ad magistratum Elæensium.* Nam & Rott. Schefferi & Lincoln. *ad mag. G. mole* (aut *more*) *atheniensium*: tum, *ma. g. G. comperto.* Quæ nota his membranis perpetua est, quoties Græcam vocem, quam formare non poterat, omisit, & ex alio codice supplendam significavit fidus librarius: ut minus mirer id etiam alicubi factum in Regio, & factum alicubi, ubi fieri non debebat. Excerpta è Fulvii Ursini codice, *mole athenisium.* Sed post omnia diligenter considerata incertior sum quam dudum. Nec desunt conjecturæ, sed nulla est, cui confidere possim.

Cap. XIV. *Neque pro magnitudine dignitateque lautum paratum esse*] Fulv. Reg. Rottend. *pro amplitudine*, ut & quædam apud Carrionem membranæ. Porro non paullo elegantius idem se reddidisse sic putat pro eo, quod erat *lautum paratumque*, ex Buslidiano, quemadmodum *pransum paratum* dixerunt. Admitto scripturam, cui favent & nostri codices: sed *paratum* accipio intransitive, pro apparatu, quemadmodum sæpe apud Tacitum. Annali tertio: *ut quisque opibus, domo, paratu speciosus.* Lib. 6. *Abdageses gazam & paratus regios adjicit.* Noster lib. 17, 2. *Magnum viaticum pro magna facultate & paratu magno*

novo

nove positum est. Lib. 19, 1. *magno cultu paratuque rerum & familiæ.* Pro eo alii *apparatum.* Auctor de corrupta eloquentia: *non ea solum instrui supellectile, quæ necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu ejus & aurum & gemmæ.* Trogus lib. 21. *Dionysius cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus.* Hunc *paratum* Fabricio ait non pro amplitudine ac dignitate ejus *lautum* esse: quemadmodum *lauta supellex* dicitur. Juvenalis Sat. 14. *cupiet lauto cænare paratu.*

Cap. xv. *Vitium sit plenumque odii*] In superius editis *τὰ plenumque odii* adhæserant lemmati sectionis præcedentis. Recte huc transtulit Carrio: & tamen ei commodiorem locum assignat Regius, in quo, *Quam importunum vitium plenumque odii sit.*

Verbis humidis & lapsantibus] Regius, *ubidis*, unde Salmasius *uvidis.* Rot. tamen *umidis.*

Quo scilicet non ad sonum magis &c. *pertineret*] Si quid auctor voluerit, video, scribendum est: *quod scilicet non ad sonum magis habitumque vocis quam ad sententiarum penitus conceptarum altitudinem pertinet.*

1. Εκ στήθεος ἵει. Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε] Schefferinus: ἐκ στήθεος & ποιόν σε. Regius, ἐκ στήθεος ΙΗΕΤΕΜΟΝ ποῖον σε. Ut videtur fuisse: ἐκ στήθεος ἵει. *Et*, ποῖον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Est enim prior ex Iliade, posterior ex Odyssea versus. Itaque debuerunt copula ista separari. De secundo autem sufficit hemistichion, quod posuimus.

2. *Non desint esse laudanda*] Sic irrepsit, opinor, in Stephanicam, & omnes sunt postea secuti. At scripti & editi alii, ut & apud Ciceronem est, *laudandam.*

Neque inscitiam illius] Et Regius & Rottend. *inscientiam*: quemadmodum & in emendatioribus Ciceronis ipsius exemplaribus jam habetur lib. 3 de Oratore cap. 35, unde hic locus depromptus est. Idem vocabulum Cæsari & Livio restituimus. Frustra igitur hic in Lambinum impetum facit Carrio.

Quod si non conveniant, tamen convocari] Rottend. *Quod si non conveniatis, cum convocari jubet ita cupidus orationis d conducat qui auscultet*: quemadmodum & Regius: nam in eo quoque τὸ *est* & τὸ *ut* desiderantur: quæ tamen necessaria videntur, ut constet oratio. Nisi malis: *Quod si non conveniatis, cum convocari jubet, (ita cupidus orationis est) conducit, qui auscultet.* Nam illa supervacua litera *D* prorsus sic formata est, ut ex nota ϛ *Est* nata videatur.

Verum ei se nemo committit, si æger est] Claudicabit comparatio, si hoc mutabimus. Nam si quis æger agyrtæ isti sese committit, is profecto & auscultat, non tantum audit hominem,

quippe

quippe qui nihil aliud sequatur, quam ut habeat emungatque imperantes ægrotos. At huic tribuno idem fieri, quod nundinali & circumforaneo pharmacopolæ ait Cato: audiri ambos, non auscultari; hoc est, homines circumstantes duci & lactari eorum solutiloquentia, sed neminem eis credere.

Ἀμετροεπῆ ἀκελτόμυθον *appellat: modo verba illius*] Scheffe-rinus, *appellabat verba.* sine τὸ *modo*, quod vel Carrio vel Stephanus addiderunt, insuave, cum sequatur, *sine modo.* Reg. ἀμετροεπῆ & ἀκελθόμυθον *appellabat, verbaque illius multa* & ἄκοσμα.

Οὐ λέγειν δεινὸς] Regius: Οὐ λέγειν τύγ' ἐστὶ δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος. Quod eo magis placet, quia & metro & phrasi simile est Epicharmio alii, quod extat apud Plutarchum: Οὐ φιλάνθρωπος τύγ' ἐσσ' ἔχεις νόσον· χαίρεις δίδες. Alludit Scheffe-rinus, qui Οὐ λέγειν σιγέεσι δεινὸς.

Significantissimo vocabulo λάλος *appellatos*] Fulv. *vocabulo* καλάγλωσσοι *appellatatur.* Regius, *vocabulo* καλάγλωσσοι *appellantur.* Forte, ἀψεγάγλωσσοι *appellitantur. Appellitare* 17, 20. *Sic enim me in principio recens in diatribam acceptum appellitabat.* Claudius Germanicus: *montem Cœlium occupavit* & *à duce suo Cœlo ita appellitavit.*

Cap. XVI. *Quod verba istæc Quadrigarii*] Regius, *ista hæc.* Ut & lib. 1, 23 *postulatio ista hæc.*

Varro in XVIII humanarum] *Octavodecimo* meliores apud Carrionem libri, qui tamen etiam notat Macrobium, si optimas illius membranas & editiones sequamur, hæc *septimodecimo humanarum* attribuere. At sic prorsus & perspicue Rot. Regiusque: *XVII humanarum.*

In his atque multis aliis] Reg. & Rott. *in his atque in multis aliis.*

Subcursor nullus] Et oleum & operam perdidit Carrio in hoc suo *subcursore* nobis probando. Nihil planius & verius eo, quod in vulgatis & apud Macrobium Noniumque, *succussor*, sive *subcussor* malis: cum præsertim ipse Lucilius alibi, *Succussatoris tardi tetrique caballi.* Reg. & Rot. *succustior.* Uterque etiam, *Majore in spatio.*

Neque cæteros casus requiri oportere] Id quemadmodum Lucilius ostendat, merito requiras: & tamen *oportere* accipere non quis sine τὸ *ostendit.* Rectius immo Rottend. Regiusque novam hinc orsi periodon: *Neque cæteros casus requiri oportet, cum sint alia pleraque.*

Quæ in nullum declinentur] Hic vulgo erat *inclinentur.* Et meminit Carrio sic infra, *à verbis inclinata sunt.* Buslidianam tamen scripturam, *declinentur*, se servasse, &, Aliam qui volet,

let, sibi habebit. Volumus certe habebimusque, & jubemus Buslidianum cum sua pl:beja pulpa plorare. Nostri *inclinentur*, exquisitiusque & Gellianum est. Lib. 2, 6. *Vexare autem quod ex eo inclinatum est.* Item, *Taxare pressius crebriusque est quam tangere, unde inclinatum est.*

Cap. XVII. *Irarumque & molestiarum muliebrium* &c. *satagebat*] Rot. & Regius cum Fulviano *rerumque. Τὸ satagebat* ingessit Carrio ex uno Buslid. fasius omnes edit. & membr. alias habere *scatebat.* quod tamen Latinum non esse existimo, neque locutionis illius exempla dari assevero, inquit. Immemor Lucretium ceciniisse lib. 5. *it ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatet, & trepido terrore repleta est.* Quod etiam observavit Vossius de construct. 1, 30.

Cap. XVIII. *Quod M. Varro* &c. *καὶ ἐτυμολογίας differentem falsa reprehenderit*] Sic Carrio, cum haberetur: *Quod M. Varro in libro de ratione vocabulorum XIV L. Lælium magistrum suum καὶ ἐτυμολογίας nonnullorum verborum falsa dixisse reprehendit.* Et adfirmat Regius alia, sed postrema sic edit: *magistrum suum & in ἐτυμολογία falsa reprehendit.* Et profecto *τὸ reprehendit*, mutandum non erat. Statim enim: *quodque idem Varro in eodem libro falsum furis ἔτυμον dicit.* Hoc ordine Regius. Et sic passim. Illud *falsa* tamen mihi suspectum est. Forte: *L. Ælium magistrum suum καὶ ἐτυμολογίας falsum reprehendit.* Schefferi: *magistrum suum G. falsa reprehendendum quodque.*

In quartodecimo humanarum libro] Sic Carrio, qui Ro. & Ven. *In primo de ratione vocabulorum libro*; Aldus & Gryp. *In quartodecimo rerum divinarum libro*; Ascensius, *In quartodecimo de ratione vocabulorum libro.* Aldinam adfirmant Regius, Rott. Lincoln. Schefferi: adfirmat Nonius Marcellus: *Fures significantiam habere à furvo, quod Romani veteres atrum appellaverint, & quod per obscuras atque atras noctes opportuna sit ejus malè effectio, eos dictos fures Varro rerum divinarum libro XIV.* Sic enim ibi è MSS. legendum. In eo autem libro multas vocabulorum origines eruisse Varronem testis ipse noster lib. 3, 16 & 15, 30. Atque inde est, quod mox subjicit: *Hæc Varro in primore libro scripsit de ratione vocabulorum scitissime.* Puta in primore quartodecimo rerum divinarum, in quo per occasionem rationes vocabulorum complurium exsequitur.

Verborum antiquorum Græcorum] Rottend. *nam aliquot verborum Græcorum antiquatorum, proinde atque essent propria nostra, reddidit causas falsas.* Vellem quorum non nisi excerpta video, ipsos mihi codices intueri liceret: vix enim est, ut id non plures sanciant.

Est vocabulum antiquum Græcum] Hæret hic Carrio, & vocabulum

bulum istud Græcum desiderari putat. Sed non magis id huc reponi necesse fuit, quam illa, unde *Græcus* ὁ Ἕλλην & *puteus* τὸ φρέαρ dicuntur. Satis erat Varroni alibi hæc tradidisse. Meliores prodissent de re rustica libri; nullus restaret, inquit, scrupulus. Immo ne sic quidem restat. Verba sunt 3, 12. *L. Ælius putabat ab eo dictum leporem à celeritudine, quod levipes esset. Ego arbitror à Græco vocabulo antiquo, quod eum Æolis Bœotii* λέποριν *appellabant.* Est igitur id vocabulum Λέπορις. Sed quia scripti *Æolis & bonum*, possis facere, *Æolis & Bœoti*, vel *Æolis & Iones.* Rursum Varro de L. L. lib. 4. *Lepus, quod è Siculeis quidam Græci dicunt* λέποριν· *à Roma quod orti Siculi, ut annales nostri veteres dicunt, fortasse hinc illuc tulerunt, & hic reliquerunt id nomen.* At hic, inquit Carrio, sibi repugnat Varro & sentit cum Ælio. Quî, quæso? quia Siculos ait à Romanis oriundos nomen leporis ab illis accepisse, & λέποριν vocasse: inde in Siciliam transtulisse; neque tamen minus apud Romanos reliquisse. sed Varronis verba, quæ suspecta quidem viri docti habuerint, corrupta esse, neque, ut corrigi queant sese invenire. Mihi aliter videtur. Siculi ante Aborigines tenuerunt loca, in quibus postea Roma condita est. Dionysius: Τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, παλαιότατοι τῶν μνημονευομένων λέγονται κατασχεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενὲς· χρόνῳ δ' ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν παραλαμβάνουσι πολέμῳ μακρῷ τοὺς ἔχοντας ἀφελόμενοι. Quorum Siculorum quia erat λέπορις ἀντὶ τοῦ λαγὼς, censet Varro eos id vocabulum, jam tum, quum adhuc in Latio habitarent, in usu habitum, non modo secum abstulisse trans fretum, sed & illic locorum, quæ deserebant, reliquisse.

Utantur, & illorum esse plerique ignorent] Non bene cohæret hæc oratio. Fortasse: *Multa enim vetera illorum ignorantur, quod, pro iis, aliis nunc vocabulis utuntur. Ut illorum esse plerique ignorant Græcum, quod nunc vocant* ἕλληνα.

Cap. XIX. *Mulier nimium immensum poposcit*] Qualia apud Plautum, *Insanum magnum*, & *Nimio plus*, *Nimio multo plus*, *Nimio minus multo.* Nostri tamen *nimium atque immensum*, ut olim vulgabatur. Sic cap. 2. *multa atque immodica disserebat.*

Apposuit & tres libros ex novem deußit, & ecquid] *Deussit* Carrionis est, cum legeretur *deurit.* Rottend. & Fulvianus apud Muretum lib. 2 epist. 6. *tum illa foculum coram cum igni apponit, tris libros ex novem deurit.* Verba hæc video eadem forma è Regio notata: sed hic præterea: *& si reliquos eodem pretio emere vellet, regem interrogavit.* Notum est τὸ *Si* pro *An* imitatione Græcorum accipi. Martialis: *Callaicum mandas si quid ad Oceanum?*

Cap.

Cap. xx. *Quid Geometræ dicant schemata*] Regius, *Quæ Geometræ.*

Triquetra & quadrata, quæ in area fiunt] P. Colvius ad Appuleji Apol. contendit legendum, *quæ in arena fuent*, & de docto abaci pulvere intelligendum. Speciosius quam verius. Vitruvius 1, 2. *Ichnographia est circini regulæque modice contineus usus, ex qua capiuntur formarum in solis arearum descriptiones.* Theorica Geometriæ MS. *Aut enim longitudo aut latitudo aut certe crassitudo, quæ consueto nomine altitudo a Geometris vocitatur, metiendo indagatur. Longitudo est, ut in lineis aliquam figuræ agrive aream includentibus, ut in itinerum spatiis, ut in arborum ædificiorumque sublimitatibus, ut in fluminum curruum aliarumve rerum lineari in directum posita usque ad certum terminum mensuratione: quæ videlicet linearis mensura vocatur. Latitudo ut in areæ ipsius vel planiciæ, quæ linearum certis includitur terminis, quantitate: quæ constrata vel plana dicitur mensura & Græce epipeda. Altitudo autem ut in crassitudine vel spissitudine quarundam certæ mensuræ structurarum, seu capacitate definitæ quantitatis vasorum; quæ mensura solida vocatur. Atque hinc est, quod mensuras quasdam, utpote pedes, nunc lineares, nunc constratos, nunc vero solidos vocitare solemus.*

Quales ferme sunt metæ trianguli] Gifanius ad Muretum emendat *triangulæ*, idque in Fulviano sic legi testis Muretus: nec negat in suis esse quibusdam Carrio: adseruntque Regius & Rottendorfianus.

Æqualiter in se solvitur] Apud Carrionem & calamo exaratus & antiqua editio, *æquabiliter*. Consentit Vaticanus. Et sic sæpe mavult Cicero. Ad Quintum fratrem: *Parvi refert abs te ipso jus dici æquabiliter & diligenter.*

Qui numerus ternio, qui Græce dicitur] Quatuor apud me, & *numerus*: volueratque etiam ex suis Carrio, ut prodidit in Notis.

Cap. xxi. *Inventum est: nec est aspernatus auctoritatem*] Unius Busslidiani germanam hanc lectionem censuit Carrio: in qua tamen facile aliquid scabri & male connexi apparet. Antea multo rotundius: *sed in carminibus Lucretii inventum non est aspernatus auctoritate poëtæ ingenio & facundia præcellentis.* Mulcet tamen magis *non aspernari auctoritatem*, quam *non aspernari verbum auctoritate*: & in Rot. Schefferique video, *Lucreti inventus est non aspernatus auctoritatem.* Fortasse, *inveniens non est aspernatus auctoritatem.*

Cap. xxii. *Superesse se ei quod defendit*] Sic Carrio, quum esset, *superesse id quod defendit.* Forte etiam legendum: *superesse se ei quem defendit.*

Ut id quoque videatur non defuisse] Anagnosten audisse veteres inter epulandum notissimum est. Testes Cornelius Nepos in Attico 14, Plinius Paneg. 49, & lib. 3 epist. 1 & 5. lib. 9 epist. 1 & 17. Juvenalis Sat. 11. Noster 2, 22. & 3, 19. In his autem, quæ legerentur, tria requirit Varro, ut essent βιωφελῆ, ut jucunda potius quam austera, ut ne nimia. Hoc est, *ut id quoque*: quibus significat, talia quoque hactenus, & usque in eum finem, ut lectio omnes numeros convivii liberalis implesse, non aliquid supervacui & propter copiam fastidiendi detrusisse videatur. Recte igitur Carrio, & frustra Barthius 35 adversi. 6.

Remque quæ agebatur] Non indocte Barthius, *qua de agebatur*: sed illud tenent scripti & sollicitandi nulla ratio est.

Ego illi, vir clarissime, supersum] Contra primus, quod sciam, Janus Palmerius Mellerus 4 Spicilegiorum docuit ex Suetonio, Ulpiano, Institutionibus, *supersesse* pro præsse aut præsto esse in judicio Latine dici. Tentavit ex Cicerone 1 de Orat. 37 Guilelmius, sed infeliciter, opinor. Arnobium auctorem addidit Stewechius. Qui post hos hoc tanquam de suo, aut sero aut malo more egerunt. Carrio Gellii opinionem contra ineptissimas Spicilegi calumnias in Emendationum libro sexto se defendisse ait. Iracundius quam decebat. non enim sunt hæ calumniæ, nec potest aut debet hac parte Gellius defendi. Itaque in ipsum redundat, quod subjicit: ἢ δεῖ σωφρονεῖν ἢ λέγειν ἀμείνονα.

Supersuit, significare videtur, supra fuit & præstitit] Barbarismum esse criminatur Barthius: neminem legendo unquam comperisse dici *supra esse alicui*: ne Afrorum quidem, quod genus aliarum rerum audacissimum sit, ita posuisse. Sed τὸ *alicui* non est apud Gellium: qui *supra fuit* dixit, quemadmodum ter Virgilius: *& toto vertice supra est.*

Græcos ζῆν in utramque partem ponere] Sic Carrio, cum esset, *Græcos enim ζῆν etiam in utraque parte ponere.* Princeps editio: *Græcos enim ζῆν id est vivere adesse vicisse etiam in utraque parte ponere.* Veneta Pincii similiter, nisi quod *tam* pro *etiam.* Facile intelligeres τὸ *id est*, *vivere adesse vicisse* interpretis esse: itaque in Aldina sublata sunt. Carrio nescio cui veteri editioni attribuit: *Gr. en. ζῆν vivere adesse vicisse tam in utraque.* Hoc arripuit vir doctus, & τὸ *vivere adesse* quidem pro expositione delevit, at ex *vicisse tam* conjecit *vicissatim.* Sed contundunt contemnuntque ista Regius & (qui alioqui pauca suis literis Græca expressa habet, quod unum ei ad summam bonitatem deest) Rottendorfianus exhibendo plane

ac

ac perspicue: *Græcos enim ἄφατον in utramque partem ponere.* Mox etiam uterque, *sic nostros quoque veteres.*

Pro superfluenti & supervacuo] Tres nostri: *pro superfluenti & vacuo.* Regius, *pro superfluenti & vacibo.* hoc est, *vacivo.* Utrumque doctius. Nam & *vacuum* pro supervacuo exquisitum, & *vacivus* pro vacuo antiquum & Plautinum est. Tres libri quoque apud Carrionem *vacuo*: sed hæc librariûm σφάλματα sunt, inquit ille. Longe secus sentio. Suetonius Claudio IX. *In vacuum lege prædiatoria venalis pependerit.*

Virgilius ἀκυρωτέρῳ verbo] Sic Carrio. Priores, *ἀκυρώτερον.* Nostri: *hoc enim in loco Virgilius ἀκυρώτερον eo verbo usus est.*

Quod quidem divise pronuntiandum est] Binæ membranæ apud Carrionem ut & nostræ primaque & Veneta editio: *quod quia id est divise.* Videri fuisse in autographo, *quod quia idem est*, & factum ex *idem τὸ id est* (ut quidem voluisse eum puto. nam expressum est, *idem* ex *id est*) censet Carrio. Ego verò etiam quid hic sit, *quia idem est*, prorsus ignoro: certum autem habeo excidisse vocem Græcam, quæ significet id, quod sive Gellius, sive aliquis interpres reddidit *divise.* Atque id potest fuisse διηρημένως vel διαιρετικῶς.

M. Ciceronis ad Plancum] Sic Carrio, cum inveniret *ad L. Plancum.* Cnæus enim Plancus vocandus erat, inquit, & id contendit non modo I Emen. XVIII, sed etiam in his notis. Negligentiam satis supinam! Quis enim ignorat L. Munatium Plancum, bis postea consulem censoremque bello Mutinensi, è Gallia, quam proconsule obtinebat, se reipublicæ venditantem? quam post paullo desetuit & trium virorum satelles factus diritatem proscriptionis auxit triumpho de Rætis ducto & in tam gravi crudoque luctu mœrentibus gaudere coactis? *Plancium Cnæum* novimus, non *Plancum.* Asinio verùm est *C.* non *M.* prænomen deberi. Sed quid necesse est copulam exigi? quam & servant nostri & studiose ab auctore interpositam puto: ut in illo, *in dies triginta inque denarios centenos.* Si qui acceperunt imperite, ipsi luant; non Gellius, qui recte scripsit: *in libro epistolarum M. Ciceronis ad L. Plancum, & in epistola C. Asinii Pollionis.* Quasi esset, *& quidem in epistola.*

Cap. XXIII. *Cum in senatu res major quæpiam consultata*] Valde laborat & in universa hac periodo constituenda & in verbis nonnullis Carrio: parum tamen aut nihil efficit. Nam si compingi unam in periodum oportet, *cùm in senatu, & Mater Papirii*, ut vulgo distinguitur, necessario *prolata esset, placuisset que*, scribendum est. Itaque non sibi constat in eo quod edidit, adoptatque ex veteri editione. *Tunc quidem in senatu.*

Affert tamen & ex Put. membranaceo: *Tum cum in senatum res major quæpiam consulta, eaque in diem posterum prolata est.* In quo miror eum non vidisse *ro consulta* multo magis Gellianum esse quam *consultata*. Regius quoque & Fulvianus & Scheff. *Tum cum in senatu.* Scribe: *Mos antea senatoribus Romæ fuit in curiam cum prætextatis filiis introire. Tumque in senatu res major quæpiam consulta, eaque in posterum diem prolata est, placuitque, ut hanc rem, super qua tractavissent, ne quis enuntiaret, priusquam decreta esset. Mater Papirii &c. Tumque*, id est, & illo tempore.

Silentium deberi puer affirmans] Suspectus incipit mihi fieri Buslidianus ille ubique supplementis tumens. Quis non videt hoc esse à mala manu? multoque commodius omnes alios libros: *Secretum rei & silentium pueri animum ejus ad inquirendum everberat.* Ille tamen docet etiam nihil magis proprie dictum, & ex promisso debitum sequi, & in jure civili generale verbum *debendi* esse, tum reipublicæ debitores ex reliquatione & pollicitatione fieri. Hoc scilicet deerat. Nesciremus alioqui jurisconsultum fuisse. Pro *everberat* Pricæus *evibrat* ex cap. 11 hujus libri.

Utilius magisque è republica esse] Ex Macrobio hoc inflixit nostro Ludovicus, cum omnes editi scriptique: *utrum videretur utilius exque republica esse.* Quod ego exquisitum & simile ducebam illi apud Senecam de const. Sap. 11. *Ut quisque contemptissimus & ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est.* Et apud Livium lib. 1. *eo majore gaudio quo prope metum res fuerat. Utilius ex que republica* est magis utile & è republica.

Ne introeant nisi ille unus Papirius] Lincoln. *introeant præter unus ille Papirius.* Rottend. *præter ille unus Papirius hocque puero postea.* Regius: *præter ille unus Papirius, atque puero postea cognomentum honoris gratia in litum Prætextatus.* Nec dubito, quin idem invenerint Carrio & eclogarii mei, sed id tanquam insolens & non ferendum in super habuerunt: perinde ut Macrobius, qui reddidit, *præter illum unum Papirium.* Muretus certe in Fulviano sibi lectum testatur, *ne introeant præter ille unus Papirius.* quod in Excerptis, quæ habeo, prætermissum est. At Gellius bonos auctores secutus est. Trogus Pompejus lib. 13. *epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatium exsules, præter cædis damnati restituebantur.* Eodemque libro: *ut nihil hostis victor suarum rerum præter incendii spectaculo frueretur.* Suetonius Claudio 4. *nullo præter auguralis Sacerdotii honore impertitum.* Varro 1 de re rust. 41. *quare ex terra potius in seminariis furculos de ficeto, quam grana de fico expedit obruere, præter si aliter nequeas.* Cicero lib. 5 ad Attic. ep. 3. *nullas enim adhuc*

adhuc acceperam præter quæ mihi binæ semel in Trebulano redditæ sunt.

In ætate prætextata prudentiam] Miror hic mutum Carrionem, cum Reg. & Rottend. *in ætate prætextæ prudentiam*: quemadmodum & apud Macrobium exstat.

Cap. XXIV. *Itaque postquam est Orchino*) *Orcino* in Notis recte Carrio, ut *Orcini liberti*, *Orcini senatores*, *Orciniana sponda*. Acidalius malit, *ita qui postquam*. Si quid mutandum, potius vellem, *oblitæ sunt*.

Loquier Latina lingua] Sic Ludovicus, cum esset *Latina lingua loquier*. At quod in unis ejus & illis recentioribus erat membranis, id satis antiquæ & optimæ probant nostræ in Reg. Rottend. Lincoln. *loquier Latina lingua*. Acidalius cur maluerit *loquei*, rationes edat ipse.

Postquam morte datus est Plautus] Sic habere meliores codices MSS. notat ad Catalecta Scaliger, atque ita legendum esse decernit. Alciatus, *postquam est morte captus*, vel *catus* pro altero: quod rejicit Gerh. J. Vossius, & veram scripturam esse ait veterum librorum: *postquam est morte datus*. *Morte* pro *morti*, lib. II de arte Gram. cap. XVI. Carrio autem scribit esse qui in veteri nescio quo codice *mortem aptus* exstare monuerint: quam scripturam in nullo exemplari se repperire potuisse. Quid dicas, nisi hac parte infelices fuisse? Ego è regio fida manu exsignatum, in Rott. cummaxime his oculis scriptum video: *postquam est mortem aptus Plautus*. Fatetur tamen Carrio, si hoc MSS. fovere verum sit, nihil posse commodius excogitari *Mortem aptus*, ut Nepos Cornelius in Attico: *nactus est morbum, quem initio ipse & medici contempserunt*. Suetonius in Tito: *ad primam statim mansionem febrim nactus*. Et idem forte in vita Virgilii: *dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est*. Nec dissimile illud Terentii: *More hominum evenit, ut quod sum nactus mali, prius resciscere tu, quam ego, quod tibi evenit boni*. Higinus Astron. de Ophiucho: *mala plurima perpessus aliquando mortem adeptus*. Quin & secundo Tristium Ovidius: *at nullum crimen adeptus eram*. Suetonius in Domitiano: *quod post destitutionem Neronis, in adipiscenda morte, manu ejus adjutus existimabatur*. Idem significat Fulvianus, qui *mortem adeptus*. Quod igitur omen suis in Plautum Divinationibus dedit Valens, cum in ipso aditu hoc Plauti elogium tam immiseri corditer excarnificabat? Τῶν ἀδυνάτων facit sibi versibus longis vel heroicis usum Plautum. *Mortem aptus* nullo quantumvis insubido scriptore, nedum Plauto dignum pronuntiat: denique senarios expatrat: *Postquam Marcus Attius Plautus est demortuus, Deserta scena est & luget comœ-*

dia. postremum, *Et numeri innumeri simul omnes conlacrumant:* nam tertio fatetur se medicum non esse. Utinam nulli horum esse voluisset!

Uti ad se aspiciat] Acidalius: *Uti ad se aspiciens endo quod scriptum est legas.*

Poëtæ Marcei Pacuvici sita] Omnes edd. antiquæ, *Pacuvii Marci.* Scaliger mutavit in Catalectis, & secutus est Carrio, non tamen è codd. Gellianis, sed è quibusdam collectaneis ponens, *Marci Pacuvii*: & addens nihil referre quomodo scribatur. Si nihil refert, cur non relinquitur vetus? nam haud dubie membranæ ejus, ut & nostræ, *Pacuvii Marci.* Et de industria sæpe sic ordinem nominum invertisse antiquos ad Livium & Senecas diximus.

Cap. xxv. *Quam plena aut proba esse*] Reg. quoque & Rotten. *plana*, ut omnes Carrionis, præter unas, quas optimas appellat. Lincoln. & Quintus, *planata.* Infra: *magis festive quam aperte atque definite.*

Si induciis in mensum aliquot factis castris concedatur] Sic omnino Rot. *in mensum aliquot:* in Regio, ut & Fulviano, aberat præpositio: constabat tamen utrique ut & Schefferino, *mensum*, Ovidio quoque & Senecæ in Tragœdiis usurpatum. Dein reg. & Rot. *factis in oppidi castris concedatur.* Recte, modo literam commutes unam, scribatque *in oppida.* Nam *concedere castris*, ut *vita concedere* Tacito, primo annali: *Ut Agrippa vita concesserit.* Et sæpius. Virgilius 10. Æneid. *Jamque dies concesserat.* Silius lib. 3. *Solioque Quirinus Concedet.* Noster 2, 16. *Cum hominum vita discessisset.* Possis etiam legere: *induciis mensum aliquot pactis.*

Significantius consignantiusque] Reg. & Rotten. *consignatiusque*, secus atque Carrioniæ. Sic lib. 2 cap. 1. *Quam lepide designateque dixerit.* Et cap. sequenti: *qui proprie atque signate locuti sunt.*

Exempta una litera sonitus vastioris & subjuncta levioris] Rot. & reg. *subuita.* Lege, *subdita* vel *subjecta.*

Jam diu est quod quærimus] Fulvianus, Reg: Rott. *jam diu est cum quærimus.* Ut apud Plautum Mer. 3, 1. *Jam biennium est, cum tecum habet rem?* Et, *Nam illi quidem haud sane diu est, cum dentes exciderunt.*

Ut in diem certum non paguetur, nihilque incommodi detur] Tres eidem: *nihilque incommodetur*, Terentii & Ciceronis verbum. Ille in Andria: *magis id adeo mihi ut incommodet Quam ut obsequatur gnato.* Hic pro Quintio: *cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint.*

Quod dicitur dies certus præfinitus) Nihil mali est in hac lectione:

ne: scripti tamen suspicionem movent. Reg. enim & Rott. & Schefferi: *præfinitur*. Ut videantur velle: *Quod igitur certus dies præfinitur, pactumque fit.*

Utrimque utroque alteri ad alterum] Quare hoc maluerit Carrio quam *alteri ad alteros*, quod prius legebatur & exstat in nostris, ignoro: jam enim cessant ejus Notæ, finitæ ad illud ἐκχειρίζω *dixerunt*. Gebhardus hoc quoque ex Pal. revocavit 2. Ant. Lect. 6. sed quod ille amplius, *utrimque ultro citroque*, non apparet in nostris.

Inde ab eo, inquit nomen &c. quasi initus] Reg. Rot. Var. Schefferi: *Inde adeo, inquit, nomen esse factum videtur, quasi inviæ, hoc est, initus atque introitus.* Forte *initiæ*, ut voluit Lambecius.

Cap. XXVI. *Et in ipsis commentariis*] Sic jam in Aldina. At scripti & prima editio, *in ipsius commentariis.*

Non ita esse Plutarchum, ut diceret] Gebhardus è Pal. *ut deceret: philosophum irasci turpe esse*, 1 Antiq. Lect. 6. Fulvianus *ut deceret philosophum esse.* Reg. & Rot. *non ita esse Plutarchum, ut Philosophum deceret: irasci turpe esse.* Sic & tollitur ambiguitas, & vera opinor lectio datur. Ipsum enim irasci volunt turpe esse, & cuivis; non modo Philosopho. Schefferi *doceret.*

Dum ego atque hic disputamus, hoc tu age] Fulvianus, Reg. & Rot. *tu hoc age.*

Aliud ἀνάλγητον καὶ ἀναίσθητον. Nam aliorum omnium] Regius: *aliud ἀνάλγητον & ἀναίσθητον, id est hebetem & stupentem.* Rottend. *aliud Gr. 1. ebetem ac stupentem.* Prima quoque editio: *aliud ἀνάλγητον καὶ ἀναίσθητον id est hebetem ac stupentem.* Dein uterque calamo exaratus: *nam sicuti aliorum omnium.* Quæ vox omnino desiderabatur.

AD
A. GELLII LIBRUM II.

CAp. 1. *Deque ejusdem viri patientia*] Si sic scripsit auctor, τωὐθλογεῖ, ubi necesse non est. Scribe: *deque ejusdem viri parcimonia.* Temperantiam ejus in victu frugalitatemque intelligit. Justinus lib. 3. *Parcimoniam omnibus suasit, existimans laborem militiæ assiduæ frugalitatis consuetudine faciliorem fore.* Noster 2, 23. *Parsimonia & victus atque cœnarum tenuitas.*

Firmamentum id quoque] Cum Regio, Rottend. Fulviano fac habeas: *corporis adfortuitas patientiæ vices firmandi, id quo-*

que accepimus Socratem facere insuevisse. Livius lib. 27. *Inde cibo corpora firmare jussi, ut si longior esset pugna, viribus sufficerent.* Aurelius Victor de Mithridate: *quia adversum venena multis antea medicaminibus corpus firmarat.*

Inconnivens, immobilis] Sic MSS. Colvius ad 2 Metamorphosin, *inconnivus*, quo Appulejus solet uti.

In bello Peloponnesiaco imprime ipsam Atheniensium] Quis non delectatus est τῷ *imprime?* At ex errore natum & hic duntaxat abolendum est. Iam tamen Romana & Veneta fovent editio, & inde revocavit Carrio cum Aldus & deinceps dedissent *inprimis.* Sed scribendum ex Fulv. Reg. Rott. Lincoln. *in belli Peloponnesiaci principiis Athenienſium civitatem.* Secundo enim ejus anno contigit. Agnosco etiam originem corruptelæ in Rot, in quo est: *belli Peloponnesi ac ipne ipis athenienſium*: & quod ex regio annotatum: *belli Peloponensi acri principis athenienſium.* Mox lege: *iis parcendi moderandique rationibus*, non *is.*

Cap. 11. *In discumbendo sedendoque atque in id genus rebus*] Nihil hic intolerandi. Quia tamen regius, *atque in genus*, fortasse satis habuit semel præpositionem posuisse, & scripsit: *atque id genus rebus.*

Patrem Præsidis ut sederet] Rot. *uti sederet.*

Patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus] Sic MSS. Chr. Colerus Parer. cap. 20 ex Salisberiensi: *qui in magistratu sunt aut potestatibus.* Quod quæ necessitas imperet, non video. Tum satis durum illud, *jura patrum cum filiorum collata.*

Iis honoribus prius quibus domi] Regius: *prius huc usque quibus.* Nunquid *iis honoribus privilegiisque quibus domi quoque vestræ te uti priorem decet?*

Neque descendere voluit quod pater erat] His verbis si fides, Fabius non movit sese, quod patrem non oportere submitti consuli filio judicaret. At id falsum: voluit enim descendere, ac sensit hoc fieri oportere, sed contatus est, ut tentaret filium. Quare suspicabar: *Neque descendentem ultro, quod pater erat & quod inter eos ferebant maxima concordia convenire, lictores non ausi sunt descendere jubere.* Quod est, & lictores, cum sponte non descenderet Fabius, veriti sunt animadvertere, memores patrem esse consulis & egregie concordes esse. Lictorum hæc argumentatio tacita erat, non Fabii. *Neque descendentem*, est, *& non descendentem.* de quo genere ad Statium. Sic infra cap. 4. *neque utra*, pro, *& neutra.*

Cap. 111. Ἰχθὺν Ἰέρυν *multa itidem talia citra morem*] Verterant *piscem pauperem:* quod reprehendit Badius, & *sacrum piscem* facit. Sed MSS. Ἰχθὺν & Ἰέρυν *& multa itidem talia contra morem.* Ergo ut ἰχθὺν ἀντὶ Ϝ ἰχθὺν, ita Ἰέρυν ἀντὶ Ϝ Ἰέρυν.

Inspi-

Inſpirantis primæ literæ] Videtur quæſitus nitor, *inſpirans litera*, pro aſpirata. Quamquam poſſis cogitare, *inſpirantes primam literam.* Sed nihil auſim mutare.

Fidum Optatum multi nominis] Ita interpolaſſe Stephanum ſcribit Barthius 35 adverſ. 7, cum legeretur *fidum optatumque*, unde conjicit *fidum opinatumque*. Sed noſſe debuit non illum, ſed recentiores interpolaſſe, quod erat in editione prima, idque reduxiſſe Carrionem. Video etiam in Rotten. *fidum obtatum multi Optatos* autem complures exhibent Lapides antiqui. *Optatus* è libertis Claudii præfectus claſſis, Plinius 9, 17.

Quem ipſius Virgilii fuiſſe credebat] Reg. & Rot. *credebatur*, Prægnantius; ſignificat enim non unius Optati, ſed commune codicem illum noſcentium id judicium fuiſſe.

Accuſatio ſubſcriptione in reum] Immo *accuſatio ſubſcriptiove in reum*, ut ſcripti editique veteres.

Quoniam divinare quodammodo judicem oporteat] Romana editio, *oportet*. Lincoln. *judex oportet*. Rot. & Reg. *divine quodammodo judex oportet*. Fulvianus: *divinet quodammodo judex oportet*. Hoc verum. Cicero primo de Oratore: *ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio.*

Sed videtur eum ſignificare velle] Ex Reg. Rot. Vat. *videtur tamen ſignificare.*

Judex ea quæ dicit] Jam apud Aldum ſic depravatum, non in Romana, non Veneta, quæ ambæ, *didicit*, quemadmodum etiam ſcripti: & conjecit Guil. Ranchinus 1 Var. 3. Non patronus modo, ſed & judex cauſſam diſcit. Seneca in ludo: *Quo non alius potuit citius diſcere cauſſas, Una tantum parte audita, Sæpe & neutra.*

Sed alii quidem divinationem] Lege è ſcriptis, *alii quidam.*

Cap. v. *Atque id commodiſſime facias*] Reg. Lincoln. & Rot. *commodatiſſime*. Iidem cum editt. Romana & Veneta: *de elegantia tamen detraxeris.*

Cap. VI. *Debet vis vera atque natura verbi*] Malim, *vera atque nativa verbi.* Sic lib. 9. cap. 9. *nativæ dulcedinis.*

Direpta eſt, ut non ab hoſte] Rottend. & Lincoln. *non ut ab hoſte*, quemadmodum & apud ipſum Tullium legitur cap. 55. Ibidem *religionum*, ubi noſtra exemplaria *religionem.*

Unum eſt ejuſmodi] Rot. & Lincoln. *ejuſcemodi*. Rott. Reg. & Aſcenſ. *hujuſmodi.*

Πολλάκι γὰρ ἡ μωρὸς] Miror unde iſte μωρὸς invaſerit, niſi forte ex Macrobio Saturn. 6, 7. Regius & Pal. teſte Gebhardo, & utraque vetus editio: Πολλάκι καὶ κηπωρὸς· vel κηπερὸς. Fruſtra muneris omnium plane antiquiſſimi injuriam inſignem, ut fatuum illud μωρὸς defendat, miſeratur Gatakerus Adverſ. miſcell. 1. 7.

Sic in actionibus autem civilibus laudari id dicitur] Ita transposuerunt τὸ *autem*, cum reperissent in scriptis: *Sic in act. civilibus autem*, & addiderunt τὸ *id*, quod in illis non erat. Verum tenuerunt Macrobiani codices: *sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari.* Hoc voluit & Gifanius ad Muretum & à Carrione Stephanus edidit. At quod sequitur, Reg. & Rot. *Inlaudatus autem est quasi inlaudabilis.* Macrobius: *Illaudatus ergo.*

Templum Dianæ Ephesiæ] MSS. & prima editio, *Efesi*, vel *Epheſi incenderat.* Quod cur mutarent, causæ nihil erat. Est enim, ut Græcis τὸ ἐν Ἐφέσῳ ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος. Vitruvius lib. 2. *Epheſi in æde simulacrum Dianæ.*

Et hic quidem Poëta locis aliquot] Apud Macrobium, *hic idem:* & præfert Meursius 4. miscell. 9.

Squallere enim dictum est à squamarum] Rott. & Lincoln. τὸ *est* ignorant.

Cap. VII. *Subtilissime dijudicaverunt*] Reg. & Rot. *dijudicarunt.*

Omnibus quæ pater imperat] Fulvianus, Reg. & Rot. *Omnia quæ pater imperat parendum.* Quod genus loquendi doctius & à vulgo remotum hic displicuit; at mox toleraverunt. Est autem contractum eo, quod integrum fuit, *per omnia, quæ pater imperat, ei parendum.*

Quæ sua vi recta aut honesta sunt] Meursius trajiciendum censet: *aut honesta sunt aut turpia sua vi. quæ recta aut honesta*, 4. Miscel. 9. Miscere videtur, quæ separanda sunt. Nam illud propositum, *Omnia quæ in rebus humanis fiunt, ita uti* (sic enim optimi codices) *docti censuerunt, aut honesta sunt aut turpia*, hoc, inquam, propositum sophistarum est. Cui subjicit Gellius, *quæ sua vi recta & honesta*, hoc est, se istud admittere in illis, quæ non nisi recta & honesta sunt, quæque omnino & ubicumque turpia atque iniqua sunt; & priora oportere fieri sive præceperit pater, sive non: præceperit; posteriora nec si præceperit. At tertium esse genus μέσων & ἀδιαφόρων, (tum MECTAΔIAΦOPA, regius) quod quia dissimuletur in argutiola illa, ideo illam reprehendit ut imperfectam.

Catilina aliquo aut C. Bibulo] Gifanius ad Muretum & Lipsius 1 Ant. 10 de conjectura, ut ajunt, ille *aut Tubulo*, hic *aut L. Tubulo* correxere. Nos in Rot. plane ac sine ambiguitate videmus, *aut tubulo.*

Non est ergo integra propositio dicenda] Fulvianus, Reg. & Rott. *dicendum.* Lege *dicentum*, vel *dicentium*, ut voluit & Muretus.

Neque ὑγιὲς νόμιμον διεζευγμένον videri potest] Suspectum hoc

hoc Stephano: cum enim τὸ νόμιμον adjectivum sit, æque atque τὸ ὑμέτερος, particulam connexivam, interjici oportere. Acu rem tetigit, nam regius, ὑμὲς & νόμιμον.

Deest enim disjunctioni isti tertium] Reg. & Rot. *dijunctioni.* Varro lib. 1. de re rust. 2. *Dijungamus igitur, inquit, pastionem à cultura.* Noster lib. 16, 8.

Potest ita concludi, Nonnunquam est igitur] Regius; *non potest ita concludi, Nunquam est igitur parendum.* Satis commode; nam hæc istorum conclusio fuerat. In Rottend. etiam *Nunquam* est pro *Nonnunquam.*

Cap. VIII. *A Plutarcho peracta sit insyllogismi*] Regius, *pacta in syllogismi.* Lege, *facta.* Et omittitur merito τὸ *sit*, nam pro more suo potius τὸ *Est* intellexit auctor.

Sumere debuit: ὁ θάνατος] Regius, τὸ θάνατον εἶναι ψυχῆς κὴ σώματος λύσιν.

Epicurus cuicuimodi homo est] Rottend. *cuimodi*, ut voluit Gifanius: qui de hoc multa congessit in Observationibus L. L. sed adeo non distinguit *cuimodi* & *cuicuimodi*, ut alterum prorsus aboleat. Sed cum utrumque in MSS. & quidem emendatissimis reperiatur, apparet utrumque in usu fuisse: ubi autem utrum commodius, ex sensu potius quam ex librariorum inæquali cura judicandum. Ita autem differre videntur, ut *cuimodi* sit qualis vel quale, *cuicuimodi* qualiscumque vel qualecumque. Veluti apud nostrum 14, 1. *Atque illud etiam cuimodi esset, considerandum putabat.* Id est, quale esset, cujus generis, quam bene conveniens foret. Eodem libro cap. 6. *Cuimodi sint, quæ speciem doctrinarum habeant.* Lib. 21, 1. *Cuimodi sint ea, quæ reprehendisti.* His omnibus locis certum est τὸ *cuicuimodi* non posse poni. At lib. 9, 2 *Demus huic aliquid æris, cuicuimodi est,* & Lipsius in membranis, quas laudat eximie bonas, & nos in binis haudquaquam malis invenimus. Significat, qualiscumque est. Lib. 13, 21. *Ac ne id quidem prætermittendum puto, cuicuimodi est.* Sic in unis & nos; in duabus *cuimodi.* Lib. 18, 3. *eandem illam sententiam diserti viri, cuicuimodi posset, verbis dicere.* Id est, quibus-quibus vel qualibuscumque posset. Lib. 20, 1. *Quoniam satis esset invalido cuicuimodi vectabulum.* Sic recte Carrio: etsi nostræ tantum *cuimodi.* Cicero de finibus 3, 9. *his tamen omnibus eos antepono, cujusmodi sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt.* Lambinus, *cujuscujusmodi sunt*: Gifanius retinet vulgatum. At in membranis bonæ notæ reperi, *cuimodi sunt*: neque aliud significat ille apud Gruterum mutilus, quem ait habere tantum, *eos ante potuimodi sunt*: elisum enim tantum *No.* Ergo scribe, *cuicuimodi sunt.* Quo Ciceronem pro Sex. Roscio usum testis locuples Priscianus in

tertiodecimo: quod eidem ad Atticum 3, 22, in fine tertii quartique Tusculanarum, inque secundo de legibus ex certissimæ fidei scriptis restituit Victorius: quem qui falli decrevit & *cuiusmodi* Latinum non esse, parum cavit ipse, ne quid asperius dicam.

Cap. IX. *Ab Epicuro dictum insectatus sit*] *Insectatus est* solet malle noster.

In Epicuro accusando λέξεις τηρεῖ] Ex Fulviano video notatum θηρει. At Regius plane λεξιθηρει. Huic enim debet, quod sic legendum præcipit ad Solinum p. 1467 Salmasius. Λεξιθηρεῖν autem apud Epiphanium dici & λεξιθήρας vocularum aucupes, qui in sacris literis ψιλὰς λέξεις accipiebant, quæ traherent ad falsorum dogmatum confirmationem, docuit Casaubonus ad Athenæum 3, 19. His obnuntiat Reinesius Var. 1, 6, & deceptum esse Casaubonum dictitat, qui cum in accusandi casu πληκτικῶς legisset alicubi λεξιθήρας quintæ declinationis eam terminationem esse opinatus sit; eumque aliter sensurum fuisse, si à simplice θήρα, θηράω, θηρεύω deducta & composita introspexisset. Equidem θηρᾶται λέξεις dicit Epiphanius lib. 2 Panarii p. 751. ἔτι δὲ πάλιν ὁ αὐτὸς Αρειος θηρᾶται λέξεις, ψευδοσῶν ἀεὶ τὰ πάντα, καὶ ψευδεργαζόμενος ἑαυτῷ τὰ μαχητά, οὐχ ὡς ἔχει τὸ θεῖον γράμμα, ἀλλ' ὡς αὐτὸς νοσῶν &c. Suidas: Θηρολέξης ὁ τὰς λέξεις θηρώμενος. Rursus: Θηρατὴς λέξεων, θηρευτὴς ἐστι ζώων χερσαίων καὶ ἐναλίων. Sed tamen idem: Θηρῶντες, ἐπιτηροῦντες. Et ipsum si quis Epiphanium diligentius evolverit, facile tantæ negligentiæ crimine Casaubonum liberabit. Quid enim? An non nisi λεξιθήρας accusandi casu alicubi legit, qui legit Panarii libro 2 p. 785. Προπηδήσαντες τοίνυν οἱ λεξίθηρες οὗτοι, ὡς φθάσαι καὶ ἐχθροῦ εὐράμματος ἐπιφέρεσθαι λέγοντες. qui pag. 801. ψευσελίπετο δὲ τοῖς λεξιθήρεσι τὸ ἅγιον πνεύματος ἁγίᾳ προσώπῳ. Hæc profecto non nisi quintæ declinationis sunt, nec possunt aliunde quam à λεξίθηρ derivari. Similiter quod invitis illi Musis Gratiisque fictum videtur λεξιθηρεῖν, idem habet Epiphanius lib. 1 p. 149. κἂν τε γὰρ Ταρσέα ἑαυτὸν εἴπωσι, ὅτι ἀπὸ τούτου πάντως δέδοται πρόφασις τοῖς λεξιθηροῦσι τὰ εἰς ἑαυτῶν κατασρφὴν καὶ τῶν πεπλανημένων ἔτως ἔχειν. Eodem pag. 389. Κεχρῆσθαι δὲ οἱ τοιοῦτοι καὶ ἀποκρύφοις πᾶσιν, ὡς ἀκηκόαμεν, ἀλλὰ καὶ ἐν μέρει παῖς ῥητοῖς βίβλοις, λεξιθηροῦντες ἐκεῖνα μόνα ἃ πιανᾷ καὶ τῷ τοῦν αὐτῶν ἀβουλήτους ἑτέρως μεταχειρίζονται. Ubi tamen editur λεξιθηρῶντες. Lib. 2 p. 456. Ἐπαίρονται δὲ πάλιν τῇ διανοίᾳ οἱ αὐτοὶ λεξιθηροῦντες ἀπείρως. Eodemque pag. 771. Ἀλλὰ λοιπὸν λεξιθηροῦντες τὰ καλῶς καὶ ὀρθῶς εἰρημένα κατὰ τῆς γραφῆς. Socrates histor. Eccles. lib. 6, 20.

Καὶ

Καὶ πολλὰ μὲν αὐτῷ βιβλία συγγέγραπται· λεξιθηρεῖ δὲ ἐν αὐτοῖς, καὶ ποιητικὰς ἀξιμίγνυσι λέξεις. Quod ex eodem repetit Suidas in Σισίννιος. Sed repugnat analogia, quæ ὁ λεξιθήρας nominandi casu requirit & λεξιθηρᾶν. Hic ergo nodus ut solvatur, cogitandum erat; non temere pronuntiandum auctore carere, quod certum ac præsentem habet. Quid dicemus igitur? nempe τὸ λεξίθηρ esse ἀποκεκομμένον ex λεξιθήρ ος vel λεξιθήρας, quemadmodum λίπα pro λιπαρῆ, κάρα pro κάρηνον, δῶ pro δῶμα, ῥα pro ῥάδιον· λεξίθηρ ος & λεξίθηρ placuisse, ut μάρτυρ ος & μάρτυρ, διάκτορ ος & διάκτωρ, & similia: & ab hoc esse formatum λεξιθηρέω, non à θηράω. Sic πμάω, at φιλοπμέομαι à φιλόπμ ος· sic τολμάω, at ἀτολμέω ab ἄτολμ ος. Tale est & σκιοθηρεῖν apud Hesychium: Φρέαρ ὀρύττειν, σκιοθηρεῖν· οἱ γὰρ ἀπὸ τῶν μαθημάτων εἰώθασι τὰς μεσαναρήσεις λαμβάνειν καὶ σκιοθηρεῖν ἐν τῷ φρεάτων.

Cap. x. *Ut pluribus gradibus in eandem*] Reg. Lincoln. Rot. *in eadem.* Lege, *in ædem conscenderetur*, id est in ipsum Capitolium, ut prodidit Salmasius ad Solin. p. 1211.

Quæ in area sub terra essent] Colerus *subterrea* vel *subterna.* Quid opus? Proprie non area magis quam atrium intelligitur nisi locus subdivalis. At poterant cisternæ, cellæ, cryptæ ipsa in æde sub pavimento esse: non erant hæ tales, sed in area ædis sub terra. Nempe area est non modo superficies, sed omne illud, quod à solido emunitum est: cujus partem aliquam necesse est esse superficiariam & conspicuam, partem sub terra tectam.

Quædam religiosa donariis consecratis] Editiones antiquæ: *religiose donariis consecrata.* Rott. *religionise donis consecratis.* Regius, Fulv. Lincoln. *religiose donis consecratis.* Scribe, *religiosa e donis consecratis*, ut præcepit Salmasius.

Æditui Capitolini uterentur ad custodiendum] MSS. *æditui Capitolii uterentur ad custodiendas.* Et posterius quidem antehac vulgo edebatur: neque asslequor, quare vel Carrio vel Stephanus mutaverint.

Cap. xi. *Plus quam credi debeat, strenuum*] Reg. *credi queat.*

Populi militaria dona habuit] Nihili sunt illa *militaria dona populi.* Regius & Rot. ignorant τὸ *dona.* Vaticanus *spolia* pro *populi.* Forsan ergo: *Spolia militaria habuit multijuga.* Nec me fugit etiam τὸ *militaria* delere Salmasium. Sed cur non dixerit *spolia militaria* quæ Valerius Maximus *spolia ex hostibus*, Solinus *ex hoste spolia?* Puto tam constare, licet additum non esset, *ex hostibus* ea fuisse spolia, quam constat bellica vel *militaria* fuisse.

fuisse. Spolia etiam sunt, quæ latro abstulit. Quin & justorum spoliorum non unum genus: alia certe *opima*, alia *provocatoria*: ut *militaria* possis accipere tralaticia in eo genere virtutis, quæ vulgo milites, fortes viri, capiunt.

Cap. XII. *Arma caperentur pugnareturque*] Hæc periodos postrema quum verbis legitimis & ex persona legem ferentis terminetur, quam indecorum est eam oratione obliqua & ex persona narrantis incipere? præsertim cum τὸ *inquit* nusquam interponatur, quod hujusmodi transitiones solum excusat. Opportune igitur quatuor codices, *capientur pugnabiturque*: indicio directam omnem & sibi similem orationem fuisse, & quidem hoc modo: *Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partis fiet, & ob eam causam irritatis animis utrimque arma capientur pugnabiturque.*

Non alterutræ parti sese adjunxerit] Hanc Carrionis esse conjecturam reor: nam & scripti & antehac editi: *alterutra parte*. Quod vereor, ne fuerit olim, *ad alterutram partem*, quemadmodum & paullo post loquitur, & sæpe mavult Cicero. Ut famil. 1 ep. 8. *ad ejus me rationes adjungo*. ep. 9. *ad eorum causam me adjungerem.*

Tenuit vos gravis quædam in principio admiratio requirentes] Quatuor membranaceis credo auctorem scripsisse, *requirens*. Sic Justinus 12, 6. *& in locum iræ successit existimatio modo personam occisi, modo causam occidendi considerans, pigere eum facti cœpit*. Regius quoque, *gravis admodum in principio admiratio.*

Usum ac sententiam legis inspexerat] Rot. *introspexerat*. Regius, *introspexerant*, & mox *dicebant*. Satis placet.

Populumque partitum & amentem non deterruerit, ad alterutram partem divisi] Hic late gangræna serpsit. Primum Reg. Lincoln. Rott. *populum*, sine particula copulativa. Dein Reg. & Rott. *percitum*, ut & Palat. apud Elmenhorstium in Appulejano indice, & ante Carrionem editi. Plautus Casina 3, 5. *ne quid in te mali faxit ira percita*. Cicero pro Milone: *sive illud animo irato ac perito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum*. Ciceroni *percitus & iratus*, qui Plauto *ira percitus*: sic Gellio *percitus & amens*, qui Appulejo *percitus rabie*. Super hæc pro *deterruerint* iidem *deruerint*, quod superest, ni fallor, de *deseruerint*. Post quod verbum excidit adversativa particula. Denique *dividi* tres pro *divisi*, significantes *dividui*: neque enim *dividus*, opinor, ut *promiscus*, dixerunt. *Nam*, inquit, *si boni omnes, qui in principio coercendæ seditioni impares fuerunt, populum percitum & amentem non deseruerint, sed ad alterutram partem dividui sese adjunxerint. Deserunt* enim *populum*, qui sese medios gerunt,

gerunt, & ab ejus civili pugna procul removent. *Dividui* autem, eligentes alii hanc, alii alteram dissidentium partem. *Fuerunt* etiam, non *fuerint*, Rottendorfianus.

Eoque partes ab iis] MSS. *æque*, vel *eque*. Scribe, *eæque partes*.

Adversarios servatos magis cupiunt] MSS. *sanatos*, ut edidit recte Carrio. Nam quemadmodum seditiosi & qui res novas moliuntur, *insanire* ac *furere*, sic ex pœnitentia *sanati* & *ad sanitatem rediisse* dicuntur. Tabulæ Duodecim: *idem juris sanatibus quod fortibus*. i. ut Festus interpretatur; *qui cum defeciissent à Romanis, brevi post redierunt in amicitiam quasi sanata mente*. Cæsar 5 Gall. *nihil hunc se absente pro sano facturum arbitrabatur, qui præsentis imperium neglexisset*. Et ibidem. *plebemque ad furorem impellit, ut facinore admisso ad sanitatem reverti pudeat*. Auctor libri 8. *neque ad sanitatem reliquorum deditione esse perductos*. Frontinus Strateg. 1, 9. *L. Sulla, cum legiones civium Romanorum perniciosa seditione furerent, consilio restituit sanitatem efferatis*.

Pleraque, inquit, pars utriusque amici] Conjecturam Carrionis esse censeo. Rot. certe ac reg. ut olim editum: *plerique, inquit, partis utriusque amici*. Mox τὰ & *relinquunt* Rottendorfianus ignorat.

Cap. XIII. *Id quoque nos cum in complurium*] Scribe ex Reg. & Rot. *Idque nos cum in complurium*. Alioqui molesta *& quoque* repetitio est.

Gracchus domo cum proficiscceretur] *Proficiscebatur* scripti, atque ex illis sic puto edidisse Anton. Augustinum in Fragmentis veterum historicorum.

Orare cœpit, ut se defenderent] Ant. Augustinus: *Orare quidem cœpit id, ut se defenderent*. Non temere: nam reperit aliquid in MSS. quod sic reddendum esse censeret, quamquam haud attigerit scopum. Reg. & Rot. *Orare cœpit id quidem, ut se def.* Uterque *quid* cum κεραία super τὸ D, ut solent τὸ *quidem* significare. Ne putes, solum *quid*, unde fingi *Quirites* possit, in Regio reperiri. Credibile est autem scripsisse Gellium *orare cœpit, inquit, ut se defenderent liberosque suos*. Neque offendat quemquam, quod τὸ *inquit* supervacuum videtur, quia statim ante præcedit τὸ *scripsit*. Nam sic passim noster. Inter alia lib. 10, 23. & lib. 11, 12. & lib. 13, 12.

Quem virilis sexus tum in eo tempore] Reg. & Rot. *virile secus*. Quæ non modo antiqui moris ac certæ veritatis lectio est, sed etiam nota bonitatis horum exemplarium. non enim nisi præstantissima & ex talibus translata eam scripturam vocabuli hujus servant. Vide ad Livium. Dein Fulvius Ursinus τὰ *in eo tempore*

censet

censet inducenda, credo quod nihil significent aliud quam *tum* præcedens. Suspicabar: *eumque, quem virile secus unum in eo tempore habebat, produci jussit.* Vel *unum eo tempore.*

Cap. XIV. *Scriptum quidem sic erat*] Nullus hic usus τῷ *quidem.* Transmove igitur auctoribus membranis: *scriptum sic erat, Quid si vadimonium capite obvoluto stitisses? Recte ille quidem stitisses.*

Cap. XV. *Colebantur ad deum prope & parentum vicem: atque in omni*] Haud scio, ubi Carrio ediderit *celebrabantur*, quo delectatur Gebhardus 1 Antiq. 10. Scripti omnes *colebantur*, & tentandum non est. At iidem *atque omni in loco.*

Seniores à minoribus domum deducebantur] Vat. Reg. Rot. *à junioribus.* Et placet, quia altero jam abusus est.

Major rerum omnium honos majori ætati] Reg. & Rot. *major omnium rerum honos ætati majori*, non sine quodam auctu dignitatis in oratione. Sempronius Asellio infra 5, 18. *Omnium rerum hoc interfuit.* Lib. 17, 18, *quæ duo verba observanda præceperit omnium rerum longe salubria.* Lincol. etiam *major omni rerum.*

Sic capite septimo legis Juliæ] Reg. Rot. Lincoln. *Sicuti Kap. VII. legis Juliæ.*

Sed si par utrique numerus] Quidam manu exaratus. *Quod si par.*

Cap. XVI. *Nam si hic Silvius, ut in omnium*] Fulv. Reg. Rot. *Silvius ita ut in omnium.*

Prænomen ei impositum fuit] Reg. & Rot. *prænomen ei Postumo fuit.* Sic, inquam, non *Posthumo*, uterque; & ut quisque alius, in quo id nomen occurrit, vel fide vel antiquitate præcellit codex: sic nummi & æra: sic marmora, *Postumus* & *Postumius.* Sic & Græci Πόστμος, non Πόσθμος. Quamquam explosum jamdudum est ludibrium distinguentium, quasi *postumus* esset ultimus, *posthumus* humato patre natus. Neque aut ratio dari ulla aut analogia ostendi potest compositi ex hujusmodi simplicibus tali significatione provenientis. *Post principia, postliminium, postscenia, postterganeus* dixere. Sed quid his & istis simile? Tirones sic habeant. *Posterus, posterior, posterrumus* antiquis fecit: hoc *posterrumus* duobus modis contraxerunt, *postumus* & *postremus*, velut *extumus* & *extremus*: nec differens ab initio fuit significatio. Deinde usus, cujus est quantumvis generalia vocabula & formulas certis rebus ac materiis adsignare, obtinuit ut *postumi* dicerentur mortuo patre nati. Εὔφημον enim in hanc rem vocabulum habere, in quo neque mortis neque sepulcri fieret mentio: & necessario hi liberorum ultimi erant, neque post eos alii eodem patre liberi creari poterant. Et hæc delecta notio

notio adeo prævaluit, ut nativa pœne interiret : nisi quod hic eam Virgilius conservavit, & homines docti sequioris ætatis revocarunt. Vide Cujacium 3 Observ. 4. Guil. Canterum 2 Novar. 10. Vossium 2 de anal. 25. Cum autem νόθειον est τὸ *Postumus*, eo differt ἀπὸ τοῦ *Postumius*, quod hoc gentis est, illud antiquissimis prænomen, postea & cognomen fuit. Sic *A. Postumus Albinus* : sic *Postumus Cominius Auruncus* : sic *M. Agrippa Postumus*. Hoc discrimen dumtaxat fuit ante tempora Cæsarum. Nam quod *Postumius* cognomen facit And. Schottus, aut id pertinet ad inferiora tempora, quæ omnia miscuerunt ; aut fucum sibi factum in alios propagat. *Actii* tribuit *Postumiorum* cognomen, auctore scilicet M. Seneca controv. 21. Sed *Actius Postumus* nunc ille in libris vocatur. *Cejoniis* ex Julio Capitolino, qui *Cejonium Postumium* Clodii Albini patrem nuncupat. *Juniis* ob *Junium Postumium* ex triginta tyrannis apud Trebellium Pollionem, ex corruptis opinor libris. Nullus enim in triginta tyrannis neque Junius neque Postumius : sed *M. Cassius Labienus Postumus*, & filius ejus, qui *Postumus Junior* interdum nominatur. *Livii* ex Nonarum Caprotinarum fabula, in qua commenticius Fidenatium dictator *Livius Postumius* inducitur apud Plutarchum in Romulo & Macrobium : qui tamen si exstitit, nihil ad gentes Romanas nominumque differentiam attinet, quippe sic *Livius Postumius* foret, ut *Octavius Mamilius*, *Pontius Herennius*, *Decius Magius*, de quibus ad Livium diximus. *Pontii* ob mulierem, quæ Tacito 13 annal. *Pontia*, 4 histor. *Pontia Postumia* appellatur. *Rabirii* propter illum, quem *C. Rabirium Postumum*, non *Postumium*, repetundarum reum defendit Cicero. *Sejis* ob *Q. Sejum Postumum* (ut Manutius & meliores libri) quem veneno sublatum à P. Clodio, ut ædibus ejus potiretur, suspicio erat, teste Cicerone in oratione pro domo.

Auctorem nullum idoneum nominat] Reg. & Rot. *auctorem idoneum nullum nominat*. Et mox : *in quis Cæsellium reprehendit*. non *in quibus*.

Cap. XVII. *Indoctus dicimus brevi*] Sic & in Rot. conspicio. At apud Ciceronem ipsum exhibetur *inclitus*.

Composuit, concrepuit, confecit] Et scripti & editi antehac auctius, *composuit, consuevit, concrepuit, confecit* : ut & ipsum apud Tullium legere est. Et merito ; duo enim utriusque generis exempla posuit, breviter pronuntiati, *composuit* & *concrepuit* ; producte *consuevit* & *confecit*.

Quare cur ita se dicent juvari] Scripti cum prius vulgatis : *quare cur ita sit ? dicent juvare*. At apud Ciceronem datur : *quare, cur ? ita se dicent juvari*.

Quæ

Quæ prima est in verbo Felix] MSS. cum editis antehac: *in verbo Fecit.*

Non enim salva συναιρέσει] Fulvian. Rot. Reg. *salva id* ἀναλογίᾳ *dicitur à verbo, quod est cogo.*

Cap. XVIII. *Habuisseque in philosophiæ disciplinis*] Suavius in regio, *aluisseque in philosophiæ disciplinis.* Ut *ingenium alere.* Sed & *alumni* pro discipulis. Cicero 4 de finib. *Quid ait Aristoteles reliquique Platonis alumni?* Ad Dolabellam: *te florere laudibus quasi alumnum disciplinæ meæ.*

Ex libertate in servitutem venum ierat] Vir summus in Floribus Sparsis ad tit. de jure Personarum, scribit jure Romano neminem directe semetipsum vendere potuisse: quod licuerit apud Græcos, & inde hic Diogenem *ex libertate in servitutem venum isse* dici. Aliter Laërtius Diogenes: Φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους πράσει, ὡς ἁλοὺς καὶ πωλούμενος ἠρωτήθη τί οἶδε ποιεῖν. Et clarius infra: Καὶ πρᾶσιν ἤνεγκε γενναιότατα· πλέων γὰρ εἰς Αἰγίναν καὶ πειρατᾶς ἁλοὺς, ὧν ἦρχε Σκίρπαλος, εἰς Κρήτην ἀπαχθεὶς ἐπιπράσκετο.

Theophrasti Peripatetici servus Pompolus] Non enim *Philostrati*, ut apud Macrobium 1 Saturnal. 11 legitur. Et *Pompylos*, ut olim edi curavimus, non *Pompolos.* Vide Laërtium.

Demiratus emit & manumisit] Rottend. & Regius, *manu emisit.* Sed deest pronomen Scribe: *Eum Xeniades responsum ejusdem miratus emit & manu emisit.* Sic enim & Rott. ut edebatur olim, non *ejus demiratus.*

Ejus Epicteti etiam de se] Tota hæc περικοπὴ una cum duobus distichis, neque in Regio neque in Rottendorfiano neque in Lincolniensi neque Schefferiano comparet. Itaque Salmasius omnino eam spuriam & ab homine inepto attextam & donatam nostro judicat, in Epictetum & Simplicium. Quod si tamen auctoris est, haud dubie scribendum: *non omnimodo deos exosos esse.* Noverat enim ille veteribus *exosum* esse, qui infestus est, non qui invisus; ut & *perosum*, qui odit, non qui est in odio. Et sic ipsemet utitur lib. 15, 20. *mulieres fere omnes in majorem modum exosus fuisse dicitur.* Editiones superiores, *non omnes modo diis.* Apud Macrobium, *non omnimodo diis*: & sic Guilhelmius 3 veris. 13. *Omnes omnimodis diis* Carrionis est.

Cap. XIX. *Quibus eadem præpositio Re imponitur*] Rottend. *quibus eadem præpositio præponitur.*

Dicimus; itidem rescire] Reg. & Rott. *neque ut rescribere, relegere, substituere dicimus, itidem dicimus rescire.* In τῷ *substituere*, quod & Lincoln. habet, manifestus librariorum error.

Quæ aut occulto consilio latuerint] Rot. & Regius, Romana Venetaque editiones, *consulto consilio.* id est, de industria, studiose

id

id agentibus ; quorum interest. Paulus 1 Recept. Sent. 9: *Qui sciens prudensque se pro minore obligavit, si id consulto consilio fecit, licet minori succurratur, ipsi tamen non succurretur.* Noster 6, 17. *non sponte neque opera consulta.*

Vel prosperis vel exspectatis] Multis libris abesse se videre verbum *exspectatis*, & pro eo substitutum *insperatis*, injuria & vi, queritur Chr. Colerus Parerg. cap. 20. Ego nullum librum tractavi, cui deesset *exspectatis*: sed post Carrionem ubique desidero *vel insperatis*: quod antea & editiones habebant & confirmant scripti, hoc modo: *vel adversis vel prosperis vel insperatis vel exspectatis*. Nempe τὸ *insperatis* refertur ad τὸ *adversis*, sicut τὸ *exspectatis* ad τὸ *prosperis*.

Nævius in Triphallo] Ita MSS. Sicubi *tiphallo* illusit oculis, inde factum, quod χερμὰς supra *T* literam significans *R*, disparuerat, aut non animadversa est. Romana, Veneta, Aldus, *in tryphalo*. Ascensius *in Ithyphallo*, secutus Baptistæ Pii conjecturam, quæ & Stephano in fragmentis veterum Poetarum placuit. Sed intercedit Tibullus in carmine ad Priapum: *At o Triphalee sæpe floribus novis Tuas sine arte deligavimus comas.* Quare suus quoque Varronianæ Satiræ apud Nonium Marcellum relinquendus est index, *Triphallus* ἢ περὶ ἀφροσύνης. Sosipater Charisius lib. 1. *Calamistros Cicero in Oratore masculine dixit, & Varro de scenicis originibus hunc calamistrum: sed idem in Triphallo calamistra.* Et se prodit error Ausi. Popmæ, qui legit *Triphalus*, quia φαλὸς sit apex galeæ cui crista innititur, sive conus, argumentum, ut ait, in milite virilis animi & vigoris, unde *Triphalos* sit hæc Satira laudans in viris habitum gravem & severum; contraque mollem & effæminatum vituperans. Τριφάλης, ut τριόρχης. sed vis primæ syllabæ ad significandum, quæ in τρισκυτάλια, *trifurcifer*, & similibus. Sic Aristophanes Comœdiam scripsit Τριφάλητα Harpocrationi, Athenæo, Polluci, Hesychio, Suidæ memoratam. φάλης idem qui φαλὸς.

Si unquam quicquam] Vatic. *Unquam si quicquam.*

Sumpsisse mutuum, Extemplo illo] Recte Fruterius 2 Verisim. 11. *sumpse*. Recte opinor etiam, *Extempulo*: & videntur confirmare membranæ, habentes L literæ adjunctam notulam, quam in *siml* & *poplo* eadem scriptura mediæ vetustatis ostendere solet, quum significat *simul* & *populo*. Sed quis est ille locus, *ubi non despuitur*? Fruterius jubet videri, an hoc postremum aliquam lucem accipere possit a Festo, cum ait: *Doliola locus in urbe sic vocatur, quia inuadentibus Gallis Senonibus urbem sacra in eodem loco defoderunt, ubi spuere alicui non licebat.* Actum agit: nam eodem nos ablegaverat Baptista Pius Annotat. po-

ster. II. quanto luculentius, tanto minore specie profectus aut veritatis. Interpretatur enim ad rotam figularem, ut multo ibi labore vexarentur. *Ubi non despuas*, inquit, id est ad Doliola: *dolia* autem significant figulinam. Ego vero simplicissime intelligo, quod servi Plautini nominari nolebant, nisi despuendo detestarentur: ipsum scilicet pistrinum. Ibi despuere non poterant molentes, capistrati propter πωλικὸν πῶλον. Pollux lib. 7 cap. 4. Τόγε μὴν τοῖς οἰκέταις τοῖς ἔνδον ἐργαζομένοις ὑπὲρ τοῦ μὴ κοπτὸν τὸν ἀλφίτων ἀπελυθέρμον, πωλικὸν καλοῦσι, ἱερακίδος μηχάνημα ὄν, τῷ ἱερακίῳ ἀπαρμενόμενον, ὡς ἀδυνατεῖν τῷ στόματι ἐπὶ χεῖρας ἀπελθεῖν.

Cap. XX. *Omnia septa afficta ædificia villæ quæ sunt*] Sic in Stephanica Carrio. Priores cum MSS. *omnia septa ædificia villæ*. Apud Varronem lib. 3 cap. 2. *omnia septa afficta villæ quæ sunt*.

Quæ autem leporaria Varro dicit] Particulam *autem* jam Aldus Badiusque admiserunt; non Romana, non Veneta, quemadmodum nec scripti. Sed majori laborat incommodo locus: non enim videtur facturus fuisse Gellius, ut vocem, quam non modo usurpaverit Varro, sed & tritavis notam fuisse pronunciarit, in dubium vocaret, eamque apud vetustiores exstare palam negaret. Augent suspicionem membranæ, in quibus specto: *Vivaria a. quæ nunc vulgus quos Græci appellant gr. quæ leporaria Varro dicit, haud usquam m. ap. antiquiores scriptum.* Unde conjicio: *Vivaria autem, quæ nunc vulgus, quos Græci appellant* λαγωοβοσκεῖα, *quæque leporaria Varro, dici haud usquam memini* &c. Ita in vulgus, quemadmodum inceperat, stringitur hæc censura, non in Varronem.

Cultos & villas expolitissimas] Reg. & Rot. *cultos atque villas*. Deinde, *excelsissimo locorum mu statuere*. Ita prorsus, *non locorum murum*. Putes librarium, quem secuti sunt, qui utrumque exemplar effecerunt, cum per errorem tres posteriores literas vocis *murum* ante tempus scripsisset, reliquas, quas prætermiserat, deinde tamen subjecisse: ut fuerit, *excelsissimo loco murum*, quemadmodum Romæ & Venetiis jam ediderunt. Nisi malis *turrim*, ut speculam significet. Lincoln. *locorum muro statuere*.

Lacus vero & stagna quæ piscibus] Reg. Rot. Lincoln. *Lacus vero aut stagna piscibus*. sine τὰς *quæ*. Forte, *stagna piscibus coercendis clausa*.

Cap. XXI. *Tum quispiam ex iis qui eodem in numero*] Magnum vitium huic loco additum Carrio, dum demere laborat, aggravavit. Tres voculæ, *quispiam ex iis*, etsi exstent omnibus in editis, tamen nec in Regio nec in Rot. nec in Lincoln. sunt conspicuæ. At *ne non accidant* allevit Carrio, ubi editi habebant;

bebant: *cum & quædam alia scite tum ista omnia ac perite differebat.* In quibus & *tum* jam a male curiosa manu est, nec apparet in scriptis. Nunc cognoscas licet, quam levi brachio reddatur auctori suum, qui scripserat: *Tum qui eodem in numero Græcas res eruditi erant, quid ἄμοιρα esset &c. quamobrem Homerus solam eam non occidere dicat, tum & quædam alia, scite ista omnia ac perite differebant.* Nihil hic quod non sit membranarum: præterquam quod *cum* in *tum* vertimus, & unicam literam adjecimus, *differebant* pro *differebat* exhibendo. quod qui non animadverterant necessarium esse, totum illud, *quispiam ex iis*, interposuerunt: quasi non sit satis paullo post id legi.

Sed quid hoc totum, quod septemtriones] Vatic. *quid etiam hoc.* Quasi dictet: *sed etiam quid hoc totum.*

Qui se ad literas memoriasque veteres dediderant] Et hoc parum prudenter Carrio. Scripti cum prius editis, *dediderat.* Ex iis puta Romanis quos Opicos vocaverat, nonnemo, qui se dediderat illis studiis.

Quod quinquatrus dicimus] Scripti, ut antea editum, *dicamus.*

Rustico certo vocabulo] Fulvianus, Lincoln. Reg. & Rot. *rustico cætero vocabulo.* Forte *cætera*, vel *cæteroqui*: aut & *cætero* ea significatione, qua ista, accipiendum est.

Stellæ triones appellatæ sint] Regius *appellativæ sint.* Numquid *appellitatæ.* ut cap. sequenti.

Subtilius elegantiusque visum est] Fulv. Reg. Rott. *elegantiusque esse visum.*

Ut ea forma esse triquetra viderentur] Edebatur: *ut ea formæ esset, ut triquetra videretur.* Rot. *ut forma esset ut triquetra v.* Regius, *ut forma essent ut triquetra viderentur.* Fortassis, *ut forma esset, quæ triquetra videretur.*

Cap. XXII. *Quæsitum est quis hic ventus*] Scripti, ut editi antea, *quæsitumque est*: neque aut necessitati aut ornatui servit ablata copula.

Exortum, occasum, meridiem, septemtrionem] Fulvianus, Lincoln. Reg. & Rot. *septemtriones.* ut statim & ter capite præcedenti. Sæpenumero enim sic maluisse dicere animadvertas. Cicero lib. 2 de natura deorum: *Inflectes sol cursum tum ad septemtriones tum ad meridiem.*

Qui appellatur ἰσονύκτιος aut ἰσημερινὸς] Regius ignorat & *ἰσονύκτιος aut*, Et ea certum habeo inculcasse aliquem male ἐξηγιζόντως. Ut enim Græci *æquinoctium* voce non νὺξ & νυκτὸς declinata sed *ἰσημερίαν* appellant, ita & satis habuerunt *æquinoctialem circulum ἰσημερινὸν κύκλον* dicere.

Quæ sunt ἄρκτοι πρὸς τῇ χειμερινῇ. Item] Regius: *quæ sunt χειμερινῆς πρὸς item cadit.* sine ὅτι ἄρκτοι κοσ. Unde suspicor

ea vocabula interposuisse istic, qui alia parte excidisse ea non animadverterant; & scripsisse auctorem: *aut solstitialis, quæ θεριναὶ, aut brumalis, quæ sunt χειμεριναὶ τροπαί.*

Ut isti ἐτυμολογικοὶ *ajunt*, ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων] Reg. Ετυμολογκοι. deinde, ut & Fulvianus: τῆς ηους. Scribe: *ut isti* ἐτυμολόγοι *ajunt* ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέων.

Απηλιώτης] Regius, ἀφηλιώτης. & utrovis modo recte scribi volunt.

Tertius ventus, qui ab Oriente hiberno spirat: Vulturnum] Sic & scripti, nisi quod *Volturnum*. ut & mox, *aquilo, volturnus, eurus.*

Is adversus Vulturnum flat] Scripti: *is adversus Volturnum facit.* notissima & Ciceroni quoque usitatissima loquendi suavitate: ut *facere cum aliquo*, vel *facere ab aliquo* dicimus, qui sentit idem, aut stat a partibus iisdem. Horatius: *Et sapit & mecum facit & Iove judicat æquo.* Sic *adversus aliquem facere.*

Unum meridionalem ventum] Rot. quoque *meridialem.* quod ex Regio jam produxit & probavit Salmasius ad Solin. p. 1248.

Quas quasi primas nominavimus] Regius, *nominabimus.* Scribe igitur: *quos quasi primos nominabimus*, ut voluit & Salmasius. Nam de ventis loquitur, non de partibus cœli: & illa, *Versus Homeri sunt* cum duobus subjectis versibus includenda sunt parenthesi. Quippe continens oratio est: *qui solos quatuor ventos noverit, eurum, austrum, aquilonem, favonium, a quatuor cœli partibus: quos quasi primos nominabimus, oriente scilicet atque occidente latioribus, non tripertitis.*

Inter hos quatuor in media loca] Verba in vulgatis editionibus corruptissima corrigere sese atque ex vestigiis antiquæ lectionis reponere *tertios quatuor* præfatur ὁ πάνυ ad Solinum p. 1248. Recte ille quidem; sed ostentationis minus esse poterat. neque enim opus fuit difficili & moroso examine vestigiorum priscæ lectionis, cum Regius plane atque aperte, ut & Rottend. Fulvianusque, quod jam Mureto indicatum, præferant *tertios:* Lincoln. *faciant ternos quatuor.* Sed quid est *cum meridie septemtriones?* nam hic quidem quo sensu hæc ponantur, haud facile quemquam demonstraturum puto. Hac ergo parte aliquid e vestigiis priscæ scripturæ eruendum est: nam Fulvianus, Reg. Rott. *cur meridie.* Scribe: *Partim autem sunt, qui pro octo duodecim faciant; tertios quatuor in media loca inserentes circa meridiem & septemtriones.* Duos scilicet circa austrum, & duos ab dextro & sinistro aquilonis latere. *Faciant* autem scripti, melius quam *faciunt.*

Locorum vocabulis in quibus colunt, aut ex aliqua] *Pollent*, quod e Pal. refert Gebhardus 1 Antiq. 10, erat vulgatarum ante

Car-

Carrionem: sed scripti meliores adfirmant & *colunt*. At non male Regius: *aut ex alia qua causa*.

Japyga ex ipsius Apuliæ ore proficiscentem eodem & ipsi nomine] Hæc sine dubio contaminatissima sunt. Superiores editiones post & *proficiscentem* additum habebant *quasi finibus*: id sustulit Carrio. Regius *Iapigia ipsius ore proficiscente quasi finibus Apulia eodem quo ipsi sunt nomine*. Neque aliter Rottendorfianus, nisi quod *Iapiga ipsius*. Ex Fulviano *Apuli eodem quo ipsi sunt nomine* produxit & Muretus. Lincoln. *ipsius ore proficiscente apulia eodem quo ipsi*. Salmasius conjectat: *Iapygiæ sinus ore proficiscentem, qui est Garganus, Apuli eodem*: quandoquidem apud Apulejum (ubi propemodum describit hunc locum) legitur in libello de mundo: *Appuli Iapygem vero ex Iapyge sinu, id est, ex ipso Gargano venientem*. Apulejum, quæ Favorino accepta refert, à discipulo ejus mutuatum facile concessero: sed ea sua fecit summas rerum persecutus, verborum liber. Nec vero si Apulejus dicere potuit, *ex Iapyge sinu, id est, ex ipso Gargano*, ideo licuit & Gellio Favorinoque dicere, *ex ore sinus Iapygiæ, qui est Garganus*. Nam illud Madaurense leporem habet, qualem illud Flori, *Senatus, id est, Pompejus*. Vide ad Livii epitomen 87. Per quandam similitudinem significat ex Gargano deferri in sinum, & dominari quidem in sinu, sed præcipitari ex monte. At quam belle sonat *sinus, qui est mons*, vel *os sinus qui est mons*? Quos sic facimus scribere, eos facile postea est reprehendere, & pugnis pectere. Sed tamen prodigiosum hoc ulcus est, nec potest a nimium sollicita manu curari. Vide an accipere possis? *Japygiæ pro terræ prætendentem quasi finibus Appuli eodem, quo ipsi sunt, nomine Japygem dicunt*. Illud *quasi* ostendit sermone figurato usum: & *prætendere* verbum e militia petitum satis hic locum tutatur. *Prætendentem*, excubantem quasi in specula & vigilias agentem. Frontinus 2 Strateg. 3. *equites deinde in æquum procedere ac velut prætendere peditibus*.

Et videtur adversus Eurum flare] Regius: *& videtur exadversum eurum flare*. Ut Cornelius Nepos in Themistocle: *Quo factum est, ut ab Artemisio discederent & exadversum Athenas apud Salamina classem constituerent*. Sic & ipsi in MSS. deprehendimus. Noster notat e Terentio lib. 7 cap. 7.

Κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων] Regius Ελκων εφ εαυτον ως καικίας. Scribe: Ελκων ἐφ' αὐτὸν ὡς ὁ Καικίας νέφος. Et sic quoque apud Apulejum & Aristotelem meteorol. 2, 6 scribendum. Quod si placet retineri τὸ κακὰ, is finis erit versus præcedentis. Idem Mureto visum in Fulviano cum legisset: λεκων φεαυτον ὡς ο καικιας νεφος. Apud Plutarchum in Πολιτ. Παραγγ. ponitur: εἶτα ἤδη πάντα τὸν ἄλλον βίον Ελκων ἐφ' ἑαυτὸν, ως τε Καικίας νέφη.

Venti commenticii suæ quisque regionis] Lege cum Regio: *venti commenticii & suæ quisque regionis indigenæ.*

Qui Etesiæ & Prodromi appellantur] Fac ex Reg. & Rottend. *appellitantur.*

Quia plus paullo adbibi effudissem] Reg. *effusissem.* Rot. *effussissem.* Recte Gebhardus *effutiissem*, 1 Antiq. 15. quo verbo noster & lib. 5 cap. 1 utitur.

Ex alia atque alia parte cœli spirant] Nonnemo e scriptis: *prospirant.* Neque enim sine auctore. Apulejus in Apologia: *Ea namque tabes si foras corporis prospiravit.*

Sunt in his regionibus] Reg. Rot. Lincoln. *sed* pro *sunt.* An fuit? *Strictura in his regionibus ferrariæ.* Id enim verbum ei rei proprium. Vide infra.

Quantum demas, tantum adcrescit] Rott. *adorescit.* Reg. *adorescit.* Videtur velle *adolescit.* Plinius 6, 32. *arborum ibi proceritatem ad 114 pedes adolescere.* Idem 7, 16. *adolescit in tria cubita triennio.*

Quod supra autem dixi] Non ipse dixerat, sed Favorinus. Numquid igitur? *Quod supra autem dixit etesias ex alia atque alia cœli parte flare, haud scio an secutus opinionem multorum temere dixerit.* An vero, *dixi*? nempe in persona Favorini.

Etesiæ & austri anniversarii] Lege ex Reg, & Rot. *Et etesiæ & austri.* Quod autem Gellius considerandum ait, quid sit *secundo sole*, quid aliud significat quam ignorantiæ confessionem, inquit Salmasius, & ostendit ita dici, ut *secundo ammi defluere*, in Solin. p. 1261. Recte, sed post Ioh. Isacium Pontanum Analect. 1, 10.

Cap. XXIII. *Menandro ac Posidio aut Apollodoro*] Sic Aldina. Ro. & Ven. *Posodio.* Rot. *Posidonio.* Forte, *Posidippo*, quem Comicum nobilem fuisse constat. Et sic habet Badiana.

Atqui cum legimus eas, nihil sane displicent] Lege ex tribus membranaceis: *Neque cum legimus eas nimium sane displicent.* Hoc est, & cum leguntur solæ, non valde displicent, vel, aliquo modo placere possunt. Est enim admiratione Græcorum paullo iniquior Romanis suis, & hoc nomine jam aliquoties, forte nec immerito vapulavit. Lincoln. quoque, *neque tamen legimus.*

Quantumque mutare a Menandro] Sic MSS. sic Romana & Veneta. Aldus, Badius, Gryphius exhibendo *mutare* occasionem dederunt Palmerio Mellero illud revocandi in 14 Spicilegiorum. Et notum Catulli: *tantum abhorret ac mutat.* Quin & noster lib. 13, 3. *necessitudinem & necessitatem mutare longeque differre.* Regius tamen *quæcumque.* Itaque non possum quin suspicer edidisse Gellium: *quantum stupere atque frigere, quæcumque mutatur*

tuatur a Menandro, Cæcilius visus est. Nempe stupere ac frigere in illis, quę mutuatur.

Diomedis hercle arma & Glauci] Quid sibi volunt, cum in voce notissima tritissimaque vacillant codices? τὰ *arma* nusquam integrum. Regius *herclea merca & Glauci.* Rott. *hercleamerca & Glauci.* Scheff. *hercle amecta & glauci.* Lincoln. *hercle amerta & Gl.* Est præterea qui *hercle armamenta.* Aliquid latet. Cogitabam, *Diomedis hercle ἀμοιβαῖα & Glauci non dispari magis pretio æstimata sunt.* Sic enim, non *existimata.*

Facie non inliberali] Plautus Epidico: *forma lepida & liberali.* Persa 4, 3. *adduxit simul Forma expetenda liberalem mulierem.* Terentius Eunucho: *honesta facie & liberali.* Tamen e quodam veteri libro Lipsius, *inlætabili.* Nostræ aves non addicunt.

Nihil dicam ego, quantum differat versus utriusque eximius.] Non nauci hæc oratio. Quod facile sensit Janus Guilelmius 2 Verisimil. 24, & non incommode subjicit: *quantum differant. Versus utriusque eximios sit satis.* Ἀλλὰ tamen ὁρῶ βελτιστέον. Primum, *quantum differat* mutari metuit. intelligendum enim, *inter eos.* Cicero act. 1 in Verr. *At vide quid differat inter opinionem meam & tuam.* Lib. 1 de nat. deor. *Si enim nihil inter deum & deum differt.* Deinde Rot. & Regius & Lincoln. *utriusque eximius si & aliis ad judicium faciundum exponi.* Scribes igitur: *Versus utriusque eximi jussi, & aliis ad judicium faciundum exponi.* Loquitur ut solebant veteres in studiis adjutore anagnosta vel librario utentes. Similiter lib. 1, 23. *Ea Catonis verba huic prorsus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis, cum hæc dictavi.* lib. 3 cap. 18. *Versum quoque Laberii, in quo id vocabulum positum est, notari jussi.* Horatius lib. 11 Sat. ult. *I puer atque meo citus hæc subscribe libello.*

Ἐπ' ἀμφοτέρων ἴαμβοι ἐπίληρον] Misere adhuc habiti versus: sed justi sunt jambici senarii & facile in numerum redigendi, nisi ubi valde corrupti sunt. Nihil vetat tentare, quod utcumque cadat, conatus laudabitur:

Ἐπ' ἀμφοτέρων νύ χ' ἡ 'πίληρος ἔαβε
Μέλδῃ κεβδήσασιν, κελεραύσασα μέσῳ
Καὶ ἀελδόμεν ἔργον. Ἐκ τ' οἰκίας
Ἐξέβαλε τὼ λυπεῖσαν, ἦν ἐβέλετο.
Ἰὼ ἐπιβλέπουσι πάντες εἰς τ' Κρεωβύλης
Περίωπον· ἡ γ' ἀΰπνως εἶχε μετὰ
Δέσποινα ἐς τὼ ὄψιν, ἰὼ ἀπίησαλο,
Οὗ σὺ πιθήκοις ἐσὶ δὴ τὸ λεγόμενον.
Τοῦτ' ἐσιωπᾷν ἔσιν, εἰ κἀβέλομαι.

Βδελύττομαι τὴν νύκτα τὴν πολλῶν κακῶ
Αρχηγὸν· Οἴμοι Κρεωβύλην λαβεῖν ἐμὲ,
Καὶ δέκα τάλαντα. Γυναιον οὖσα πηχέως
Οἵη ἐστὶ τὸ φρύαγμα, πῶς ἀνυπόστατος.
Μὰ τόν τ' Ολύμπιον κ' Αθηνᾶν οὐδαμῶς.

Επ' ἀμφοτέραν] Intelligi potest ἀκοὴν. Sed parum constant sequentia. nam ἴν' ἐπίκληρος ἦ, sonat, *ut sit ex asse bonorum patriorum hæres*, vel *dotata*, *locuples*. Tum etsi significet, *quandoquidem est*, ut transtulerunt, id nihil ad rem faceret. non enim Μέλλει (sic enim pro Μέλλειν legimus) καθευδήσειν, quia locuples est, sed ipsa locuples secura omnes contemnet ob rem ex sententia gestam. Νύ χ' est Homericum νύ κε.

Ιν' εὔγνωστος] Dixerat omnium eam in se conversuram oculos. Ab eo lepide deflectit ad formam vituperandam. Et est illa uxor domina satis conspecta etiam ob vultum, quem sortita est, (ideo ἣν ἐκτήσατο, non ὧν) Asinus inter simias est, ut vulgo dicitur, hoc est, deformissima inter turpes.

Εἶτ' ἐστὶ τὸ φρύαγμα] Fecimus, Οἵη ἐστὶ τὸ φρύαγμα, Muliercula vix cubitum implens statura, qualis est fastu, ut intolerabilis.

Δια τὸν Ολύμπιον] Lego, Μὰ τόν τ' Ολύμπιον.

Ab hoste captus libere servio] Recte Carrio, *Ad hostes*, & sic scripti. Propertius: *ad vestros sedeam captiva penates*. Sed etiam legendum: *liber servio*. Ego, qui liber sum, servio, & id salva republica, quæ præstat libertatem civibus.

Eo privatum vin me servatum?] Nihil hic sani. Tentabam: *eo privatum it vi me ingratiis*.

Uti eam Venumdarem] Reg. & Rott. *eam uti*.

Quæ vestrum fuit Integra ætatula quæ hoc itidem] Reg. & Rot. *Quis vestrarum fuit integra ætatula quæ hoc idem*. Optime. Nam τὸ *Quis* quo genere & numero declinarent, antiqui non observabant, ut notat Donatus. Terentius Eunucho 4, 4 introducit ancillam loquentem: *hunc oculis suis Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria*. Habes & *vestrarum* pro *vestrum* assertum. Vetus Poëta apud Varronem: *Quis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine?*

Nequaquam potuit, ne quidem conatus est] Sic Carrio, cum ederetur: *& quidem conatus est*. Sed male cohæret oratio. Scripti *nequa potuit qui conatus est*. Lege: *neque potuit, neque conatus est enarrare*.

Et nescio quæ mimica inculcavit.] Sic jam Romana, sic Badius. Ven. & Gryphius: *imimica*. Guilelmius 2 Veris. 24 ait olim lectum,

lectum, *quasi mimica*; unde facit: *nescio quæ ab se mimica*. Illud *quasi* unius est Aldi. Scripti ut prima editio, utque Carrio restituit.

Οὐκ εἴρηκά σοι. Τοῦτ' οὐχὶ κυρίαν] Distingue: Ἔχω δ' ἐπίκληρον, Λαμία. (οὐκ εἴρηκά σοι Τοῦτ', οὐχὶ·) κυρίαν τῆς οἰκίας.

Ἔχομεν δ' ἀφ' ὅλων χαλεπῶν] Vat. ἔχομεν Ἀπολλον ὡς χαλεπῶν.

Ac sedi, extemplo savium Dat jejuna anima] Guilelmius, *assedi, extemplo savium Datat jejuna anima*. Idem, *Ut evomas*, *volt*. Et *datat* quidem etiam veteres editiones.

Ea res clam patre fuit] Reg. & Rot. *clam patrem*.

Καὶ παιδοποιεῖ· ὡς ἀλόγιστος] Hoc fragmentum adscivit & Stobæus sub titulo Ὅτι οὐκ ἀγαθὸν τὸ γαμεῖν, inseruitque suo Florilegio H. Grotius, qui corrigit hic παιδοποιεῖται, & ait hoc postulare versum. Vellem, non ita paucis præcidisset. Neque enim hoc oraculum intelligo, & jambos metiri propemodum scio.

Ὃς μήτε φυλακὴν τῶν ἀναγκαίων ἔχει] Interpretantur: *Qui necessarias quoque res non custodit*: *Qui neque necessariarum studium rerum gerit*: *Qui neque præsidia in præsens habet*. Tolerabilius hoc postremum: tamen abest aliquid, quod desiderat auctor Græcus; & additum est, quod ille non desiderat. Nam τῶν ἀναγκαίων est ab ὁ ἀναγκαῖος necessarius, amicus. Φυλακὴν τῶν ἀναγκαίων, *præsidia necessitudinum*, *præsidia ab amicis*. Eaque significat illa Cæciliana *factio* in illo: *Nam opulento famam facile occultat factio*. Quod mihi quidem dictum videtur, ut nihil melius, quicquid fastidiat Gellius noster.

Εἰ μήτε ἀνατείχεσθαι] Scribe cum Stobæo & Grotio: Μήτ' ἂν ἀτυχήσας. Stobæus quoque εἰς τὰ λοιπά. Placet satis εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου. Cicero Lelio: *quæ sunt in usu vitaque communi*. Lib. 1 de oratore: *Aliud est esse artificem cujusdam generis & artis, aliud in communi vita & vulgari hominum consuetudine nec hebetem nec rudem*. Eodem *communium temporum graves casus*. Hoc cum videret ὁ πάνυ, aspernareturque τὰ λοιπὰ, cur in superiorem versum addidit *in præsens*? Sane cum hoc faceret, nondum videtur τὰ κοινὰ potius habuisse.

Ἐπαμφίεσθαι δύναται] Stobęus, Ἐπαμφιάσαι. nec video cur alteri postponatur.

Ἀλλ' ἐν ἀνακαταλύπτῳ] Pessime. Legendum e Stobęo, Ἀλλ' ἐν ἀκαλύπτῳ. Βίος ἀκάλυπτος, *vita obnoxia* vel *opportuna* Romanis.

Χειμαζόμενος ζητῶν τὴν ἀνιαρὸν δ' ἔχων τὸ μέσον] Ex eodem:

Χρωμαζόμενος ζῇ, τῷ μὲ ἀνιαρῶν ἴχνη τὸ μέρος ἀπαλλαν, ἴωγε ἀγαθῶν.

Αγαθῶν ἐ δωσάμενος] Suspectum. Numquid ἐ γλισσόμενος?

Υπὲρ γῆ ἐνος ἀλείων] Hic versus in Stobęo non est. Grotius ἀλγῶν.

Fortuna & res est, ut continuo pareat] MSS. *cui fortuna & res ut est continuo patet.* Unde fecerunt in prima ed. *cui fortuna & res est ut continuo pateat.* Videtur autem scribendum fuisse: *cujus fortuna transversis continuo patet.* Hic est ille βίος ἀκέλυπτος, quę vox satis ostendit alienum esse Carrionium *pareat.* Cicero Bruto: *cujus in adolescentiam per medias quasi laudes quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna reipublicæ.* Seneca de vita beata 15. *morbos dico, funera, debilitates, & cætera ex transverso in vitam humanam incurrentia.* Idem epist. 117. *quibus animum labantem studiis firmem; quemadmodum quæ me ex transverso ferunt aguntque, procul a me repellam.*

Cap. 26. *In Capitonis Ateji conjectaneis*] Rom. & Ven. *commentariis.* Aldus, Badius, Gryphius, *collectaneis.* Rottend. plane *conjectaneis*, ut edidit Carrio, & ita legendum monuit Fulvius Ursinus in appendice Triclinii Ciacconiani.

Mutitarent, id est, mutua inter sese dominia agitarent] Sic Romana & Veneta. Aldus, Badius, Gryphius *convivia.* Ea occasio fuit Fulvio, quo dictum est loco, & Lipsio 1 Saturn. 19 testituendi *dominia.* Et sic Rottend. Regius *domina.* Sed ubique *mutitarent*, non *mutuitarent* placitum Turnebo, Fulvio, Stephano, vetantibus & scriptis lib. 18 cap. 2 & Ovidio 4 Fastorum: *Quod bene mutarit sedem Berecynthia, dixit, Captant mutatis sedibus omen idem.*

Argenti plus pondo quam libras centum] Scribo, *plus pondo libras centum*, extrito τῷ *quam.* quod plurimum in tali loco omittere solent ac subaudire malunt; utique non τῶν *pondo* & *libras* interponere consueverunt.

Ludis Romanis item ludis plebejis & Saturnalibus] Rottendorf. fastidit repetitum *ludis.*

Hanc Lucilius poeta legem signat.] Rot. Lincoln. Reg. *legem significat cum dicit Fanni centussis misellos*, sine copulativa. Nempe *s* litera more vetustissimorum eliditur. Nam *centusse misello* lusit Janus Dousa, dum vitrea fracta conglutinabat. Pudenter autem Gellius, *hanc legem significat.* Audacius, sed ut excusari possit, Macrobius, *a Lucilio festivitatis suæ more centussis vocatur.* At non ferendus jam Pighius, quum ad annum 595, quam legem, inquit, Lucilius poeta festive *Fannii centussim* appellavit. Nam *Fannii centussis misselli* vel *Fannii centussis misellum*, sunt centeni æris, quos lege Fannia impendere permissum.

Nu-

Nuptûs ducenos indulsit.] Ex Regio notatum, *nuptus*. Intueor Rott. ibi vero, ne qua sit dubitatio, *nupţ9*. Et auctore nostro dignum censeo. *Nuptus* enim idem quod nuptię. Statius Pietate Abascantii: *Illa quidem nuptumque prior tædasque marito Passa alio.* Aurelius Victor in Hostilio Mancino: *Eo die Numantini forte solemni nuptu filias locabant. Dies nuptûs* est dies nuptiarum. Sic ergo noster: *quæ cum certis diebus, sicuti Fannia, centenos æris impendi permisisset, nuptus ducenos indulsit, cæterisque diebus statuit æris tricenos.* Perinde est, ac si dixisset, *nuptiarum ducenos indulsit.* Intelligimus enim *nuptus diebus* vel ex præcedenti vel ex subsequenti membro.

Constituerit: si quicquam esset natum] Editiones priores: *sed quicquid.* MSS. *constituit sed quicquid.* Lege: *cumque & carnis aridæ & salsamenti certa pondera in singulos dies constituisset, quicquid esset natum e terra, vite, arbore, promisce atque indefinite largita est.* Macrobius 2, 13 *ne amplius apponeretur quam carnis aridæ pondo tria & salsamentorum pondo libra, & quod ex terra, vite arboreve sit natum.* Festus: *Centenariæ cœnæ dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus, præter terra nata impendebantur.* In scriptis pro *aridæ* est *autem* vel *a.* quod significat *autem* (numquid *assæ*?) *tamen* pro *natum.*

Lævius poeta meminit in Erotopægniis] Quærunt, quis iste *Lævius*, quę *Crotopægnia*? & tentant *Livius.* Sero: debuissent enim scire ex Scaligeri Ausonianis 2, 27 Lęvium Alcestidem & Erotopęgnia scripsisse.

Hædum, qui ad epulas fuit allatus] Reg. & Rot. *fuerat.*

Pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent] Reg. & Rot. *prandiorumque.* Unde Salmasius: *familiam pecuniamque cœnarum prandiorumque.*

Kalendis, Idibus, Nonisque, diebus ludorum] Lincoln. Ro. Ven. Ald. *nonisque diebusque* Reg. & Rot. *Kalendis, Idibus, Nonis, diebusque ludorum.*

Postremo lex Julia ad populum] Reg. & Rot. *Postrema lex Julia.* Omnino melius. Vide Observat.

Et aliis quibusdam festivis trecenti; nuptiis autem & repotiis] Reg. & Rot. *festis* ut censuit olium & Fulvius Ursinus. Dein Rot. *nupţ9 autem & repni.* Ex Regio notatum *reponi.* Lincoln. *& reponisent milies.* An fuit, *nuptus autem & repotii sestertium mille.* nam verba antiquaria in ipsa formula legum sic concepta fuisse videri possunt.

Adusque duo millia sumptus] Reg. & Rot. *adusque duo SS sumptus.*

Cap. 25. *M. Varronis ad Ciceronem de lingua*] Prępositio *ad* neque in Regio neque in Rot. admissa est. Nec caret gratia vel quod

quod is, ad quem scribitur liber, doceri dicitur, vel inflexa sic & vermiculata oratio.

Itaque in omnibus pœne verbis] Si quinque mem branis fides, legendum: *docet, inque omnibus pœne verbis consuetudinem dominari ostendit.*

Et ab adstringor tamen & extergeor & lavor, adstrinxi] Sic Carrio, cum esset, *& adstringor*. Reg. & Rot. *& a destringor tamen & extergeor & lavor destrinxi & exterfi & lavi.*

Alii raro dicunt, alii rarenter] Tres membranæ, *alii rariter.*

Cap. 26. *Simplices isti & rufi & virides colores*] MSS. *isti rufus & viridi colores.* Lege: *simplices isti, rufus & viridis, colores.* quod nescio unde acceptum jam prodidit Badius. Ante quem vulgo, *isti rufi & virides.*

Aliter ostrum, aliter crocum] Bene Carrio *crocum ἀντὶ τοῦ* Crocus: & Rot. Regiusque confirmant. Sed videtur excidisse, *aliter aurum*, propter verba sequentia, *& croceum & ostrinum & aureum.*

Appellatione, cum tamen ex ipsis rebus vocabula colorum mutuetur] Scripti *mutuatur*, & ignorant τὸ *tamen*. Lege, *has singulas rufi varietates Latina oratio singulis propriisque vocabulis non demonstrat, omniaque ista significat una ruboris appellatione; tantum ex ipsis rebus vocabula colorum mutuatur, & igneum aliquid dicit.*

Nihil a vocabulo rufi differunt, neque proprietates] Salmasius ad Solinum p. 1155 ex veterum librorum auctoritate distinguendum ac legendum ait: *nihil a colore rufi differunt neque p. o. e. d. Ξανθὸς autem & ἐρυθρὸς & πυῤῥὸς & φοινὶξ habere quasdam*: haud dubie properans & memoriæ nimis confisus: qui duo solennes morbi tantum virum sæpenumero peccare jusserunt. Nusquam in vett. lib. *a colore rufi differunt*, sed Reg. & Rot. *a vocabulo rufi dicuntur neque.* Lincoln. *nihil a vocabulo rufi dicunt neque.* Dein regius: ξανθὸν *autem & ερυθρὸν & πυῤῥὸν & φοινὶξ habere quasdam* sine τὰ *sed*: & hoc recte meminerat Salmasius. Rot. quoque licet hic mutilus: ξανθος *autem Gr. & φοινὶξ habere quasdam.* Diximus τὸ *Gr.* notam esse Græci vocabuli aut plurium, quæ pingere supra captum librarii hujus esset. Sed ex istis colligimus auctorem scripsisse: *Russus enim color & ruber nihil aliud vocabulo rufi dicunt: ut neque proprietates ejus omnes declarant: ξανθὸς autem & ἐρυθρὸς & πυῤῥὸς & κιῤῥὸς & φοινὶξ habere quasdam distantias coloris rufi videntur.* Illud *aliud vocabulo*, ut Horatius *alium sapiente bonoque*, & *alius Lysippo duceret ære.* Adjecimus κιῤῥὸς, neque enim frustra liber optimus *& πυῤῥὸν & πυῤῥὸν*. Hesychius: κιῤῥὸν πῦρ, ἐρυθρὸν, ξανθόν. Varinus Favorinus: Κιῤῥὸς, κίτρι-

νος,

νος, Κιῤῥὸν εἶδος χρώματος, τὸ κοινῶς πίτρινον. Etiam hinc patet nulla veteris codicis auctoritate defendi illud *a vocabulo rubei*, quod e Gellio adducit vir doctus de lexicis pag. 37.

Lingua Græca, quam tu videre legisse] Quid est *legisse*? utrum ἀνεγνωκέναι; an ἑλεῖν? Neutrum profecto commodum. Scribe: *quantum videor legisse*. Sic modeste de semetipso loquitur Fronto. Quantum legendo percipere potui, agnosco Gręcam linguam uberiorem esse.

Quibus modo dixisti, designandis] Rotten. quoque *denominandis*, & Fulvianus apud Muretum. Immo & Romana Venetaque editiones. Quod vero apud Macrobium lib. 1. cap. 16. *Dies autem postridianos ad omnia majores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros, velut infausta appellatione damnarunt*. hic, inquam non ego *denominarunt*, sed *atrorum* scribi censeo. Nam *damnarunt* est quęsitę elegantię, ut quod ex Lucano Florus: *hunc diem fastis Roma damnavit*. Sic Plinio 18, 12 *faba in cibis Pythagorica sententia damnata*. Potius igitur dixerit Macrobius: *quos etiam atrorum velut infausta appellatione damnarunt*. Ut translatio mollior esset adjecit *velut*, utique propter verbum *damnarunt*.

Quam quæ producta abs te Græca sunt] Carrionis est *producta*: sed MSS. ut editi prius: *quæ dicta abs te*.

Aut acuentes eum quasi incendentes] Lege, *quasique incendentes*: vel, *& quasi incendentes*.

Quem tu Græce Φοινικοῦν *dixisti*] Reg. & Fulvianus: Φοίνικα, ut supra Φοῖνιξ pro Φοινικοῦς. Quod sequitur, *noster est*, ejurant scripti: mox iidem *exsuperantiam* pro *exuberantiam* (ut lib. 4, 18 *fiduciæ atque exsuperantiæ ingentis*.) & *significant* pro *significat*: denique *spadici* & *phœniceo* pro *spadicis* & *phœnicei*. Pręterea *factus Græce noster* nullo sensu dicitur. Quibus omnibus diligenter exactis sedit rescribendum esse: *Nam phœniceus, quem tu Græce* Φοίνικα *dixisti, & rutilus & spadix phœnicei* συνώνυμος, *qui factus e Græco noster est, exsuperantiam splendoremque significant ruboris; quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti, unde spadici & phœniceo nomen est*. Septem genera coloris rufi annumeravit, de quibus singulis deinde narrat aliquid proprium: hic de tribus *phœniceo, rutilo, spadice*; eos excellentiam quandam & aliquid splendidum rubens significare, quod antea dixerat acuere & quasi incendere colorem. *E Græco Romanum* ait factum, qui *spadix* appellatur: est enim nulla litera mutata Gręce σπάδιξ. Quod quia de phœniceo non dicit, quasi ea vox a Gręca idem significante esset remotior, vereor ne *pœniceus*, pro *puniceus*, (ut *Pœnicum bellum* pro *Punico* solet efferre) hic, ubi ea vox occurrit, enuntianda sit. Adde ad

de ad lib. 3 cap. 9. Jam illa, *ſpadici & pœniceo nomen eſt*, placuiſſe ante alia, quibus idem ſignificatur, monuimus ad Livium.

Rufus atrore & nigrore multo mixtus] Gebhardus e Pal. offert *atriore nigrore & multo mixtus*, 1 Antiq. 10. Fulvianus, Lincoln. Reg. & Rot. *Rubidus autem eſt rufus atrior & nigrore multo inuſtus*. Forſan, ut *inuſtæ maculæ*, *inuſta ſtigmata*. *Panis rubidus*, *ampulla rubida* apud Plautum & Feſtum.

Luteus contra rufus color eſt dilucidior] Rot. & Regius, *dilucio*. Nempe *dilutior*, ut Salmaſius ad Solin. p. 256. poſt Gebhardum tamen 1 Antiq. 10. hic quoque poſt Muretum, qui ex Fulviano id profert. Neqve aliter Lincolnienſis. Statim iidem codices tres *unde ei quoque nomen*, non *ejus*. Ut paullo ante *ſpadici & pœniceo nomen*.

Non ergo, inquit, mi Favorine] Reg. & Rot. *Non igitur, inquit, Favorine*.

Pluribus ab illis, quam a nobis, vocabulis] In Reg. Rot. Lincoln. non apparent *ab illis quam*. Has tres voculas inſeruerunt rudi illa emendandi ratione, qui cum haberent *pluribus a nobis*, non viderent τὸ *nobis* corruptum eſſe ex *vobis*. Sic enim tres illi ſpectati libri: *Sed ne viridis quidem color pluribus a vobis vocabulis dicitur*. *A vobis*, id eſt, a Græcis, quorum tu perſonam ſuſtines & cauſam agis.

Noſtris autem Latinis veteribus] Ocius dele τὸ *Latinis*, quod mala manus interpoſuit, neque eſt in Regio aut Rott. aut Fulviano. Sic ſolet loqui, *veteres noſtri*. Vide ad lib. 1. cap. 10.

Absque te, inquit, uno forſitan lingua profecto] Suſpicor ſcripſiſſe auctorem: *Absque te, inquit, uno foret, lingua profecto Græca longe anteiſſet*. Neque enim in hac formula verbum omittunt. Terentius Phormione: *Absque te eſſet, recte ego vidiſſem mihi*. Perſa: *Absque me foret & meo præſidio, hic faceret te proſtibilem propediem*.

Καὶ νίκην ἐπ' ἀρετῇ] Ex Homero hauſit Iliados ψ verſu 382.

Καί νυ κεν ἢ παρέλασσ' ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν.

Sed paullulum inflexit ſcribendo παρέλασσας & ἔθηκας. Prorſus enim ſic codex Regius:

Καί νυ κεν ἢ παρέλασσας ἢ ἀμφήριστον ἔθηκας.

Quod ſuſpicatus etiam fuerat Stephanus. Nam *facis* a Carrione noſtri confirmant, nec neceſſe eſt *feciſti*.

Flavus color viridi & albo] Reg. & Rot. *colore*. Fac: *Flavus color e viridi & albo mixtus*.

Spumas virentis maris flavo marmore appellavit] Reg. & Rot. *ſpuma virentis maris flavo marmor appellavit*. Vatic. *flavum marmor*,

mor. Lege: *spumam virentis maris flavum marmor appellavit.*

Cap. 27. *T. Didio imperante.*] Sic & Rot. Lincoln. regiusque. Fulvianus, *imperatore.*

Magno usu bello Marsico] Notum est, *Venatu invigilant.* Quia tamen Rot. & Lincoln. *usi*, suspicor fuisse *magno usui, bello Marsico, paratu militum & armorum fuit.*

Deinde per invidiam scriptorum] Sic quidem libri. Placet tamen Lipsii 4 Epist. Quæst. 4. *per invidiam proscriptorum.* Est enim *invidia* non tantum invidentis, sed etiam illorum, quibus ea conflata est. Sallustius ipse in bello Catilin. *qui invidiam Ciceronis, quæ postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui pœnas dederant*

Quæ eminus facie sua ostentabat] Romana: *Cominus faciem suam ostentabant.* Ven. *Cominus faciem suam ostendebant* Aldus: *quæ eminus faciem suam ostentabant.* Reg. & Rot. *quæ vivus faciem suam ostentabat.* Lipsius: *Cominus faciem suam ostentabat.*

T. Castritius cum pensitaret] Reg. & Rot. *De utriusque his verbis T. Castritius cum judicaret.*

Cum gaudio efferventiore eventu rerum expetitarum.] Ro. *animi gaudio efferventiore eventu rerum expetitarum.* Aldus addidit *rō cum.* Carrio detraxit *rī eventu.* Rot. *animi gaudio efferveſcentiore eventum.* Reg. *animi gaudio efferventior eventum.* Scribe: *Lætitia dicitur exsultatio animi gaudio efferventis ob eventum rerum expetitarum.*

Sincerus & humanis magis rationibus conveniens] Sic Carrio, cum fuisset, *& humanius magisque omnibus conveniens.* Scripti: *sinceriusque & humanis magis communibus conveniens.* Lege: *quanto illud sinceriusque & humanis magis conditionibus conveniens.*

Fortunæ producendos daret] Sic quidem libri, sed id significat haud dubie *prodigendos*, ut Aldus, Badius, Gryphius jam reddiderunt. Juvat Lincoln. qui *prodicendos.*

Quæstu atque compendio gloriarum] Rott. & Reg. *atque compendio atque gloriarum.* Lege *quæstu atque compendio auctuque gloriarum.*

Cap XXVIII. *Oporteat cum terra movet*] Sic fecit Carrio, quod erat satis inepte: *Cum terra movetur viribus.* Accipimus, quod dedit 1 Emend. 11. sed hoc amplius censemus Gellium scripsisse: *cum terra movit.* Sic enim infra ipse hoc capite, & lib. 4, 6. *Ut terram moviſſe nuntiari solet.* Suetonius Claudio: *observavitque sedulo, ut quoties terra moviſſet, ferias advocata concione prætor indiceret.*

Quamobrem terræ motus fiant] Reg. & Rot. *terræ mores.* Lege, *terræ tremores*, ut præcepit Salmasius. Suetonius Nerone cap. 48. *statimque terræ tremore & adverso fulgure pavefactus.* Galba 18. *Urbem quoque & Palatium ingressum excepit terræ tremor & assimilis quidam mugitui sonus.*

Com-

Compertum non est, sed ne inter] Reg. Lincoln. Rot. ablegant *ne non est*: ut sit, *non modo his communibus hominum sensibus opinionibusque compertum, sed ne inter physicas quidem philosophias satis constitit.* Observatum eruditis *non modo* sæpe fuisse antiquis pro *non modo non*: & restituimus Livio lib. 25, cap. 26. defendimus Senecæ de providentia cap. 1.

Undantium fluctibus pulsibusque] Reg. & Rot. *pulsibusque fluctibusque.* Scribe *pulsibus fluctibusque.*

Neptunum συνοσίσιον ℰ *Ἐσοίχθονα*] Regius ignorat *συνοσίχθονα* ℰ. Vatic. *unum συνοσίχθονα.*

In omnibus aliis vitæ officiis] Scripti, *in omnibus vitæ officiis aliis.*

Præculoque ob hanc rem opus esset] Lipsii conjectura certa, cum scripti & editi *remotus esset. Si deo, si deæ* non modo scriptorum, sed & Romanæ, Venetæ, Aldinæ, Badianæ editionum est. In Gryphiana, *sive deo, sive deæ*: quod corrigendum monuit Carrio. Cæterum pro *immolabat*, Rot. & Regius *immolabant.* Recte: nam *τὸ si quis* pro collectivo est.

Sed de lunæ motibus solisque defectibus] Quasi lunæ proprii sint *motus*, solis *defectiones*, & non utriusque sideris & *motus* & *defectiones*. Tolle igitur *τὸ motibus*, cui locus hic nullus, & scribe cum Reg. & Rot. *Sed de lunæ solisque defectionibus.*

Incerta tamen & incuriosa super] Reg. & Rot. *incerta tamen & incuriose super ea re opinatus est.* Cap. 31. *siquis non incuriose legit.*

Cap. XXIX. *Non severe non imperiose præcepit*] Reg. & Rot. cum Fulviano: *neque imperiose præcepit.*

Habitat nidulaturque in segetibus] Sic omnes nostri. *Habet* Schegkii nusquam.

In sementes concesserat tempestiviores] Hic vates Schegkius epist. 6 Præmess. legens *congesserat*.. ex Virgiliano, *aeriæ quo congessere palumbes.*

Frumentis flavescentibus] Reg. *flaventibus.* Ut supra *effervescentis.*

Si quid ibi rei novæ fieret] Ita Rot. E Regio notatum, *si quid interea novi fieret.* Neutrum integrum censeo, sed, *si quid interibi rei novæ fieret.* Plautus Captivis: *vos lavate interibi.* Et sæpe. Noster 3, 7.

Hæc ubi ille dixit, discessit. atque ubi rediit] Reg. & Rot. *Hæc ubi ille dixit, & discessit, atque, ubi rediit captata, pulli trepidiuli circumstrepere.* Res levis prima fronte, sed non levis culpa inscitiæ, quæ scabiem suam huic loco affricuit. Non enim tantum quid esset *atque*, ipsa non cepit, sed & aliis quamvis eruditis, intellectum ejus abstulit. Quo non minus hic delectatus noster, quam Virgilius, cum caneret, *si brachia forte remisit,*

remisit, Atque illum in præceps. Vide 10, ult. & nos ad Livium 26.

Properet atque alium in locum.] Quinque membranacei: *properet inque alium locum sese asportet.*

Misit qui amicos rogaret] Rott. & Fulvianus *roget.* Loquitur tanquam de re nondum perfecta, sed quæ esset in pendenti.

Jubet eos a metu otiosos esse] Rottendorfianus *a motu*; sed *jubet eos animo otioso esse* Fulvianum Muretus olim, Regiumque habere nuper prodidit Lambecius. Placet admodum, & sumpsit a Terentio Andr. 5, 2. *Animo jam nunc otioso esse impero.* Nihil aliud volunt ambo, nisi quod post paullo dicit noster, *sine metu & sine cura esse.*

Meßem ad amicos] Lincoln. *meßium.* Rot. *messim.*

Et sit nihil, & amici nulli erant] Plautus Curcul. 5, 3. *Velut decem minas dum solvit, omnis mensas transit. Postquam nihil sit, clamore hominem posco.* Cicero ad Trebatium 7, 18. *An hoc significas, nihil fieri, frigere te?* Cæterum Reg. Lincoln. Rot. *& sit nihil & dies & amici.* Scribimus: *Sol fervit, & sit nihil: it dies & amici nulli erant.* Hoc posterius membrum quasi exegesis est præcedentis. Plautus Pseudolo 1, 2. *It dies, ego mihi cesso. i præ, puere.* Ovidius 1 met. *& euntem multa loquendo Detinuit sermone diem.* Fulvianus quoque: *& sit nihil & dies amici.* Unde Muretus fere, ut nos.

Amici isti, inquit, magnam partem] Editum ante hac, *magnam in partem.* Scripti: *Amici isti magnam partem, inquit, cessatores sunt. quin potius imus & cognatos adsimes vicinosque nostros oramus.* Illud *Quam potius* Carrionis. *Quin potius imus*, ut nostri scripti & editi, est. Cur non potius imus? lib. 3, 19. Iidem codd. *temperi.* ut *pigneri.*

Ut ad laborem capessendum nihil evocentur] Sic primus Aldus: neque aliter Vetus Etymologicon in membranis ex hoc nostro, ut & Varrone, Festo, Nonio &c. excerpta continens, bibliothecæ Academicæ. At Reg. & Rot. & Romana cæteræque editiones, *contentur*, vel *cunctentur.* Forte: *ut ad laborem capessendum nihil evocati contentur.*

Operam quam dare mutuam rogati sunt supersedent] Reg. Rot. Fulv. *supersederunt.*

Afferes prima luce falces duas] Regius *primo luci.* Hanc gemmulam ex putissimæ ac penitissimæ antiquitatis armariolis depromptam nostro inviderunt οἱ καινόζηλοι. Terentius Adelph. 5. 3. *cæterum rus crascum filio cum primo luci.* Varro lib. 5. *& ut in campo cum primo luci adsiet.* Idem Synephebo: *Hodie si possumus, quod debemus, populo, in foro medio, luci claro decoquere.* Et hoc ne Cicero quidem refugit.

Cuja est res] Reg. & Rot. *cuja res est.* Quod sequitur, in iisdem est, ut vulgo. Ex Fulviano notavit Muretus: *cuja est res, non aliunde petitur.*

Et propinquorum levi & inani] Rot. quoque, *levi plerumque & inani.* Nec Fulvianus aliter prodente Murero lib. 2 epist. 6.

Sed quid aliud sanctiores libri Philosophorum monent quam ut in nobis] Omnino pro interrogatione hæc accipienda, nec potest tolli τὸ *quam*, nisi ut oratio omnis ac sententia concidat. Nam si non interrogatur, τὸ *Sed quid aliud*, erit intelligendum, quasi esset, *sed aliquid aliud.* At non esse aliud vult auctor, quod monent graviores libri philosophorum, aliud quod Æsopus ore fabellæ risum movente prudens consilium dat: sed idem utrosque condocefacere. Igitur faciendum erat: *Sed nihil aliud:* & tum tamen abesse τὸ *quam* non posset.

Extraque animum nostrum sunt] Hoc quidem etiam monent philosophi, præsertim qui alia quam animi bona non agnoscunt. Sed hæc quæstio non est hujus loci: illa tanguntur, quæ non sunt animi tantum, sed etiam operę manusque, & in quibus licet agere vel non agere. Quare longe prędfero quod est in regio: *quæ extra nos extraque nostrum arbitrium sunt.* Epictetus: Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν. Et mox. Καὶ τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν ἐστι φύσει ἐλεύθερα, ἀκώλυτα, ἀπαρεμπόδιστα· τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν ἀσθενῆ, δοῦλα, κωλυτὰ, ἀλλότρια. *Extra nostrum arbitrium sunt* τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν & ἀλλότρια. Sic lib. 17, 1 distinguit, quę *de nostra voluntate nostroque consilio* possint fieri & quorum *nec consilium sit nostrum nec arbitrium.* Lib. 19, 1. *Visa animi non voluntatis sunt neque arbitraria, probationes autem* eorum *voluntariæ sunt, suntque hominum arbitrii atu.*

Cap. XXIX. *Undarum motibus qui in mari*] Sic Carrio. Priores, *motibus & quæ in mari.* Regius, *in undarum motibus quæ in mari.*

In undarum motu observatum est] Reg. Rot. Lincoln. negant hic novisse τὸ *observatum est*: negant item τὸ *quasve.* Dein Rot. *& eadem* Lincoln. *ex earum.* Admodum igitur diffido integritati hujus loci. Neque erat necesse *aerem fluentem* interponi. Vide an fuerit: *Hoc sæpe numero in undis notatum, quas aquilones venti, quasque ex contraria cœli regione faciunt in mari austri atque africi.*

Maximi & crebrissimi excitantur] Hoc undecumque arripuit Carrio: & subscribit Lincolnienſis. Sed Reg. & Rot. *creberrimi.*

Et a vento quidem jamdudum tranquillæ sunt] Gebhardus e Pal. *& a vento quidem jam tranquillæ sunt dudum*, 1 Antiq. 2. Rot.

Reg. & Rot. *jamdudum tranquilla sunt.* Quod valde probo: & perinde est, ac si dixisset, *iamdudum tranquillitas est.* Hoc enim κατ' ἐξοχὴν *tranquillum*, ut ad Livium 28, 27 notavimus.

Eius rei causa esse conjectatur] Reg. & Rot. *causa esse hæc conjectatur.*

Undasque faciunt, non prorsus impulsas, sed vi intus commotas] Lincoln. *sed in intus.* Regius, *sed initus* Rott. haud ambigue *sed imitùs commotas.* Quod pari felicitate restituit Lipsius, etsi adhuc non auditus, infra 17, 1. *fontes imitus ignis eructari.*

Propelli sursum atque rursum subjici] *Sursum prorsum* vel *rursus prorsus*, vel *rursus ac prorsus*, quid sit scio: *sursum* quoque *deorsum* bene habet: sed *sursum* vel *susum atque rursum* Carrionis unius commentum est. Quod tamen etiamsi rectè diceretur, rei præsenti non congrueret. Scripti equidem *propelli rursum atque subjici*, quod, credo, illum traxit in errorem: sed illi nihil aliud significant, quam quod antehac publicatum fuit, *propelli sursum atque subjici.* Ille putavit *rursum subjici* esse decidere quod elevatum ac propulsum sursum esset. At *subjici* est id ipsum quod *propelli sursum*, intumescere & altius fieri. Sic Virgilius: *Quatum vere novo viridis se subjicit alnus.* Et alibi: *Parnassia laurus Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* Vide ad Livium 6, 24.

Sicut in alio loco] Rot. & Lincoln. *sicut alio in loco.*

Cum Aristotelis libros problematum præcerpsimus] Lege ex Regio & Rot. *problematorum præcerperemus.* Vide supra, & infra 3, 6. *Præcerpere* dictum, ut *præstorare.* Ipse lib. 14, 1. & Livius Apuleiusque.

Ad Lib. III.

Cap. I. *Hieme jam discedente*] Corrige ex MSS. *decedente.* Virgilius ecl. 2. *sol decedens duplicat umbras.* Primo Georg. *Gnossiaque auratæ decedat stella Coronæ.* Et in quarto: *Te veniente die, te decedente canebat.* Horatius lib. 1 epist. 6. *& decedentia certis Tempora momentis.* Curtius lib. 8. *noctem, quæ decederet.*

Apud balneas Sitias.] Sic & prima editio Romana. Rot. *Stitias.* Reg. *Sticias.* Lincoln. *Scitias* Alius, *Scicias.* Numquid *Titias?* Martialis lib. 11 epig. 52. *Hic nullo comitante vel molesto Thermis grandibus & suis lavatur. Angustè Titius tamen lavatur.* Onuphrius quoque in augmento Aurelii Victoris sub titulo, Quæ quo loco quave urbis regione reponerentur, non

liquebat, appellat *Balinea Titii, Sophonii Tigellini &c.*

Quid enim istuc sit] Regius *fit*. Forte : *Quí enim istuc fiat.*

Longe jam diu in eo ipso quærendo fui] Rot. *Ego inquam longe diù nec ipse*, sine ꝯ *Et* a principio. Suspicor: *Eo, inquam, longe diu & ipse quærendo fui. Longe diu* est admodum diu vel valde diu. Ut apud Plautum, *Diu & longum, diu & multum.* Vulgaria sunt *longe aliter, longe secus. Fui quærendo*, ut cap. 7. *esse exspectando.*

Periphrasin poëtarum] MSS. *periphrasis*. hoc est periphrases. nam semel id ausi non solent in uno sistere. Et prægnantior hic numerus est.

Et quid haberet] Omnino, *ecquid*, ut olim editum. nam MSS. ubique fere hæc confundunt: eoque non illi, sed ratio in his sequenda est. Rot & Reg. *rogatus eo quid haret.* Vox ultima compendium scribendi est: quod non assecutus serior librarius audacissime reddidit *horum*, idque transposuit, ut in Lincoln. habetur: *& quid horum super ea re diceret*, quemadmodum Pal. fere apud I. Gebhardum 2 Antiq. lect. 4. Lib. 14, 1. *an quod ita serio judicatoque existimaret, non habeo dicere.* Lib. 17, 20. *habesne nobis dicere in libris rhetorum vestrorum tam apte compositam orationem?*

Quos, inquit, avaritia minuit & corrumpit] Diu quæsisse ait Gebhardus, quid esset *minui avaritia*, subjicitque *invit.* Ego eo verbo haudquaquam offendor. Sed Reg. & Rott. *Quorum inquit.* dein Reg. *avaritia tenuit & corrupit*: Rot, *avaritia intenuit & corrupit.* Scribe : *Quorum, inquit, avaritia ingenium corrupit.*

Sese in quærenda undique pecunia] Præpositio neque in MSS. neque in editionibus vetustis Romana, Ven. Aldina, Vascosani, Gryphii conspectui est. Dein Reg. *sese quærunda pecunia*, sine ꝯ *undique*. Rot. *sese quærunda undique pecunia.* Lege. *quique sese quærundæ unice pecuniæ dediderunt.* Lib. 19, 2. *qui duabus istis belluinis voluptatibus sese dediderunt.*

Negotiis se plerumque] Rot. *Negotiis qn ſplerumque.* Regius: *Negotiis enim se plerumque.*

Sicut & alia in his omnia] Præpositio videtur vacare. Bene autem Carrio vel Stephanus, *relicti sit*, & confirmant scripti, ubi vulgo edebatur *relictum sit.* Sicut alia sunt his relictui & insuper habentur, ita & labor.

Eosdem cum corpore esse vegeto & valenti] MSS. *eosdem tamen corpore esse vegeto ac valenti.* Est autem *vō tamen* & in superioribus editionibus, neque mutasse operæ pretium est.

Eum teneri necessarium est] Rot. *necesse est*. Reg. *necessum est.* Atque ita reponendum.

Is vere dici poteſt effœminato eſſe] In Rot. video *tum denique id vere*. Neque aliter Regius, ſed hic præterea *effœminando*. Conjicio: *tum denique id vere dici poteſt effœminando eſſe animo & corpori, qui neque ſeſe neque aliud curet, niſi pecuniam*. Intelligendum, *animo & corpori ejus, qui*. Rot. etiam *eſſe corpore & animo*. Regius, *curent poſt pecuniam*. Rot & Lincoln. *curent niſi pecuniam*. Quaſi τὸ *qui* plurativo numero velint ſignificare intellectum & *eorum*.

Plus quam potuit eam criminatus eſt] P. Scriverius malebat, *plus quam oportuit*.

Cap. II. *M. Varro dicat eorum*] In Regio non apparet vox *eorum*: neque opus ea eſt: ſed & ſæpe illam inculcarunt auctoribus invitis. Similiter ipſum principium: *qui noctis hora tertia quartave ſive alia nati ſunt, uter dies natalis haberi appellarique debeat*. Non enim putavit neceſſario ſibi dicendum eſſe, *dies natalis eorum*.

Qui dies noctem conſecutus eſt] Verbum ſubſtantivum non video in Rot. Et ſufficit: *is ne quem nox ea conſecuta eſt, an qui dies noctem conſecutus*.

Qui ex media nocte ad] Olim, *qui media nocte*. Sed e Macrobio, qui totum hoc caput deſcripſit, addiderunt prepoſitionem *Ex*. Reg. Lincoln. Rot. *qui in media*. Rot. amplius: *qui in media nocte naſcuntur ad proximam mediam noctem in his horis* XXIII *una die nati dicuntur*. De particula nolim contendere, quam Macrobius ex meliori codice, quam nobis ſunt, hauſiſſe videtur.

Qui in ſex horis noctis poſterioribus naſcatur] Rot. *qui in poſterioribus* VI *horis noctis naſcitur*.

Quod quidem, inquit, nimis abſurdum eſt] Iac. Cujacius Obſerv. 15, 32 legit *minus abſurdum*. Et ſic editum Gryphio. *Nimis* haud dubie verum eſt. Abſurdum enim eundem duos proprie dictos habere natales. Id autem evenit hac Umbrica diei æſtimatione. Qui natus eſt Calendis matutino vel ante ſextam finitam, ejus natalis ſunt Calendę. At idem dies poſt ſextam incipit cenſeri Quartus vel Sextus Nonas. Natus igitur videtur iſte & Calendis & quarto vel ſexto Nonas. Sed hęc mera cavillatio eſt, nam quod ait eum diem, qui poſt Calendas eſt, etiam videri debere iſtius natalem, id verum eſt de die naturali, non civili Umbrorum. Civiles enim Umbrorum Calendæ cum ſexta exierant. Itaque qui poſt ſextam naſcebatur, ejus natalis erat quartus vel ſextus Nonas, haudquaquam Calendæ.

Et Kalendarum dimidiatus] Reg. & Rot. *dimidiarum*. Tum Rot. *ante horam ejus diei ſextam*. Forte: *ante horam ejuſdem ſextam*.

Partim diurna, partim nocturna] A mala manu est. Noster enim Sallustiani moris æmulus scripserat: *partim diurna, aliæ nocturna.* Sic Reg. & Rot. & Macrobius.

Quæ inter noctem fiunt] Sic MSS. non *internoctu*, ut frustra Lipsius & idem Livio ingerens Freinshemius. Vide ad Livium 29, 14. & 32, 29

Qui proximus eam noctem illuxerit] Sic sane Plautus, Cicero, Livius. Rot. tamen *luxerit.*

Auspicantur & post exortum solem agunt] Sic advocat Lipsius, testatus tamen libros plerosque veteres habere, *& post meridiem sole magno*: unde se corrigere: *& post meridiem solem agunt.* Apud Gryphium invenio illud *post exortum solem*: nam Rom. Ven. Ald. Vascos. *post meridiem sole magno.* At Rot. & Reg. *& post meridiem solem agnum.* Unde quid potest commodius fieri Lipsiano? Quod tamen non satisfacit Er. Puteano in Genialibus sermonibus, qui multo cum honore magistri, fatetur recte restituisse Lipsium, sed errasse vult Gellium, qui dicere debuisset, *post occasum solem agunt.* alioqui licere interpretari Romanos, perinde ut Athenienses, diem a sole occaso ad solem iterum occidentem pro die uno habuisse. Sed cum sol occasus suprema tempestas foret, quid erat, obsecro, quod magistratus publice auspicato post solem occasum agerent? Dein cum pluribus argumentis Gellius utatur, sufficit hoc argumento demonstrari, tempus a media nocte usque post meridiem unius diei æstimationem non excedere: atque ita nec Babyloniorum nec Umbrorum similem Romano morem. Accedunt alia, quę satis aperte & ab Athenien sibus Romanos separent. At Scioppius de stilo historico, memorabilem vocat Lipsii solœcismum *meridiem solem*, & post multa, ut mos hominis erat, acerba dicta impingit nobis, *post meridiem solum agunt*; vel *post meridie* vel denique *post meridiei solem*, omnia nugatoria. Non erat Lipsius tam ridiculus, neque pueriliter sibi persuaserat, *τὸ sol occasus* dici ut *Urbs Roma*: & potius turpissimum est Scioppium nescivisse, *meridiem solem* accepisse Gellium pro meridiano, ut *Pontus Scythes* pro Scythico apud Senecam, *Phryges luci* pro Phrygiis apud Statium, *amor advena* pro peregrino apud Ovidium, *Dialectus Doris* pro Dorica apud Suetonium, *stellæ errones* pro erraticis Nigidio, quod refert noster hoc libro cap. 10.

Post meridiem solem agunt auspicati] Manca & mutila hęc esse clamat Pryc. Puteanus, seque restituere: *cum post mediam noctem & post ex. s. agunt auspicati.* Sed meliores editiones adhibuisse debebat. non enim Stephanus modo, sed & Ro. Aldinaque cum MSS & Macrobius *auspicatique.*

Egisse

Egisse ex eodem die dicuntur] Rot. *& eodem.* Sed neutra particula utilis, atque adeo abolenda: præterea neque aut Regius aut Macrobius eam agnoscit.

Quos nullum diem abesse Roma licet] Er. Puteanus ex Macrobio supplet, *nullum integrum diem.* Non subscribunt manu exarati. Vide Cujacium 24 Observat. 16, & nostrum 13, 12.

Non dicuntur abfuisse unum diem quando] In Rot. conspicor: *non videntur abfuisse unum diem, quoniam.* Ex Regio quoque mihi notarunt *quoniam.*

Partem aliquam illius in urbe Romana sunt] Sic Aldus & Gryphius. Sed Regius, Rott. editionesque Ro. Ven. Steph. *parte aliqua illius in urbe Roma sunt.* Macrobius: *partem aliquam in urbe consumunt.*

Q. quoque Mucium juris consultum] Reg. & Rot. *jureconsultum.* Lib. 4, 2. *propterea quæsiverunt jureconsulti veteres.* Sic & Macrobius.

Dicere solitum legi] MSS. & Macrobius: *dicere solitum, lege.* Suspicari liceat: *Q. quoque Mucium dicere scilicet, Lege non esse usurpatam.* Quod nihil aliud est quam, *Q. quoque Mucius dicit scilicet.* Vide Observ. 3, 9.

Non esse usurpatam mulierem] Macrobius, *lege non isse usurpatum mulierem.* Intellige cum effectu. *Lege non isse usurpatum* est non legitimo more firmasse usucapionem, vel usum, quo fiebant justæ nuptiæ. Ut constaret matrimonium usu, trinoctium abesse matronam a viro juris erat. Quæ itaque it usurpatum a. d IV Calendas Januarias, non implet trinoctium. Prima quidem nox inter quartum & tertium Calendas integra est. Secunda inter tertium & pridie Calendas, item solida est. At tertia non est integra, quia horæ post meridiem noctis sive post sextam non sunt diei præcedentis, qui annum finit, sed Calendarum Januariarum, quæ novum annum incipiunt. Utrum adamabis, non inepte facies. *Usurpatam esse* nempe a marito: non effeciisse, ut usurpata judicaretur, ut usu uxor fieret. quemadmodum in lemmate: *quam maritus non jure usurpaviisset. Usurpatum isse* si mavis, supinum sumendum est παθητικῶς, nempe abnoctasse, ut a marito usurparetur. quemadmodum mox, *usurpatum esset*, & *usurpandi causa.*

Isthæc autem omnia] Reg. & Rot. *Iste.* & in utroque ℣ *Ad* desideratur. Quid si fuerit: *Istas autem omnis de dierum temporibus & finibus observationes, disciplinam antiqui juris continentis, quum in libris veterum inveniremus.*

Cap. III. *Atque contente lectitaverunt*] Rot. *lecticarunt.* Reg. *lectitarant.* Alius & Lincoln. *lectitaverant.* Mox priores duæ, *ambiguæ creditarum.* non *creditaros*, Scribe: *qui pleraque Plauti*

Comœdias curiose atque contente lectitarit ; non indicibus Ælii &c. *super his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, crediturum.*

Adductus stilo atque facetia] Rot. *philo atque.* ut tamen subjectis punctis τῇ P & τῇ H supra scribatur eadem manu *F.* Regius *filo.* Recte atque eleganter. Cicero in Lælio : *Nos autem a te potius : quamquam etiam ab istis sæpe quæsivi & audivi : sed aliud quoddam filum orationis tuæ:* de Oratore lib. 2. *Omnes etiam tum retinebant illum Pericli succum, sed erant paullo uberiore filo.* Lib. 3 ejusdem operis : *Hæc formanda filo ipso & genere orationis.* Oratore : *si tenues causæ, tum etiam argumentandi tenue filum.* Et in epist ad Dolabellam, *munusculum levidense crasso filo.* Noster 16, 19. *Celeri admodum & cohibili oratione vocumque filo tereti & candido.* Sic Symmacho *elaboratam soloci filo cantilenam* restitutum virtute Scioppii, frustra sibi vindicantibus aliis.

Ubi iste monebat esse, nisi cum] Distinguendum & legendum censeo : *Ubi iste monebat, esse, nisi cui nihil erat.* nam *esse* est edebant, vescebantur.

Non est, nisi soli] Ro. Ven. Vascos. *non estur*, quod & sensus & modulatio carminis requirit. Reddidimus idem verbum Militi Plautino. *Epityro, ut apud illum estur insane bene.*

Strateæ, scrupedæ, strativolæ] Apud Varronem, *Scrantiæ scrupedæ stritabillæ, tantalæ.* Apud Festum *Scraptæ.* Apud Nonium *Scraptæ scrupedæ strictivillæ sordidæ.* Regius : *Scrattæ scripedæ strittivillæ sordidæ.* Rott. *stratte scr. strittivillæ sord.* Tertius, *Stracte strupe destrati nilbe sordidæ.* In antiquiss. cod. Nonii. *estrate crupedæ strictibellæ sordidæ.* In quibus omnibus nihil sani. Nos ad Plauti Casinam tentavimus.

Quin & Plauti foret & omnium maxime] Priorem copulativam deleverunt nuperrimi. Reg. & Rot. *quin ea Plauti foret & omnium quidem maxime genuina.* Quidam *gemina*, alius *germana.*

Sed M. Acutici] Scriptus *M. Hatrutici.* Reg. & Rot. *M. Accii Titi.* Lambecius, *M. Aquilii.*

Non tamen dubium est] Reg. & Rot. *Neque tamen.*

Resipiant dictum Plautinum] Cur recesserunt a membranarum *stilum Plautinum?* Ro. & Ve. *recipiant dictum Plautinum.* Aldus, Vascos. Gryphius *Recipiant stilum Plautinum.* Notavit & Juretus ad Symmachi lib. 1. ep. 26.

In mercationibus perdita] Reg. Rot. Lincoln. *in mercatibus.*

CAP. IV. *Barbam & genas radere moris fuit*] Sic Aldus, Vasco. Gryphius. At Ro. Venetaque, *radere patrii moris fuerit.* Regius, *radere mos patrius fuit.*

Neque non candida veste uti] ? *Non* videtur abundare. intelligitur enim ex precedenti *desisse.* Alioqui dicendum fuisset : *neque non candida veste usum.*

CAP.

CAP. V. *Incorruptus tamen & castus & perinteger*] Po sterierem copulativam editiones priscę aguoscunt nullę. Vascos. satis audacter, *& castitatis integræ.* Fulvii codex. *castus & stupro integer.* Reg. & Rot. *tamen & astu perinteger.* Puto utrobique conjunctionem] delendam: ut sit: *qui incorruptus tamen, castus, perinteger dicebatur.*

CAP. VI. *Aristoteles in septimo Problematum*] Fulvianus, Reg. & Rot. *problematorum*, ut supra 2, 30. Festus in *Naucum: Glossematorum autem scriptores fabæ grani* (putamen,) *quod hæreat in fabulo.* Sosipater lib. 1. *A litera terminata singularia neutra nulla inveniuntur, nisi peregrina, ut poema, toreuma, emblema, de quibus dubitatur, quem casum genitivum & ablativum habeant pluralem. Legimus enim toreumatum & toreumatorum: item toreumatis & toreumatibus.* Idem eodem: *Poematorum & in secundo & in tertio Varro sæpe dicit, & his poematis, tamquam nominativo hoc poematum sit, & non hoc poema. nam & ad Ciceronem undecimo, horum poematorum & his poematis oportere dici ait. Itaque Cicero pro Gallio poematorum & in Oratore poematis dixit. Sed & Q. Lælius ex principibus Grammaticis libri sui ita inscripsit: De vitiis virtutibusque poematorum. Accius quoque Didascalicorum nono. Nam quam varia sint genera poematorum, Bæbi, quamque longe distincta, ab aliis nosce.*

Supra palmæ, inquit] Reg. & Rot. *inquiunt.* Bene, nam & ad Aristotelem & Plutarchum refertur.

Nec intra flectitur] Salisberiensis, *in terram flectitur*, ut notavit Chr. Colerus Parerg. 20. addito, Nescio quam bene. Et videtur alterum scitius. nam *intra* est in sese.

CAP. VII. *Verbaque ex Originibus M. Catonis*] Reg. *de Originibus.* Et observavi sępius, ubi utrumque opportunum, hoc illo veteres maluisse.

Hostium circumstantia. Maturum censeo] Fulvii margo dubium e scripto, an ab ipsius ingenio: *ostendit exitium de loci importunitate & hostium circumstantia maturum. Censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum.* Et sic etiam Scioppius de stilo historico. *Maturum*, propinquum, imminens. Cicero 2. de divin. *Edidit hæc Calchas, quæ jam matura videtis.*

Quadringentos aliquot milites] Hoc Carrionis vel Stephani. sed MSS & superiores editi, *aliquos.* nec fuit mutandum. Plautus Menęchmis 5, 5. *Elleborum potabis faxo aliquos viginti dies.* Ubi perperam Scaliger quoque *aliquot.* Lambinus] opportune addidit ex Varrone: *esse oportet brassicam crudam ex aceto, & post aliqua folia quinque.*

Consilium quidem fidum atque] Rot. ignorat τὸ *fidum.* Regius, *Consilium quidem istud æque providens sibi viderier.* quę vera lectio est.

Consul tribuno gratias laudesque egit] Reg. & Rot. *agit.*

Quorsum ire pergant, in expectando sunt] Præpositio nescitur a Regio. Sic supra hoc libro cap. 1. *Eo, inquam, longe diu & ipse quærendo fui.*

Apparuit ad eandem verrucam] In Reg. & Lincoln. particula deest. Rot. quoque, *apparuit adem verrucam.* Lege, *Sed ubi apparuit ad eam verrucam.*

Peditatum equitatumque illos quos in exercitu] Pronomen *illos* in primo reperio Aldo. Romana & Veneta cum MSS id hinc arcent. Sed præterea Regius: *peditum equitumque quos.* Sic igitur scribe: *Mittit adversum illos imperator Karthaginiensis peditum equitumque quos in exercitu viros habuit strenuissimos.*

Quadringenti omnes tum una perfossi] Io. Pricæus ad 4 Apul. metam. recte judicavit locum esse corruptum, eoque tentat, *omnes ad unum.* Eruditius Reg. & Rot. *omnes cum uno perfossi.* Genus est loquendi, qualia notavimus observatorum in Script. Eccles. cap. 3. & Mantissa Pec. vet. cap. 1. *redire cum decimo, cum centesimo aufugere, cum sexagesimo capere.*

Consul interibi dum ea pugna fit] Lincoln. *interibi dum ea pugna se.* Rot. *Consul inter ibi dum ea puga se.* Reg. *Consul interim dum ibi pugnatur se in locos tutos atque editos subducit.*

Verba Catonis] Hæc non sunt in Rot. neque manu prima in Regio, ubi ad marginem posita sunt, unde ab imprudenti librario inserta videntur.

Evenit cum saucius] Reg. & Rot. *Evenit ut cum.* Lege igitur: *evenit, ut cum saucius multifariam ibi factus esset, tum vulnus capiti nullum evenerit.*

Ægreque spirantem] Et hoc a Carrione vel Stephano. nam priores, *atque spirantem.* Scripti etiam *atque*, sed ignorant *spirantem.* Subest haud dubie aliquid gravioris vitii. nam Rot. *defatigatum vulneribus atque quod sanguen defluxerat.* Nec aliter Lincoln. nisi quod *sanguinem.* Regius, *defatigatum vulneribus atque quod sanguineis ejus defluxerat.* Ubi illud, *inter mortuos defatigatum vulneribus atque cognovere*, integrum & Catonis esse censeo quam quod maxime. *Atque* enim idem quod cito, celeriter. de quo ad Livii lib. 26, 39. & noster lib. 10, 29. Qui etiam utitur lib. 17, 20. *Hæc verba ubi lecta sunt, atque ibi Taurus mihi, Heus tu, inquit, rhetorisce.* Sed his interjecta monstrum alunt. Suspicabar, *ut sanguen ore ejus effinxerant.* Etsi enim caput sauciatus non erat, tamen & suo & hostium cruore faciem poterat habere maculatam. *Effingere* autem sic Catonianum verbum, de re rust. cap. 68 *fiscinas spongia effingat.* Nec Ciceroni spretum, pro Sextio: *e foro spongiis effingi sanguinem.* Et fortassis hic quoque Priscus ille: *cumque inter mortuos defatiga-*

fatigatum vulneribus atque, ut sanguen spongia effinxerant, cognovere, eum sustulere. Quando autem Stephanus edidit *defetigatum*, ne hoc quidem silendum puto, in Rot. esse *defetigatum*, sed τῇ A priori subjecto punctulo suprascribi *E.*

Benefactum in quo loco] Aldus, Vascos. Gryphius, *loco in quo ponas.* Regius & Romana: *quo in loco.*

Leonidas Lacedæmonius laudatur qui simile] Neque in Regio neque in Rot. conspicuum est τὸ *laudatur.* Tum uterque, *Leonidas lacu qui simile.* Lego: *Leonidas Laco consimile apud Thermopylas fecit.*

Q. Cæditii virtutem] Reg. & Rot. *Q. Cæditii tribuni virtutem.*

Nomen fuisse refert, sed Valerio] Reg. & Rot. *fuisse ait sed lauerio.* unde *Laberio* Ro. Ven. Ald. Vasc. Gryphius. nec video quę potior auctoritas fuerit sive Carrioni, sive Stephano, ut supponerent *Valerio.*

Cap. VIII. *C. Fabricii & Æmilii*] Reg. *& q. Æmilii.* Lege, *& Q. Æmilii.*

Et unam atque alteram pugnam] Cur displicuit, quod est in scriptis: *& unam atque alteram pugnas prospere pugnasset.*

Satisque angerentur Romani] Uterque MS. *agerent*, ut olim Lipsius 1 Elect. 12. Lib. 19, 1. *complorantibus nostris omnibus atque in sentina satis agentibus.* Vide quæ scripsimus ad Plauti Bacchides 4, 3.

Pocula in convivio ministrarent] Facile fero. siquis tamen liber antiquus ablegaret τὸ *pocula*, non repugnarem. Justinus lib. 12. *Cassandrum, qui cum fratribus Philippo & Jolla ministrare regi solebat.* hoc est, ut ipse mox explicat, prægustare ac temperare regis potum. Tacitus 1 histor. *Servili deinceps probro respersus est, tanquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus. Et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit.* Regius: *filius suus pocula in convivio ministraret.*

Quos tum habuerit restituisse & reddidisse] Lincoln. *habuerit nescivisse & reddidisse* Reg. & Rot. *quos tum habuit vestiuiße & reddidisse.* Quod profecto male mutarunt: nam dona hujusmodi, vestimentorum scilicet, & olim, & hodie præcipue in Oriente frequentia. Sacræ literę meminerunt: & Ælianus inter Δῶρα τὰ ἐκ βασιλέως διδόμενα τοῖς παρ' αὐτὸν ἥκουσι πρεσβευταῖς refert στολὴν Μηδικὴν, lib. 1. ποικ. 22. Præterea homines ab hostibus capti detractis spoliis quam culti esse ac nitidi veste soleant, nemo ignorat. Ut igitur gratius rex faceret munus suum, merito hanc eis injurię notam abstersit.

Continuo animo strenui commoti] Reg. & Rot. *animo tenui.* Vix audeo

audeo fateri, quod suspicor, nimirum fuisse: *Nos pro tuis injuriis continuis animotenus commoti inimiciter tecum bellar studemus.* Neque *animotenus* durius quam *pubetenus*, *capitetenus*, *oretenus* & similia. *Animotenus commoti* foret imitus, penitus, toto pectore commoti.

Communis exempli & fidei visum est] Omnes antea editi, ut Reg. & Rot. *communis exempli & fidei ergo visum est.* Fuerit fors aliquis codex, in quo legeretur *fidei gratiâ*, aut etiam *fidei gratiâ ergo*: non propterea utrumque amovendum est: ut voluit God. Stewechius ad Arnobii textum, id quod statim Carrio Stephanusque sunt secuti. Quos non minus peccasse puto, quum *& armis* sustulerunt, ubi MSS & editi, *quem armis vincere possemus.* Africanus apud Justinum lib. 31. captum ab Antiocho *armis se recepturum filium* dixit. Cicero Phil. 3. *in eam urbem rediit armis, e qua excesserat legibus.*

Qui sibi pretium] Rot. & Reg. *pramium.* Quæ est, ubi indifferenter ponantur. Ut in C. Gracchi oratione apud nostrum lib. 11, 10. *neminem nostrum invenietis sine pretio huc prodire.* Et mox: *Hi quoque petunt non a vobis bonam existimationem, verum a Mithridate rei familiaris suæ pretium & præmium.* Est ubi alteri locus, alteri non sit. Vide 2 Observ. 25

Cap. IX. *Magnitudine inusitata*] Reg. *invisitata.*

Colore phæniceo] Reg. *pœniceo.* quemadmadum infra quoque & hic & Rot. *pœniceum.* Vetustissima tabula ænea: *quei. eorum. in. ameicitiam. populei. Romanei. bello. Pœnicio. proxumo. manserunt.* Muretus in Fulviano fuisse ait *puniceo.* Supra 2, 26

Flava & comanti juba] Rot. *flora & comanti juba*, ut & Regius: unde jam Salmasius hunc locum emendavit ad Solinum p. 1330. De vocabulo præclare Servius ad Æneid. 12, 605. *Flavos Lavinia crines*] *Antiqua lectio FLOROS habuit, id est, floruleutos, pulcros: & est Ennianus sermo. Probus sic annotavit: Neotericum erat FLAVOS. ergo bene FLOROS. nam sequitur, ET ROSEAS LACERATA GENAS. Attius in Bacchis: Nam flori crines viden ut propexi jacent? In iisdem, Genas lanugo flora nunc demum irrigat.* Pacuvius Antiopa: *cervicum floros dispergite crines.* Ita enim ibi legendum. Adde Colvium ad 8 Met. Apuleji. Muretus e Fulviano notat *florea.*

Possideretque, is cum omni domo] Sic quidem & Ro. Ven. Vascos. sive Ascensii. At Aldus Gryphiusque: *ut quisquis haberet eum possideretque, ut is cum omni domo* &c. Et sic MSS. Diximus de hac ejus particulæ iteratione ad Livium lib. 28, 9. Et occurret ea nobis iterum in nostro lib. 6, 10. *Athenienses caverant, ut qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, ut ea res homini capitalis esset.* Lib. 14, 1. *ut quoniam æstus oceani*

cum

cum lunæ curriculo congruit, negotium quoque alicujus, &c. *ut existimemus id negotium quasi habena quadam de cœlo vinctum gubernari.*

Emisseque HS centum millibus] Sic Ro. & Veneta. Aldus, Vasco. Gryphius cum MSS. *emisseque eum HS centum millibus.* Nec video causam, cur deleri pronomen meruerit.

Victis Parthis] Hoc in Ven. Ald. & cæteris reperio. At Romana & Vascosani cum Regio: *victis partibus*, idque monere prævertit Lipsius 1 Elect. 7. Gifanium quoque monuerat Muretus sic esse in Fulviano.

Colore exuberantissimo] Reg. & Rot. *exsuperantissimo*, ut conjecit olim Colvius ad Apulejum de dogmate Platonis. Supra 2, 26.

Phœniceum Græce partim] Regius: *quem colorem nos, sicuti dixi, pœniceum dicimus.* Forsan & malis *Græci.*

Cap X. *Quem Græci ἑβδομάδα appellant*] Reg. & Rot. *ebdomas.* ut dubitare possis, ἑβδομάδα an ἑπτάδα voluerint.

Quas Πλειάδας vocant] Sic Aldus & Vasc. & Gryphius. Ro. & Ven. *quas Græci Πλειάδας vocant.* Regius: *quas Πλειάδας Græci vocant.*

Atqui neque ipse Zodiacus] Lincoln. Ro. & vetustiores editi: *At neque.* Regius, *Ac neque.* Et vix videtur adversativæ locus esse.

Quod ejus virile fœtus futurum est] Lege cum Lipsio, *virile sectus.* sic enim plane regius codex. Vide etiam, ni grave est, quæ scripsimus ad Livium lib. 26, 47.

Gravissima quæque fieri affirmat septenariis] Regius & Lincolniensis *gravissimos quosque*, tum *septenarios.* Quam ob rem Salmasius in libro de annis climactericis corrigit: *Periculi quoque vitæ fortunarumque hominum quos climacteras Græci appellant.* Sed quid opus facere κλιμακτῆρας *periculi*, cum ipsa pericula sint κλιμακτῆρες, & κλιμακτῆρες pericula, ut ipse ibidem docet. Quid clarius verbis Valentis: Καὶ νόσους ἐπισφαλεῖς ἰδίωσε κλιμακτῆρας ἢ κινδύνους. Nimirum turbavit illum mutatio generis, cum *gravissimos quosque septenarios* non responderet τὰς *pericula.* Sed hæc nostri elegantia est: quum enim vel ad prius *pericula*, vel ad posterius *climacteras*, posset referre, quod dicendum restabat, posterius elegit, tanquam minus vulgare. Quintilianus lib. 5 Inst. 9. *Unde Sp. Melii Marciique Manlii popularitas signum affectati regni est existimatum.* In Rot. major pars hujus capitis desideratur.

Quasi jam mundo senescente] Non temere est, quod Reg. & Rot. *mundum senescentem.* Vide an abolendum sit bis verbum substantivum, ut habeamus: *nisi, ut Homerus, opinatus est va-*

stiora

ſtiora prolixioraque corpora hominum antiquorum, & nunc quaſi jam mundum ſeneſcere rerum atque hominum decremento.

Qui conficiuntur ex numero ſeptenarii] Reg. *ſeptenario.*

Κρισίμους *cuique videri*] Vetuſtæ edd. *cuiquam.* Regius & Lincoln. tantummodo *cui.* Forte: κρισίμους *eis videri.* nempe medicis muſicis.

Nec non id etiam eſt ad vim.] Reg. *Neque non id etiam ſumit ad vim facultatesque ejus numeri augendas.* Varro ſcilicet.

Septem opera in orbe terrarum miranda] Reg. & Lincol. *in orbe terræ miranda.* nam Rot. finit hoc caput in verbis *rerum atque hominum decrementa ſunt.*

Ad oppugnandas Thebas duces ſeptem electos] Non invenio in editis ante Gryphium. Omnes enim ut Reg. & Pal. apud Gebhardum 2 Antiq. 4. *delectos.*

Ex quibus aliquantum, quum proſcriptus] Ro. Ven. Ald. Vaſcoſ. Gryph. *aliquamdiu.* Optime Regius: *aliquammultos.* Cicero lib. 4 in Verr. *Sunt veſtrum, judices, aliquammulti, qui Piſonem cognorunt.* Et reſtituendum id vocabuli quoque cenſeo Apulejo lib. V. *Sed antequam multum viæ laboranti veſtigio pererraſſet, inſcio quodam tramite delabente accedit quamdam civitatem.* Florentinus: *Sed aliquammultum.* Lege: *Sed cum aliquammultum viæ.*

Cap. XI. *Uter natus ſit prior*] Numquid *natu.* Ut mox: *per quæ oſtendi putat Heſiodum natu priorem.* Sic enim Reg. & Rot. non ſolum *oſtendit.*

Idque ex epigrammate oſtendit] Reg. & Rot. *oſtendi.* pendet enim ex ſuperiori, *Varro dicit.*

Niſi ab Heſiodo jam dictum videretur] Rot. & Lincol. *videret.*

Heſiodi carminibus vulgatum eſſet] Reg. & Rot. *invulgatum.* Verbum, quod neſciremus a Cicerone noſtrum accepiſſe, niſi exſtaret ad Atticum lib. 2, 1. *quo die Allobroges involgarunt.* Noſter & in præfatione: *non aſpernentur, quaſi nota invulgataque* Lib. 4, 9. *reverenda & reformidanda ſunt magis quam invulganda.* Lib. 18, 1. *decreti cujuspiam ex philoſophia perperam invulgati purgatio.*

Ex inſula Io natum] Tò *natum* amandant Reg. & Rot. quorum ille *ex inſul'cho*: alter, *ex inſul'co.* Scribe: *ſunt qui Ægyptium dicant fuiſſe, Ariſtoteles tradit ex inſula Io. M. Varro in libro &c.*

Quod ara Ietæ mortuo] Vett. edd. *Quod ariete.* Reg. *Quod aciete.* Rot. *Quod acietem.* Unde belle Salmaſius: *Quod hac Ietæ.* nam & in Rott. primæ literæ τῶν *acietem* ſuperpoſita eſt aſpiratio. Stephanus: Ιος, νῆσος τῶν Κυκλάδων ἀπὸ Ἰώνων οἰκησάντων. ὅθεν ἦν Ὁ μήρου μήτηρ. Εκαλεῖτο δὲ καὶ Φοινίκη ἡ Ιος. Εστι καὶ Λυδίας. Ο πολίτης, Ιήτης καὶ Ιέτης.

Επτὰ πόλεις διεριζουσι] Ante Aldum ἐρίζουσι. Reg. & Rot. his

his Græcis carent. E Pal. profert Gebhardus 2 Antiq. 23. ἰεἰζεζ κλυῖε σεῦ, conjicit autem ἐρίζεπ. Posset legi ἐελδώ-νεζ· aut, si retines τὸ κλυῖε, quando in editionibus priscis adjecerunt Latine, de stirpe insignis Homeri, placeat, Επ̃ε πόλῃς ἐρίδωζ κλυῖε σεῦ ἰέζαν Ομήρε. Solent enim τῇ Δ dativi ε Z abuti.

Cap. XII. *Propemodum absurdo vocabulo*] Regius: *Largum atque avidum bibendi P. Nigidio doctissimo viro nova & prope absurda vocabuli figura biboſum dictum.*

Biboſus dictum etiam nusquam reperi] Rot. *biboſum etiam nondum dictum usquam inveni.* Reg. *biboſum dictum nondum etiam usquam inveni.*

Laberius in mimo vel primo] Sic jam Ro. & Veneta. Aldus, Vascos. Gryphius, *in mimo libro primo.* Reg. & Rot. *Laberius in mimo, qui Salinator inscriptus est.* Recte igitur Phil. Rubenius ea verba censet adtexta a scriptore hæsitanti *primo* scriberet an *mimo.* Electorum lib. 2, 22.

Cap. XIII. *Compluriſque populos concurrentes*] Hen. Stephanus & Guil. Ranchinus 1 Var. 3. corrigunt, *compluresque e populo concurrentes.*

Percunctatur ejus rei causam] Reg. & Rot. *percontatur.*

Orator in republica fuit.] Reg. *oratorum unus fuit.*

Cap. XIV. *In duas partes disjectus sit*] Lege vel invitis scriptis cum Vascosano, *dissectus.*

Disserit ac dividit subtilissime] Reg. & Rot. *diseritque ac dividit subtilissime.* Jungit enim particula hæc verba cum eo, quod præcessit, *dici existimat.*

Pars quæ deest ei vasi] Editiones priscæ & Lincoln. *deest a vase.* Reg. & Rot. *ei vaso.* Recte omnino & antique. Cato apud nostrum 13, 22. *Neque mihi ædificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manu pretiosum.* Sosipater lib. 1. *Vasi.* Genitivo singulari *I finita nomina genitivo plurali RVM syllabam capiunt vasorum. Et nominativus erit hoc vasum.* Cledonius: *Antiqui rectius dicebant vasum, quomodo scannum.* Caper de verbis dubiis: *Vas, alii vasum.*

Et horæ Dimidio, tribus] Reg. Lincoln. Rot. *Dimidio & tribus confectis.* Item post paullo, *nam quum obvium esset dicere, Dimidia & tribus confectis*, iidem.

Attente verbum non probum mutavit] Reg. & Rot. *vitavit.* nam unde sciri poterat Lucilium prius verbum non probum posuisse, & deinde correxisse?

Plautus in Bacchidibus] Scripti, *Plautus quoque in Bacchidibus.*

M. Cato

M. Cato in libro quem] Hic iterum scripti : *M. etiam Cato.*

Eo crebro terram insternito dimidiatum digitum. Iam id bene] Quæ nunc tractamus exemplaria Catonis, præferunt. *Eo terram cribro incernito, altum digitum transversum. eam terram tabula aut pedibus complanato*, Cap. 49. Utcumque autem quædam horum non inspecto libro ex memoria fallente facile sic edidisse auctor possit videri, tamen Reg. & Rot. ostendunt eum non mutasse, *Eo cribro terram incernito.*

His verbis secus, quam dixi, usus] Parum interest : sed tamen & Reg. & Rott. *sequius quam.* Plautus Aulular. 3. 2. *quid diximus tibi sequius quam velles.*

Cap. XV. *Polycritam nobilem fœminam*] Fulvianus *Polycritan.*

Ætate jam edita] Sic omnes libri. Lipsius cum fatetur se ignorare an vocis *Edita* vis hæc sit, & subjicit *exita*, passus est aliquid humani. Neque opus τῆς *media* Scioppii. Est enim *edita*, quæ Ciceroni *acta decursaque, provecta & decrepita, confecta*, eidemque & Livio *exacta.* Sic *edere vitam* pro finire lib. 5. de finibus : *locum ubi Pythagoras vitam ediderat.* Philipp. 12. *libenter extremum vitæ spiritum ediderim.* Pro Sextio : *si tunc in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset.* Apulejus de Deo Socratis : *ubi vita edita remeandum est.* Lipsio videtur occasionem corrigendi dedisse Festi : *Ad exitam ætatem, ad ultimam ætatem.*

Eodem Olympiæ die] Commodiori ordine verborum Reg. & Rot. *Vincere coronarique Olympiæ eodem die.* Idem cum Fulviano & Lincoln. *eos omnes.* non *eosque.*

Ibi in stadio inspectante populo] Quatuor MSS. *ibidem in stadio.*

Sed is nuntius non verus fuit, atque is adolescens] Dele cum Regio posterius *is.*

Cap. XVI. *Postquam mulieris uterus semen conceperit*] Hoc ordine verborum Reg. & Rott. sed uterque præterea, *uterum.* Quod correxerunt, quibus observatum aut in memoria non erat, veteres *Uterum* & *Uterus* dixisse, ut ex Plauto & Turpilio notavit Nonius. Ille Aulularia : *Perii, mea nutrix, obsecro te, uterum dolet.* Hic Philopatro : *Disperii misera, uterum cruciatur mihi.* Posset igitur alicui nasci suspicio apud Arnobium lib. 1, ubi legitur : *Nowe alius hæc utria, alius dicitis hos utres? Cœlus & cœlum* &c. olim scriptum fuisse : *hæc utera, alius dicitis hos uteros.*

Nunquam octavo] Jo. Meursius *nonnunquam*, Animad. miscell. 4. 9. Scripti vulgatum confirmant. Eam enim opinionem vulgi scribit noster, quam postea refutat.

Sæpe-

Sæpenumerò decimo] Reg. Lincoln. Rot. *sæpius numero*, ut Carrio fecit, & Stephanus edidit. Cujus etsi exemplum nunc in mundo non est, non tamen dubitamus, quin ex antiquiore aliquo hanc formam vocabuli hauserit. Mox etiam scripsisse censeo: *eumque esse hominum gignendi summum finem.* Sic enim & alibi loquitur.

Decimo post mense] Reg. & Rot. *Decumo.* Sic & infra Regius. *Nona, Decuma, morta.*

Pol nono, etiam] Reg. Rot. Lincoln. *Pol nonoque, etiam septimo & octavo.*

Tam obscure atque præcise tamque adverse] Reg. & Rot. *tanquam.* Sed id recte mutatum, & illa particula ab hoc loco prorsus aliena est. Causantur tamen non esse Gellii tam male de Hippocrate judicasse, quasi sibimet his in verbis parum constaret. Quasi non æque liberi sit judicii aliquid ab eo, ut præcise atque obscure dictum, accusare. Sed non criminatur Coorum & medicinæ principem noster: tantum de una sententia pronuntiat, quod αἰνίγματώδη verba solummodo consideranti & latentis sub iis sensûs ignaro cuivis in mentem veniret. *Est idem & non est*, quis neget obscure atque ἀσαφῶς & inconstanter dictum? At non hac stitisse Gellium, nec reprehensionem illam veram putasse, subjecta Cœlii Sabini enodatio ænigmatis hujus demonstrat.

Nomina Parcis tribus fecisse] Quatuor MSS. *nomina Fatis tribus.* quod Salmasius ad Solinum jam ex regio produxit. Nos eandem vocem restituimus Martiano Capellæ lib. 1. *Hæc mox, ut Fata conspexit omnia, quæ gerebantur in Jovis consistorio, subnotare, ad eorum libros & pugillarem paginam cucurrit.* Ita lege, quum edatur, *facta subnotari.* Sed ipse antea dixerat. *Clotho vero, Lachesis Atroposque, quoniam sententias Jovis orthographæ studio veritatis excipiunt, ut pote librariæ superûm archivique custodes, cum senatum curiamque contrahi & ipsum Tonantem exuviis induisiari publice cernerent, magistratus in acta cœlestiumque consultum stilos acuunt, ceraque componunt.* Latinus Pacatus: *An ut illi majestatis tuæ participi Deo feruntur assistere Fata cum tabulis, sic tibi vis aliqua divina subservit, quæ, quicquid dixeris, scribat & suggerat.*

Factumque esse negotium] Videtur auctor scripsisse: *factumque ei negotium propter rationem temporis*, Quitilianus lib. 5 Instit. 12. *quando si negotium innocenti facit, liberet noxia, qui admiserit.*

In decimo mense gigni hominem] MSS. *in decem mensibus*, ut Carrio & Stephanus. Mox noster: *pari eodemque jure esse in decem mensibus natos & in undecim.* Lib. 14, 1. *quum in decem mensibus proximis in lucem ederetur.* L. 29 pr. D. de liberis & post.

Si quis mihi ex eo nepos sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis natus nata erit. Quare Marcilius ad l. XII Tabb. legit etiam, *non in undecim.* Sed proxime sequitur: D. *Hadrianum, causa cognita, decrevisse in undecimo quoque mense partum edi posse.*

In Satira M. Varronis] Reg. & Rot. *Hodie quoque in satura forte M. Varronis.* Et habent τὸ *forte* editiones ante Carrionem & Stephanum.

Proxime fini progressa] Sic Ro. Ven. Gryphii. At MSS. Aldus, Vascos. *proxime finem*, ut cap. 2. *proximus eam noctem.* Lib. 15, 16. *quercum vidit proxime viam.* Alia dedimus ad Livium & in Observationibus.

In Ciceronis oratione fuit quam] Rot. *sententiam Cicero in h' fuit quam.* Lincol. *sent. Cicero in hoc fuit.* Reg. *sententiam Cicero in hoc fecit.* Fortassis: *Hoc verbum ad hanc sententiam Cicero in hac posuit, quam dixit de provinciis consularibus.* Quis enim non intelligit, τὸ *in hac* requirere *oratione?* Nisi mavis *fecit*: nec *facere verbum* minus videtur dici posse quam *facere verba.* Cogitabam etiam aliquando: *Cicero adhibuit, quum dixit.*

Καὶ ὅλε κ᾽ μέρος] Apud Hippocratem exstat: καὶ ὅλον καὶ κ᾽ μέρος. Ut eodem libro: ταῦτα καὶ ὅλῳ καὶ μέρει. Et, ἡ μὲν ἐς ζωὴν καὶ ὅλε καὶ μέρεος. Pro istis autem, καὶ εἴπομεν δὲ καὶ πλείω πλειόνων καὶ ἐλάσσω ἐλασσόνων, illic habetur, ἐ πολλὸν δὲ πλείω καὶ ἐλάσσω.

CAP. XVII. *Quod tres libros Plato*] Carrio & Stephanus locupletius: *Id quoque esse a gravissimis viris memoriæ mandatum, quod tres libros Plato.* Hoc ne quemquam offendat, sciendum sic legi in codice Regio.

Amicum ejus Dionem Syracusanum] Lincol. *Syracusum.* Reg. & Rot. *Syracosium.* Virgilius: *Prima Syracosio.*

Quem dixeramus tenui admodum pecunia familiari fuisse] Neque in Regio neque in Rot neque in Lincoln. visuntur, *quem dixeramus.* Quare & illa, *tenui admodum pecunia familiari fuisse* cancellanda existimo, tanquam per imprudentiam librarii, postquam iterum *Platonem Philosophum* scripsisset, oculis in superiorem partem aberrantibus repetita. qui quum litura maculare scriptum suum noluisset, & hæc supervacua reliquisset, ubi inculcaverat, sequutus aliquis audaculus allevit quasi ferrumen illud, *quem dixeramus*, ut viderentur commodius cohęrere iis, quæ præcedunt, quæque sequuntur. Nam *impenso pretio* sane Regius *immenso*: sed retinet *impenso* Rottendorfianus: & id impendio elegantius esse quam alterum, neminem præterit.

Nobilem illum dialogum continuasset] *Concinnasset* Reg. Rot. Fulvii codex: & ita conjecit olim Io. Meursius in Cretico Arnobi-

nobiano & Miscellis. Tum

Ενθεν ἀπαρχόμενος τοιαῦτα γράφειν ἐδιδάχθης.

CAP. XVIII. *Senatores nondum majoribus honoribus functos*] Postremum vocabulum nec in Regio nec in Rot. comparet. Neque adeo dubito, quin abesse possit, atque elegantius subaudiatur: & *Senatores nondum majoribus honoribus* sit dictum, ut noster defendit, *Ipse Quirinali lituo*, lib. 5, 8. Statim Rot. *in satura Menippea.*

In senatum lecti erant, senatores quidem non erant] Non video causam, cur prius illud *erant* Carrio & Stephanus obtrudant nobis, quod neque in MSS. olimque editis exstat, & manifeste turbat orationem. Cęterum mirum est tantos viros in re, quam quotidie oculis usurpabant, neque valde ardua & difficili lolio victitasse. Vix erat quisquam, opinor, senatorum, qui non aliquando pedibus ivisset in sententiam. Numquid igitur omnes *pedarii*? Haudquaquam. Neque enim *pedarii* dicti, quotquot pedibus in sententiam discederent, sed qui tantum pedibus irent, aut rarissime aliter; sive ipsi fiduciam non haberent dicendi, sive non rogarentur, ut qui essent in postremis scripti. Ut Brutus *accusator* vocatus, non quod non alii omnes nobiles adolescentes idem officium reipublicę aliquando præstarent, quantumvis invidiosum, sed quod hic toties & quotidie & nonnunquam insontibus periculum facesseret.

Usi quidem erant] Tolle τὸ *quidem*, quod item non est in MSS. & inepte hic repetitur.

Et quia in postremis scripti] Lego, *& qui in postremis.* Duo enim genera sunt diversa, curulibus magistratibus functi, & in postremis scripti. hi enim consequebantur locum per censores, illi per magistratum a populo mandatum.

Positum est notari jussimus] Reg. & Rot. *positum & notarius sumus.* Videntur velle: *Versum quoque Laberii, in quo id vocabulum positum, enotari jussimus.* Puta per anagnosten vel librarium nostrum. Loquitur enim, ut qui dictasset opus suum. Vide quę supra diximus ab lib. 2 cap. 23

In mimo, qui Scriptura inscriptus est] Rot. *'qs t'e cure ins. e.* Reg. *Stricturae inscriptus est.* Sunt equidem *Stricturæ* ferri aut æris. Cæsar lib. 3 Gall. *Cujus rei* (cuniculorum agendorum) *sunt longe peritißimi Aquitani, propterea quod multis locis apud eos ærariæ stricturæ sunt.* Plinius lib. 34, 14. *Differentia ferri numerosa* &c. *Stricturæque vocantur eæ omnes, quod non fit in aliis metallis, ab stringenda acie vocabulo imposito.* Isidorus tamen lib. 16 Or. 17. *In notitiam autem formarum metalla ita venerunt. Dum enim*

quacumque causa ardentes silvæ excoquerent terram, ex calefactis venis fudit rivos cujuscumque structuræ. Sive igitur æs illud fuerat, sive aurum. &c. Harum qualiscumque mentio nomen mimo facere potuit.

Cap. XIX. *Quam ejus vocabuli causam putarit*] Reg. *quam esse ejus vocabuli.*

Servus assistens mensæ legere inceptabat] Reg. & m. p. Rot. *legere tentabat.* Forte, *legere cœptabat.*

Ad Lib. IV.

Cap. I. *Omnis fere ordinum multitudo*] Nimium hoc & quantum turbę ne Cæsareum quidem atrium capiat. Rectius Reg. & Rot. *Omnium fere ordinum multitudo.* Etenim, *omnis ordinum multitudo*, sunt omnes, qui sunt in tot ordinibus: *omnium ordinum multitudo*, est ingens hominum quovis ex ordine numerus. *Ordines* autem multi & varii; quin & plus quam unus *amplissimi.* Quod apud Suetonium viros summos Lipsium & Casaubonum offendere non debuit. Vespasiano cap. 9. *Amplissimos ordines & exhaustos cæde varia & contaminatos veteri negligentia purgavit.* Sic enim & Cicero pro Sulla: *ut inimicus esse amplissimis ordinibus, infestus bonis omnibus, hostis patriæ videretur.* Pro Milone: *si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos viros, quæ vultu & verbis sæpe significassent, re & sententiis declararent.* De haruspicum responsis: *Injecta est fax fœda ac luctuosa reipublicæ: petita est auctoritas vestra & gravitas amplissimorum ordinum, consensio bonorum omnium, totius denique civitatis status.* Quæ si recte atque acute inspicias, facile colligas, præter senatum, qui κατ' ἐξοχὴν *ordo* & *ordo amplissimus*, hunc titulum datum judicibus, in quorum numero & equestris & tribunorum ærariorum decurię, qui non essent de senatu. Sic pro Sextio, *ordinum maximorum homines, quibus patet curia.* Poterant enim venire in senatum non lecti quidam a censoribus senatores. Hinc & pro Milone: Pompejus qui judicarent, *delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina*

Grammaticæ rei doctor] Quędam edd. *doctior.* Reg. & Rot. & Lincoln. *ditior.* Lege, *Grammaticæ rei scitior* id est, nonnihil supra vulgum peritus. Plautus Cistel. 4, 2. *Non sum scitior, quæ hos rogem.* Ovidius 9 de Nesso: *membrisque valens scitusque vadorum.* hoc est, gnarus.

Et, jam, bone, inquit, Magister, quicquid est] Reg. cum Rottend. *& ambo inquit magister.* Lincoln. *& amabone inquit.* Forte: *&*,

Abun-

Abunde, inquit, magister, quicquid est nomen tibi, abunde multa docuisti. Suavis enim & ἐμφατικὴ adverbii repetitio.

Si nemo id non nimis barbare fecerit] Reg. & Rott. membranæ, *fecerimus*, ut se scilicet una ibidem trahat. Poterat autem particula negans abesse: ideo Vascosanus expunxit. Sed Græcos secutus est & Plautum, qui in Milite 5, 2. *Jura te non nociturum esse hominum hac de re nemini.* Πεπλεόνακε γὰρ τὸ Οὐ κατὰ Ἀττικὴν συνήθειαν, inquit Scholiastes Homeri.

Indigeo addiscere quid sit penus & quo sensu] Rursus uterque codex cum Fulvianor: *indigeo discere.* Sed & duo priores: *& quo fani.* Non temere est. Facile suspicari, quod & Salmasius exemplari suo adscripserat: *& qua fini id vocabulum dicatur.* hoc est, quousque sensu sese extendat & porrigat, quantum rerum complectatur.

Qui in venalibus Latine loqui tentant] Ambo, *cœptant.* Fere autem venales e Dacia, Cappadocia, Syria, Ægypto, & hujusmodi regionibus remotis advehebantur, eoque Latini sermonis erant ignari.

Et panicum & glans & hordeum penus est] Iidem ambo *glandem* Lincoln. *glande.* Utrum scripsit *glandes*, an *glandis* nominativo singulari? Certe Nonius: *Glandis est plumbum in modum* glandis *informatum.*

Quid sit penus. Quot sint penus genera & quas differentias] Sic edebatur, quum Carrio fecit: *Quæ genera & quas differentias.* Scripti, *qui sit penus, quod sint penus & quas differentias.* Lege: *definire genere proposito & differentiis appositis qui sit penus. Quod tu, inquit, genus & quas differentias dicas, non hercle intelligo.* Nam & ubi vulgo τὸ *inquit* ponitur, nempe post *hercle*, in MSS. non apparet.

Rem, inquit Favorinus, plane dicam. postulas quod non est difficillimum] Reg. & Rot. *dictam* sine τελείᾳ ὑποστιγμῇ, merito probante Lambecio. Quod sequitur, Carrio fecit: nam Ro. Ven. Ald. Vasc. Gryp. *quod difficilius est.* Quatuor calamo exarati: *quod difficillimum est.* Unde extrico, *Rem, inquit Favorinus, plane dictam postulas (quod difficile non est) dici planius.* Cur enim difficillimum sit, quod plane dictum est, alio modo & planius dici? Nisi εἰρωνικῶς locutum velimus. *Planius*, ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον.

Sed si item mihi præmandare] Erasmus Desiderius: *sed si idem me tibi præmandere*, quod secutus Gryphius. Ios. Mercerus, *si id me tibi præmandere.* Neuter sine magna specie. Regius: *sed siste mihi præmandare.* Unde Salmasius: *si ista mihi præmandare.* In Rot. video: *sed si te mihi præmandatate.* Alia excerpta: *si ita mihi præmandare.* Equidem *postulas te mihi præmandare* videtur esse Plautinum. Ut Asinaria 1, 3. *maledictis te meam du-*

Stare postulas. Casina 1. *quod te postules Gustare quidquam.* Et ibidem: *Nunc ne tu te mihi respondere postules.* Ejusdem verbum *præmandare* Truculento 2, 4. *mater ancillas jubet, Quoniam jam decimus mensis adventat prope, Aliam aliorsum ire, præmandare & quærere Puerum aut puellam, qui supponatur mihi.* Sed id verbum hic quam vim habeat, parum assequor: vix & in Plauto. Sic quidem MSS. & retinent spretis conjecturis *pervenari* & *percontari*: qui explicet, nusquam. Uno modo videtur tolerari posse, si accipias positum, quasi supra non exstet τὸ *jubet.* quemadmodum solent abrupta interjectis quibusdam oratione verbum, quod jam adhibuerunt, repetere aut ipsum aut ejus συνώνυμον, de quo ad Senecam & Livium. Sic foret, *mater,* inquam, *ancillas præmandare* (i. præmandat sive jubet) *aliam aliorsum ire & quærere Puerum aut puellam.* Nam quod ex Cicerone pro Plancio addunt: *Emissus aliquis e carcere, & quidem emissus (ut cognostis) necessarii hominis optimique adolescentis rogatu: idem postea præmandatis requisitus*; miror esse quemquam, qui corruptum & omnis sensus expers esse non statim animadvertat. Nec melius Manutianum *propere mandatis* aut *per mandata.* Qui sic conjicere potest, eum non miror Turnebi, quod solum πάππον, *prætoris mandato*, vel *mandatu*, rejicere. In Varinii epistola est sine dubio: *ego tamen terra marique ut conquireretur, præmandavi.* Et hoc satis assequimur. Sed & τὸ *quod ajunt*, proverbio quodam usum significat. Itaque subscribam Erasmo & ego legamque: *Sed si me tibi præmandere, quod ajunt, postulas.* Vidi qui tentaret: *Sed si idem εἰπεῖν ἀμαθίστερον, quod ajunt, postulas.* At ille nimium sibi licere voluit.

Honoris tui habendi gratia] Hic idem *moris tui gerendi gratia.* neque enim *honorem habere* dixisse, nec voluisse Favorinum, sed *morem gerere* potius. Cur non igitur, *moris tibi gerendi?* nam *alicui morem gerere* dicimus, non *alicuius.* Haud videtur tamen sine causa hic offendisse: quamquam vocabulo *honoris* offendi non debebat. Redundat τὸ *habendi.* nam *honoris tui gratia* vel *causa* eo sensu quo dicimus alias *in tuam gratiam, ut tibi morem geram, ut te demerear*, Plauto, Ciceroni, Livio frequens satis.

Ut quid sit penus dicas] Scripti uterque: *ut qui sit penus, dicas,* quemadmodum supra.

Non ea re literas quoque alias nescio] Quid voces *ea re* sibi velint, non videre sese ait vir doctus, & credere legendum *non propterea literas.* At volunt illæ idem quod apud Plautum Aulul. 4, 10. *Ea re repudium remisit avunculus causa mea.* Et Ciceronem 4 Acad. Quæst.. *Est hoc quidem rei illius signum aut argumentum, & ea re id sequor.* Sallustius 4 histor. *Scio equidem tibi ma-*

magnas opes virium, armorum & auri esse: & ea re à nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris.

Non ex nostra magis est philosophia, quam grammatica tua] Reg. & Rot, *quam ex Grammatica tua.*

Quid Virgilius dixerit penum instruere] Lib. 1 Æneid. *quibus ordine longo Cura penum struere.*

Ut faciam æquiore animo ut sis] Et hic deleverunt genus Plautinæ in loquendo festivitatis. Nam Reg. & Rot. *ut faciam te æquiore animo ut sis*, pro, æquiore animo esse. Aulular. 4, 10. *Quem ego avum feci jam ut esses filiæ nuptiis.* Mostellar. 2, 1. *Si ego advenientem ita patrem faciam tuum, Non modo ut introeat, verum etiam ut fugiat.* Epidic. 4, 2. *Exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.* Persa 5, 1. *ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam ut fiant.*

Ad demonstrandum penum] Rot. *ad demonstrandam penu.* Voluit fortasse mutare genus, ut esset aut *ad demonstrandum penu*, aut *ad demonstrandam penum.* quemadmodum juris consultis, *De penu legata.*

Quod enim ipsius patrisfamilias] Particula causalis nec in Reg. nec in Ro. nec in Lincol. est. Dein Rot. *liberûm*, ut plerumque malebant. Rursus Reg. & Rot. *patris familias ejus, quam circum eos.* Nec cerno, quid opus sit, *ejusque familiæ*: quasi religio esset dicere *pater familias ejus quæ*: & τὸ *familias*, quum effertur *paterfamilias*, ita foret tanquam glebæ adscriptum, ut de eo nihil possit prædicari & affirmari, sed tantum de patre. *Familias* utique nihil hic aliud quam *familiæ.* Scribe igitur: *Quod ipsius patrisfamilias aut liberum patrisfamilias ejus, quæ circum eum aut liberos ejus est.*

Et opus non facit] MS. uterque: *& opus eorum facit*: quod ex altero jam laudavit Lambecius. Videntur negandi particulam subjecisse ex l. 3 π. 6 D. de penu legata: *Sed quod diximus usus sui causa paratum, accipiendum erit & amicorum ejus & clientium & universorum, quos circa se habet: non etiam ejus familiæ, quam neque circa se neque circa suos habet; puta, qui sunt in villis deputati: quos Q. Mucius sic definiebat, ut eorum cibaria contineri putet, qui opus non facerent. Sed materiam præbuit Servio notandi, ut textorum & textricum cibaria adjiceret contineri: sed Mucius eos voluit significare, qui circa patremfamilias sunt.* At Mucius verba illa tantum de villaticis facit, qui opus in villis & agris facerent. Eoque respiciunt etiam Basilica. Καὶ ὅπερ ἦν διὰ τὴν χρῆσιν τῶν φίλων αὐτῶν ἢ τῶν προσφύγων καὶ πάντων τῶν περὶ αὐτῶν καὶ τῶν ὑπουργούντων αὐτῷ καὶ τοῖς φίλοις αὐτῶν καὶ τῶν ζώων. οὐ μὲν διὰ τὴν ἀγροικικὴν φαμιλίαν οὐδὲ διὰ τὰ ἐν ἀγρῷ ἐργαζόμενα ἢ μισθούμενα ζῶα. Ergo *qui opus eorum*

faciunt, sunt οἱ μὴ μισθάρνοι, qui non locantur.

In promptu sint, sed intus & penitus habeantur, penus dicta sunt] Rot. *ex eo quod non in promptu est, sed intus & penitus habeatur, penus dicta est.* Nec discedere ab hoc Regium & Lincoln. voluisse inde conjicio, quod ex eis excerptum video dumtaxat *in promptu est.* Fac igitur & *habetur.* Illud autem, *ea potius quæ* &c. *contrahuntur & reconduntur, penus dicta est*, elegans & antiquum Terentius: *Amantium iræ amoris redintegratio est* Ovidius de arte lib. 3. *Vestes, quas geritis, sordida lana fuit.* Seneca de vita beata cap. 21. *seculum illud, in quo censorium crimen erat paucæ argenti laminæ.* Ubi frustra Freinshemius ad Florum corrigit *erant.*

Sermones in genus communes] Scripti *commune.* Sed recte opinor Mercerus: *sermones id genus communes.* Mox uterque: *quæ magis utile esset.*

Sejo Ælio placuisse] Ald. *Sejo Helio.* Ro. & Ven. *Saco helio.* Reg. & Rot. *Sato Aelio.* Sed *Sex. Cæcilium* posci t l. 3 D. de penu leg. *Sex. autem Cæcilius etiam thus & cereos in domesticum usum paratos contineri legato scribit.* Et meminit ejusdem lib. 20, 1. Vide Menagium cap. 23 Amœnitatum.

Massurius autem Sabinus in libro juris civilis secundo] Sic Carrio. nam priores editt. cum scriptis: *in juris civilis secundo*: excluso τῷ *libro.* Et cur hoc auctori non permittamus?

Usuaria in locis isdem essent, ea sola esse penoris] Scripti: *Ex his autem, quæ promercalia isdem in locis esse, ea sola penoris putat, quæ satis sunt usui annuo.*

Cap. II. *Uti scriptus sit, curato*] Guil. Ranchinus 1 Var. 4. *curanto.* scilicet mangones sive venaliciarii.

Cæcilius Sabinus in libro] Reg. & Rot. & Lincoln. *Cælius Sabinus*, quemadmodum Carrio & Stephanus ante annos LXXXV ediderunt. Adde Menagium cap. 22 Amœnitatum.

Veluti phthisis aut febris, partis autem veluti cæcitas] Hæc quoque mutilari necesse non erat. Scripti *veluti sit phthisis.* dein, *veluti sit cæcitas.*

Balbus autem, inquit, & atypus] L. 10 π. 5 D. de ædil. edict. *balbus & blæsus & atypus, isque qui tardiùs loquitur.* Glossarium vetus: *Atubus* μογιλάλος, μογγός. Et rursus: *Hatubus* μογιλάλος. Scaliger 2 Auson. Lect. 9 *attubus* facit, & Ausonii epist. 22 legi vult: *Canus, comosus, hispidus, trux, attubus.* Satis placet τὸ ἄπτπος.

Cui morbus est, id etiam vitiosum est] Sic Carrio. Priores, *is etiam vitiosus est.* Lincoln. *id etiam vitiosus est.* Reg. & Rott. *idem etiam vitiosus est.*

Ageretur, nequaquam, inquit, ita diceretur] Lege cum tribus membranis: *Quamobrem, cum de homine morboso agetur, nequaquam, inquit, ita dicetur.* Quan-

Quanti ob id vitium minoris erit] Non male: sed quia scripti, *quando*, videtur auctor reliquisse, *quanto ob id vitium minoris erit.*

Sues autem fœminas si steriles essent] Rot. & Reg. *Sues etiam fœminas.*

Putasset necesse non oportere ajunt Trebatium ei edicto apposuisse] Locus satis vexatus. Romę datum & Gryphio repetitum: *putaßet non oportere Trebatium ex edicto apposuisse.* Aldus, *putasset necesse autem Trebatium ex edicto apposuisse.* Vascosanus & Ascensius: *putasset necesse ajunt Trebatium.* Fulvii quoque Ursini codex exsulatũ mittit τὸ *non oportere*, & Lincoln. qui *necesse autem Trebatium.* Rott. & Reg. *putasset necesse esset Trebatium ex edicto apose.* Lege: *Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum redhiberi eam Labeo, quasi minus sanam, putasset, negavisse Trebatium ex edicto agi posse, si ea mulier a principio genitali sterilitate esset.* In illo *negavisse* intelligimus ex superioribus *dicunt*: itaque cur interjiceret τὸ *ajunt*, nihil erat causę. *Negavisse* autem, ut mox: *Labeo in causa esse redhibendi negavit. Ex edicto agi posse*, i. redhiberi mulierem posse: ut paullo ante: *Sues autem fœminas, si steriles essent & venum issent, ex edicto ædilium posse agi Labeonem scripsisse. Genitali sterilitate* Reg. Rot. nec non Fulvianus, sine media prępositione *IN*, ut item supra: *si nativa sterilitate sit.*

Et τοῦ τοδὸ *quoque dissensum*] Sic Gryphius. Romæ & Venetiis: *Demum ope* τοῦ τοδὸν *id est de edentulo quoque.* Aldus & Vascos. omiserunt τὸ *id est edentulo quoque.* Sed in scriptis nec τὸ & τοῦ τοδὸ ullum vestigium est. Et sane quæ sequuntur, id additamentum spernunt segregantque: tantummodo enim de myope pronuntiantur: quum si junctim nominasset ambos & quasi divisionem dicendorum feciisset, de priore sic loquendum habuisset: *myopem vel luscitiosum alii redhiberi debere.* Homo non indoctus quum ad marginem posuisset exemplaris sui τοῦ τοδὸ, hoc tanquam auctoris in id, quod parabat, exemplar retulit librarius.

Alii enim redhiberi omnimodis debere] A Carrione: olim enim *omnino.* Ego ut illud haudquaquam improbo, ita ex mera libidine inculcare antiquis incivile censeo. Regius, *alii eum.* & hoc quoque argumentum est τὸ τοῦ τοδὸ *quoque* supposita esse. Dein Reg. Rott. Lincoln. *omnimodo.*

Morbus cum accessu discessuque fit] Ambo scripti *decessuque.* Cornelius Celsus lib. 3 cap. 3. *Aliæ diem noctemque accessione & decessione implent, aliæ minus, aliæ plus: aliæ cum decedunt, sudorem movent, aliæ non movent.*

Qui non longe videt] Reg. Rot. Lincol. *Qui natura longe minus videt.* Scilicet *natura* est imbecillitate oculorum, ut supra lo-

quitur, nativa; non orta ex valetudine.

Cap. 3. *Quingentis fere annis*] Numero rotundo: ut Florus à Romulo in Cæsarem Augustum septingentos computat. Neque aliter MSS. Cujacius tamen *sexcentis* malit ex Tertulliani de Monogamia & Apologetico, 1. Observ. 39. Lambecius, *quingentis plus fere annis.*

Anno V. C. DXXIII] Scriptus uterque, *quingentesimo vigesimo tertio.* At lib. 17 cap. 21 eum annum edit quingentesimum undevicesimum. ad quem annum vide Stephanum Pighium in annalibus.

Liberum quærendorum gratia] Regius, *quærendum.* Rott. *quærundum.* Ut Ennius Andromeda: *Liberum quæsendum familiæ matrem suæ.* Cresphonte: *Ducit me uxorem liberum sibi quæsendum gratia.*

Carissimamque morum ejus gratia habuisse] Christ. Colerus *morum ejus gratiam*, Parergorum cap. 20. Non videtur necessarium.

Probrosamque habitam eam quæ) Nec Regius nec Rott. nec Lincoln. τὸ *eam* utuntur.

Pellex asam Junonis] *Aram* Carrio à Festo in Pellices mutuatus est: *asam* fecit ipse, quod antiquissimos hanc pro canina litera tradatur adamasse. Cæterum scripti ambo, ut superiores editi *aedem*: deinde *agnum*, non *arnum*, quod L. Fruterius in epist. ad Muretum finxit ex Festi *Arnæ caput.*

Cap. 4. *Qui daturus erat, itidem spondebat daturum*] Non aliter Romana & Veneta. Aldus, Vascos. Gryphius ignorant τὸ *daturum.* Ignorant & Reg. & Rot. qui præterea cum tertio: *cui ductturus erat.* Lego: *cui daturus erat, idem spondebat.* Nam qui collocaret filiam pater aut puellam auctor, stipulabatur à proco ductum iri. Procus id ipsum, nempe ab sese domum ductum iri, spondebat & repromittebat. Quod sequitur, mancum & numeris defectum videtur: *Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat.* Nam τὸ *non dabatur* respicit stipulantem, τὸ *non ducebatur* spondentem: non igitur nec stipulationes solas, nec solum qui stipulabatur, commemorari sufficit; verum dicendum erat: *Sed si post eas stipulationes sponsioneque uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulatus fuerat aut qui sponderat, ex sponsu agebat.* vel *agebant.* Sic sequitur: *quamobrem data acceptave non fuisset uxor.* nam ita scripti, non *esset.* Item, *quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari.* Denique: *qui sponderat, quive stipulatus erat.* Sic enim scribo, quia τὸ *aut* in utroque scripto ἀδιόρθωτον.

Cap. 5. *Oppositu circum undique aliarum ædium*] Reg. *quem sol oppositu circum montis aliarumque ædium nunquam illustraret.*

Cap. 6.

Cap. 6. *Quid item tempora præcidanea*] Lepidum hoc, sed nusquam lectum. *Subseciva* novimus *tempora*, non *præcidanea*. Nisi putarunt, quia & feriæ temporis rationem habent, ut *feriæ præcidaneæ*, sic & *tempora* dici *præcidanea*. Sed in hoc toto capite nihil de temporibus præcidaneis. Quid lectorem moror? Prima syllaba τοῦ *tempora* repetita est posteriore vocis præcedentis. Gellius autem scripsit: *quid item porca præcidanea.*

Opus esset, Robigus accederet] Possis interpretari, præter Jovem & Martem cæterosque deos, & Robigo, ne rubigo, non solum frumenta & arbores, sed nec hastarum & armorum Romanorum ferrum, corrumperet adederetque, fieri voluisse Patres. Meminit ejusdem lib. 5, 12. Sed Reg. & Rott. *robus succideret.* quod præfert Salmasius ad Solinum pag. 1359. & explicat acute ex Festi, *Robum rubro colore & quæ rufo* (corrigit *quasi rufo*) *significari; ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est.* Ubi, ut sæpe nimius & vehemens erat, nihil in his succidaneis vidisse Gellium arguit: à *succedendo* enim eas dici, non à *succidendo*. Atqui utraque opinio subscriptores priscos habuit. Festus: *Succidanea hostia appellabatur, quæ secundo loco cædebatur, quod quasi succideretur, dicta. Quidam à succedendo, non à succidendo dictam putant.* Et quam facile in SC. potest scriptum fuisse, *robus succideretur*? Nec videtur ab alia origine hostia *succidanea* deduci quam *præcidanea*, de qua non dubitant, quin à *præcidendo* dicatur. Festus: *Præcidanea agna, quæ ante alias cædebatur. Item porca quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset, id est, glebam non objecisset: quod mos erat eis facere priusquam novas fruges gustarent.* Rursus: *Præcidere, ante cædere, id est, ante immolare.* Nonius Marcellus: *Præcidaneum est præcidendum.* Varro de vita Po. Romani lib. 3. *Quod humatus non sit, hæredi porca præcidanea suscipienda Telluri & Cereri: aliter familia pura non est.* Denique vix est in talibus aliquid pro explorato decernere. At ὁ πάνυ quam intelligenter, quum advocat: *satis habendum censuerunt si quid succidaneis*? nam tria illa prima vocabula non ad hoc membrum, sed ad præcedens pertinent, hoc modo: *uti procurasset, satis habendum censuerunt.* Idque eo sensu, quo apud Livium lib. 22 in sacro vere voto: *Qui faciet, quando volet, quaque lege volet, facito: quoque modo faxit, probe factum esto* &c. Ita sibi cavebant à piaculis.

Ante fruges captas] Festus: *priusquam novas fruges gustassent.* Item, *antequam novam frugem præciderent.* Forsan igitur, *ante fruges carptas.* Virgilius tertio Georg. *Sed frumenta manu carpes sata.*

Dicun-

Dicuntur E litera per morem] Reg. & Rott. *dicuntur aliter per morem.* deinde, *in literam nam quasi*, sine τῷ commutata: ut & Lincoln. Forte: *Succidaneæ autem hostiæ videntur A & E literis per morem compositi vocabuli in I literam versis, quasi succaedaneæ appellatæ.*

Id, opinor à vulgo remotum est] Vide ut magni viri obliviscantur interdum pudoris & gravitatis suæ, dum insultant aliis, & nimis volunt plus scire videri. Scaliger ad locum Festi, cujus meminimus: Si Gellius considerasset *præcidaneum sacrum* dici, nunquam miratus esset *præcidaneas* etiam *ferias* dictas fuisse. At, o bone, ubi miratur Gellius *ferias* fuisse dictas *præcidaneas*? Ille vero non hoc miratur, sed, ut sibi satis, vulgo minus notum, non sibi tantummodo credi vult, sed & Atejo Capitoni, atque ita operam dat, ut alii mirari desinant.

Composuit, scripsi. Ibi Coruncanio] Sic in Aldo primo reperi. Romæ & Venetiis dederunt: *scripsi Lib. Cornucario.* Reg. & Rott. & Lincoln. *scripsit ibi Coruncanio.* Emenda: *propterea verba Ateji Capitonis ex quinto librorum, quos de pontificio jure composuit, adscripsi. Ti. Coruncanio pontifici maximo feriæ præcidaneæ in diem atrum inauguratæ sunt.*

Non habendum religioni] Sic loquitur & M. Tullius 2 de Officiis: *Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum religioni contrarium, nocentem aliquando defendere.* Lib. 1 de divinat. *nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret prælium.* Festus: *Salinum cum sale in mensa ponere figulis religioni habetur.* Convenit autem hoc decretum Pontificum cum illo Livii lib. 22. *Si atro die faxit insciens, probe factum esto.*

CAP. VII. *Circumflecteret ut testis est epistola ejus*] Reg. & Rott. & Lincoln. *circumflecteret ut est epistola*, sine vocabulo *testis.* Scribendum est: *ita pronuntiabat, ut pœnultimam circumflecteret, teste epistola ejus scripta ad Marcellum.*

Circumflexa ponatur, numerus claudus est] Reg. & Rott. *circumflexe promatur.* Lege: *nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexe pronuntietur.* Dein uterque idem liber: *numerus clausurus est.* Rectissime. Sic enim dixit pro *claudicaturus.* Placuisse autem *claudere* & producta media & correpta pro *claudicare* copiose ad Livium disputavimus. Lincoln. eodem alludit exhibendo *clausus est.*

CAP. VIII. *Manu quidem strenuus & bellator bonus*] Regius, *manus quidem strenuus.* quod forte non adspernabile.

Militarisque disciplinæ admodum peritus fuit] Sic Carrio & Stephanus. Priores, *militarique disciplina peritus admodum fuit.*

Rott.

Rott. *militarisque disciplina præditus admodum fuit.* Non possum dedignari olim vulgatum, quod & in Regio esse suspicor. Sic enim Suetonius Claudio 42. *Quum utroque, inquit, sermone nostro sis peritus.* Ubi etiam nonnulli infuscare voluerunt, *paratus* fingendo. L. 19 D. de instr. & instrum. *arte fabrica peritus.*

Cui esset inimicissimus] Subjungitur statim, *quem hostiliter oderat*: quorum alterumutrum non potest non esse suspectum. Sed prius MSS. habet auctores: posterius an habuerit, ambiguum redduut exemplaria, quibus utimur, hic mutila. Regius enim & Rott. *quod hominem avarum, cui esset inimicissimus, creari compilet quam hostis vendat. Hunc Rufinum* &c. Lincoln. *creari complet quam hostino vendat. Hunc Ruf.* Schefferi: *creari cuperet quem hostino dat hunc Rufinum.* Numquid fuit: *crearit consulem; Malo, inquit, me inimicus compilet, quam hostis vendat.*

Quod decem pondo argenti factitaret] *Pondo libras argenti* recte Carrio & Stephanus. Sic enim & Regius Rottendorfianusque ac Lincolnienſis: & genus loquendi in Pecunia vetere illustravimus. Sed *factitaret* nihili est, pro quo recte Freinshemius ad Flori 1, 18 *facti haberet.* Quod autem Varronis fragmentum e lib. 2 de vita po. Romani nobis conservavit Nonius: *Nihilo magis propter argenti facti multitudinem miserat furandum, quod propter censoriam severitatem nihil luxuriosum habere licebat*: ei præclare consuluit Ios. Mercerus, scribendo, *iis erat furandum.* Sensus, quem vir doctissimus requirit, hic est. Hodie, quando *Unde habeas, quærit nemo, sed oportet habere*, & nisi exposito argento abacos rumpas, sordidus & μικρόψυχος audis, necessario furandum est viris nobilibus, si bono modo nimias opes invenire non potuerunt. Felicius agebant majores nostri, quibus furandi (hoc est rempublicam depeculandi, privatos aut fraudandi aut concutiendi) nulla erat necessitas: quippe quos luxuriæ instrumentum, propter quod infames divitiæ petuntur, possidere censoria notio atque animadversio non pateretur.

Ita ut in pleraque historia est] Scripti, *uti in pleraque historia scriptum est.* Sed & τὸ *Scriptum* omnes editi ante Stephanum: qua auctoritate vel ipse vel Carrio id delerint, ignoramus.

Quod ejus gratiam dedignatus non esset] Genus loquendi non reprehendimus. Plautus Captiv. 5, 3. *mos est oblivisci hominibus, Neque novisse, cujus nihili sit facienda gratia.* Cicero pro Plancio. *Neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixit idem vos nec nocentes nec litigiosos esse.* Rursum

sum Plautus Curcul. 2, 3. *Scires velle gratiam tuam, nolui frustrarier.* Livius lib. 6. *quod ex errore gratiam potius ejus sibi quam suam gloriam petiit.* Sed tres scripti codices: *quod ejus dedignatus esset*: sine τῶ *gratiam*, sine adverbio negandi. Lambecius igitur: *quod ejus gratia designatus consul esset.* Idem ex Fulvii Ursini libro notatum habeo: sed & hujus conjecturam esse suspicor. Prior vox, fateor, aut aliqua idem significans, abesse non potest: posterior facile intelligitur, & perinde, ut prior, manum antiquam non habet suffragantem. Sit igitur, *quod ejus gratia designatus esset.* Sive malis, *ejus studio, beneficio, opera.*

Verba Ciceronis hæc sunt] Horum usque ad finem capitis in MSS. nullum vestigium est: & dubito, an auctor adscribenda ea judicarit.

Cap. 9. *Cujus autem id carmen sit, non scribit*] Rott. *non refert.* neque absurde id verbum repetitum videtur.

Nummosus signat copiam.] Prima vox neque in Reg. neque in Rot. conspicua est: dein uterque, licet parum interfit, *significat.*

Quorum laus immodesta est] Lege cum Reg. & Rott. *quorum laus in modo stat.* id est, quæ laudantur, si modica & pauca sunt, quorumque cumulus in vituperationem cadit.

In commentariis, quos de indigenis composuit] Lipsius mallet *de indigitamentis*, 1 Elect. 7.

Cum castitate cerimoniaque adeunda] Rott. *adeundem*, sed penultimam literam *V* superposita significans corrigendam. Regius etiam & Lincoln. *adeundum. Quæ adeundum* docte atque antique, ut *pœnas in morte timendum.* Varro de re rusti. 1, 17. *Præfectos alacriores faciundum præmiis.* Et mox: *de operariis, qui præstabunt aliqui, communicandum quoque cum iis, quæ facienda sunt, opera.* Eodem lib. cap. 20 de bubus: *quos rudes neque minores trimos neque majores quadrimos parandum.* Adde si lubet 1 Observ. 7. Dices numquid ergo & *reverendum & reformidandum*, tum *involgandum.* Potuisset utique sic etiam hæc efferre: tamen quia vulgatis hic scripti consentiunt, nihil mutem, & crediderim utroque loquendi genere adhibito ludere auctorem voluisse, præsertim cum τὸ *Quæ* sit ambiguum, & commode ad τὸ *adeundum*, casu quarto, ad sequentia primo accipi possit.

Facta sua spectari oportere, dicta non] Quid opus naturalem ordinem orationis inverti, cum scripti *non dicta?*

Quamquam hæc quoque incrementum] Reg. & Rott. & Lincoln. *hæc cum incrementum.* Forte: *Cur, inquam, ista omnia numquam in cul-*

culpam, sed in laudem dicuntur, quamquam æque incrementum sui nimium demonstrent?

Verba si perpetua atque infrunita] Et scripti & antehac editi: *perpetua atque infinita.* quod omnino necessarium est. ἀπεφθεγματολογίαν enim significat. Si roges Carrionem, cur *infrunita* maluerit, nihil habebit respondere, quam quia minus vulgare vocabulum est, etsi ad mentem auctoris nihil faciat.

Quanto majora auctioraque sint, etiam tanto] Rott. *sunt m ito etiam tanto.* Reg. *into etiam tanto.* vel *iuito.* Scribe: *sed quanto majora auctioraque sunt, multo etiam tanto laudatiora sunt.* Plautus Menæch. 5, 2. *si ille quid deliquerit, Multo tanto illum accusabo, quam te accusavi amplius.* Sticho 2, 2. *Nimio impertior multo tanta plus quam speres.* Apulejus Apolog. *Accipe aliud pari quidem stulticia, sed multo tanto vanius & nequius excogitatum.*

CAP. 10. *Ex consulari loco sententiam*] Hinc colligit vir ἐ τυχὼν primum sententiam rogatum consularem, qui quod plures consulatus gessisset, primæ sententiæ fuerit, & *Princeps senatus* appellaretur, tum *princeps sententiæ*, teste Cicerone de haruspicum responsis. Atqui non tradit Gellius *principem senatus* dictum, qui plures consulatus gessisset; neque id verum est, sed princeps senatus habebatur, qui primus à censoribus esset in senatum lectus. Rursum Cicero non docet istum talem *principem sententiæ* appellatum: nihilque ibi reperio, quod huc pertineat, nisi senatum aliquid statuisse principe Cn. Pompejo sententiam dicente. Quem tum primum rogatum facile concesserim: sed is adeo non fuit princeps senatus, ut ne senator quidem fuerit. *Principes sententiarum* alicubi nominari memini eos, qui primi aut in primis ut plurimum rogarentur. Neque aliter Cicero 3 de Orat. *ab eo viro quem quærimus auctorem publici consilii & regendæ civitatis ducem & sententiæ atque eloquentiæ principem, in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus.* Quemadmodum apud Justinum & alios *princeps Thebanorum* Ismenias, *princeps Eliorum* Hellanicus, id est, unus è primoribus. Sed quemquam unum & solum perpetuo fuisse ac dictum esse *principem sententiæ*, ut erat per quinquennium & appellabatur *princeps senatus*, nusquam ad hoc traditum observavi.

De officio senatoris] Operarum errorem in Carrionis & Stephani editione censeo, quum & in scriptis & antiquitus impressis sit *senatorio.*

Rem quam consulebatur] Colerus ad Valerium Maximum corrigit, *quam consulebat.* Quid opus? Sed Reg. & Rott. *quæ consulebatur.* Cicero 10 famil. 22. *propter tarditatem sententiarum moramque rerum cum eæ, quæ consulebantur, ad exitum non pervenirent.*

nirent. Pro Muræna: *Quæ consuluntur autem, minimo periculo respondentur.*

Ejus rei gratia ducendæ] Colerus expungit τὸ *ducendæ.* Injuria: est enim ut *ducere comitia, ducere bellum, ducere judicium.*

Quicquid vellet alii rei] Jo. Meursius Anim. Misc. 4, 9, tentat *ali rei*, tanquam ab *alis* pro *alius.* Sed scripti plane: *quicquid vellet aliæ rei.* Quod mutandum non fuit. Cælius apud Priscianum lib. 6. *nullius aliæ rei, nisi amicitiæ causa.* Noster 9, 4. *emoriantur repente hæc omnia nulli aliæ causæ obnoxia.*

Prehendi loquentem] Scripti *prendi*

Cap. 11. *De Pythagoræ memoriæ commendavit*] Reg. *memoriæ mandavit.* Et id sufficere puto, ut cap. 13 hujus libri.

Opinio vetus falsa] Reg. *Opinio vetus & falsa.*

Ἔχειν ἀνιώντων ἐδέσθαι] Tentaveram ἀμίαντον· ut esset ἀπέχειν ἔδεσθαι κυάμων χεῖρας ἀμίαντον. Sed forte melius H. Stephanus, ἔχειν καὶ ἄναιμον ἔδεσθαι.

Quod habet inflammationem magnam is cibus] Editiones antehac: *quæ res habet inflationem magnam. is cibus tranquillitatem mentis quærentibus constat esse contrarius.* Ex Ciceronis, quæ nunc exstant, exemplaribus videtur mutationem sumpsisse Carrio: quamvis ibi quoque sit, *tranquillitati mentis quærenti vera.* In scriptis nihil video ab editis olim distans, nisi quod *contrariam* Rot. quoque Reg. & Lincoln. non *contrarius.* Itaque suspicor, si non apud ipsum Tullium, apud Gellium dumtaxat fuisse: *ne faba vescerentur, quæ res habet inflationem magnam, tranquillitatem mentis quærentibus contrariam.* Nam illud, *quæ res*, non est plebejum, sed alibi & ipsius Ciceronis, ut notavimus 3 Observ. 24. Ad Atticum 4, 10. *Ego hic pascor bibliotheca Fausti. Fortasse tu putabas his rebus Puteolanis & Lucrinensibus. ne ista quidem desunt.* Vix est ut non horum verborum explicatio sit *is cibus.* quo in contextum recepto ab imprudenti librario malus aliquis medicus interjecit & *constat esse*, ac barbare fecit *contrarius* ἀντὶ τοῦ *contrariam.* Quid est autem, cum triumphet Stephanus *inflammatione* pro *inflatione*, quam tenent omnes libri, subjecta? Vide Lud. Nonnium de re cibaria 1, 9

Aristotelis philosophi auditor] Reg. *Aristoteli.* Ut post paullo *carmina Empedocli.* Sic enim etiam hujus terminationis vocabula in casu patrio inclinabant. Et *Sophocli, Eurupidi, Oresti,* similiaque noster alibi.

Verba ista Aristoxeni subscripsi] Regius *ipsa.*

Κινητικόν τε γὰρ εἶναι καὶ διαφορητικὸν] Gebhardus notavit in Palatino

latino κυήτικόν τε γὰρ εἶναι· neque aliter Romana & Veneta editiones. Aldus mutavit, &, puto, jure.

Cognovisse ex Xenophilo] Lenius scripti : *e Xenophilo.*

Comœdia quæ Pythagoræ Vita inscribitur] Rot. *pythagoruua inscribitur.* Reg. & Lincoln. *pythagoræ via.* Cum βίος Πυθαγόρου historicus, non comicus, titulus videatur, & Athenæus lib. 3 laudet Alexin Πυθαγοριζούσῃ, Gellium quoque edidisse, quæ Πυθαγορίζουσα inscribitur, probabiliter censet Th. Reinesius 3 Var. 3.

Qui disciplinas Pythagoræ secutus est] Rutgersius 4 Var. 19 *quo. Secutus* ab Aldo est & firmant scripti. Ro. & Ven. *sectatus.*

Κύαμον *legumentum vulgo dici*] Rot. *cianius.* Lincol. *ciamus.* Dein Rot. *legumentum dicitur.* Lincol. *legumentum a vulgo dicitur.* Regius, *legumentum dicitur a vulgo dicitur.* Nimirum legendum : *Opinati enim sunt plerique* Κυάμους (puta in versu Empedoclis) *legumentum dici, ut a vulgo dicitur.*

Qui diligentius anquisitiusque) Et hoc Carrionis : nam scripti & editi veteres, *diligentius scitiusque.* Alludit Lincoln. qui *satiusque.*

Quia sint εἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ καὶ αἴτιοι τῶν κυεῖν] Rot. *quod sint Gr. & genituræ.* Reg. *quod sint* αἴτιοι τῶν κυεῖν *& genituræ humanæ vim præbeant.* illa εἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ καὶ non agnoscit. Lincoln. *quid sint.*

Iccircoque in Empedocli versu] Hoc ab Aldo est. Ro. Ven. Gry. *Iccircoque Empedoclem.* Scripti, *iccircoque in Empedoclem*, vel *in Empedocle.* Lege : *iccircoque & Empedoclem versu isto, non a fabulo edendo, sed a rei venereæ proluvio voluisse homines deducere.* Nam in minuta scriptura, quoties compendia sectatur, inter præpositionem istam & conjunctionem parum interest.

Piscibus nonnullis abstinere Pythagoricos Plutarchus] Reg. & Rot. *piscibus mullis*, Lincoln. *piscibus nullis.* dein nomen philosophi Chæronensis nescit hic Rot. atque id sane potest integro sensu abesse. Sed neque de *nonnullis* neque de *mullis* Plutarchus, Locus est 8 συμποσ. ubi legis, ὅτι δὴ μάλιστα τῶν ἰχθύων ἀπείχοντο. Et, ἄλλα μέν ἐστιν ὅτε μετρίως προσφερομένοις, καὶ νὴ Δία θύουσιν, ἰχθύος δὲ μὴ γεύσασθαι τὸ παράπαν ὑπομένουσιν. Et, ἡ τῶν Πυθαγορικῶν πρὸς τὴν ἰχθὺν ἐκεχειρία. Numquid igitur fuit : *piscibus nullis non* : aut *piscibus* μάλιστα *abstinere.*

Cui nomen fuerit Alce] Non incommoda vox Αλκὴ, Lincoln. tamen *alio* : Reg. & Rott. *Alco*, quasi fuerit Αλκὼ, ut Ακκὼ.

Cap. XIII. *Proditum hoc a plerisque est*] Reg. & Rot. *Creditum.* Melius, nam *proditum & memoriæ mandatum* sensu nihil

differunt. Lib. 9, 7 *Vulgo & scriptum & creditum est folia olearum* &c. Ibidem verbum substantivum mihi suspectum.

Ischiaci cum maxime] Liber uterque *ischia cum maxime*. Scribe, *ischiacis*, *cum maxime*. ut referatur ad τὸ *minui dolores*.

Viperarum morsibus tibicinem] Lincoln. *tibicinum*. Reg. & Rot. *tibicinium scite modulateque adhibitum mederi*. Haud dubie suavius. Apulejus in Floridis : *Marsyas cum in artificio patrisaret tibicinii*. Et de Antigenida : *cum esset in tibicinio apprime nobilis*. Eadem vox forsan restituenda Frontoni apud Sosipatrum in *Duum* lib. 1. *Vestrorum duum principem & gnarum modulorum & tibicinii*. Vulgo *doctum* & *navum* & *tibicinum*. Usus quoque noster lib. 1 cap. 37.

Refert etiam idem Democriti liber] Τὸ *idem* Catrionis est emblema. nam priores omnes, *Refert & Democriti*. Scripti, *Refert etiam Democriti*. Adjectum illud *idem*, ut sanarent vitium, quod luxando periodos & male distinguendo, verboque *est* interponendo contraxerant. Sic igitur omnia concipe : *Creditum hoc a plerisque & memoriæ mandatum, ischiacis, cum maxime doleant, tum, si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores, ego nuperrime in libro Theophrasti scriptum inveni. Viperarum morsibus tibicinium scite modulateque adhibitum mederi, refert etiam Democriti liber.*

Περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν] In utroque scripto hæc Græca desunt. Ro. Ven. Ald. Vasc. Gryph. ἢ λοιμικῶν κακῶν. Unde Hier. Magius ἢ λοιμικῶν κακῶν (quod & Gryphii margines habent) reprehensum Reinesio 2 Var. Lect. 1. Carrio, an Stephanus, fecerunt, quod editur. P. Lambecius e Diogene Laërtio : περὶ λοιμῶν κακῶν δ' β' γ'.

Plurimis hominum morsibus medicinam fuisse] Ab Aldo *morsibus* est : nam Ro. Ven. Vasc. *morbis*, Regius cum Rottendorf. *plurimis hominum morbidis*. Recte omnino : affectos intelligit, ægrotos. Varro ; de re rust. 16. *cum sunt apes morbidæ propter primores vernos pastus*. Plinius lib. 8 cap. 26. *atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat*. Sed & utræque membranæ, *medicinæ fuisse*, ut Plinio toties *remedio esse*. Quod cur spernamus, nihil est causæ.

Tanta prorsus est adfinitas corporibus.] Parum refert, sed quæ libido mutandi vetera ? Scripti enim hoc ordine verborum : *Tanta prorsus adfinitas est corporibus hominum, mentibusque & propterea vitiis quoque aut medelis animorum & corporum.*

Cap. XIV. *De Hostilio Mancino ædili & Mamilia*] Reg. *Manzino edilium &*. Numquid *ædili*, *ut & Mamilia*.

Et in hanc sententiam] Rot. Regiusque, *& in hac sententia*. Delenda præpositio, quæ inserta est ab aliquo dubitan-

te,

te, *ET* an *IN* nota compendii duarum literarum in minutis characteribus significaret.

Diem ad populum dixit, quod de ambulacro] Scripti : *dixit & quod & ambulato.* Lege : *Is Mamiliæ meretrici diem ad populum dixit eo quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset.* Iuvenalis : *tabulata tibi jam tertia fumant.* Noster 15, 1. *insulam quandam occupatam igni, multis arduisque tabulatis editam.* Prævertit hoc monere Salmasius ad Solinum p. 1218. Statim uterque : *vulnusque ex eo lapide ostendebat.* non *ostentabat.*

Eum sibi fas recipere non fuisse in ædes sua] Carrionis, opinor, est : nam τὸ *fas* & scriptis & editis prius exsulat. In marginibus Gryphii alii *visum non fuisse*, alii *non voluisse.* P. Scriverius, *Animum sibi recipere non fuisse.* Quæ omnia non intellecto exquisito sermone, de quo diximus 4 Observat. 8. Magis autem foret ex usu loquendi, *in ædes suas.* etsi Rott. *eum sibi recipere non fuisse æde sua.* ubi si possis admittere *ædes suas*, dictum foret, ut *recipere domum.*

Cap. XV. *Verborumque facundia & novandi studium*] Reg. & Rot. *Verborumque findi.* Monstrant, *verborumque fingendi & novandi studium.* id est, verborum fingendorum & novandorum, vel verba fingendi & novandi. Sic enim loquebantur. Plautus Captiv. 4, 2. *Nominandi tibi istorum erit magis quam edundi copia.* Varro 2 de r. rust. 1. *sive enim aliquod fuit principium generandi animalium.* Cicero Phil. 5. *Agitur utrum M. Antonio facultas detur opprimendæ reipublicæ &c. urbis, agrorum suis latronibus condonandi.* Noster lib. 16, 8. *sui magis admonendi quam aliorum docendi gratia.* Ad rem pertinet, quod Pindarus Ολυμπ. 3' optat εἶναι βρησταῖς ἀναγεῖσθαι πορόφορβ' ἐν Μοισᾶν δίφρῳ. Scholiastes, λόγων καιροπρεπῶν βρετὴς ἐπὶ τὸ διηγεῖσθαι.

Atque ibi non primum causam sed querelas] Reg. Lincoln. & Rot. *ibi cum primam causam.* Corrupta hæc certum habeo : ut commode instaurentur, ambigo. Nisi forte : *Atque ibi post primam causam pro secunda querelas dicit.*

Eam rem dicendam magis ajunt quam arduam] In scriptis ignoratur particula *magis*, nota veterum elegantia.

Non opinionis alienæ erroribus] Rot. *aliæ.* ut hoc ipso libro restituimus *aliæ rei.* Nec pejore sensu *opinionis aliæ error* dicitur quam *diversæ opinionis error. Opinio diversa & opinio alia*, est alius opinio, adversantis aut dissentientis sententia.

Quod Græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant] Neuter scriptus habet δυσχερὲς *aut.* Rott. *quod Græci Xalepon appellant.* Vterque autem *intractabile*, ut olim edebatur, non *intrectabile.*

Cap. XVI. *Romani generis disertissimos*] Carrionis & hoc.

Scripti & olim editi *doctissimos*. Hæc laus illis convenientior. Lib. 3, 12. *a P. Nigidio doctissimo viro*. Hoc lib. 4 cap. 9. *Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta Varronem doctissimus*. Lib. 17, 7. *P. Nigidius civitatis Romanæ doctissimus*.

Non aliter locutos esse & scripsisse] Rott. *elocutos*. Lib. 5, 9. *planeque & articulate elocutus est*.

Causa quæ est mortua] Reg. & Rott. *quæ est emortua*.

Dativus singularis litera finitus I] Rott. *Dativus singularis I litera finitus*.

Cum igitur, inquiunt, in casu] Verbum nescit Rott.

Non victui & amui] Rot. *non victui nec amui*.

In Dolabellam actionis III. Ibi isti] Carrionis fœtus. Romana, *actionis illubuisti*. Aliæ, *actionis illibuisti*. Reg. & Rott. *actionis in libusti*. Scribe: *Item in Dolabellam actionis III lib. 1. Isti, quorum in ædibus famisque posita & honori erant & ornatu*. Quemadmodum Ciceronis duæ sunt actiones in Verrem, & posterioris libri quinque.

Cap. XVII. *In hoc quoque prima verbi præpositio*] Carrionis manus. Ante illum: *In hac quoque prima verbi præpositione ob eandem causam producunt*. In quo nihil aliud mutari jubent membranæ quam *producitur* in *producunt* & *prima* in *primi*, Scilicet quod inchoat versum Lucilii. Nam quod de præcedente versu vulgo additur *& jam*, nec in Reg. nec Rot. nec Lincoln. visitur. Intelligimus autem *producunt* literam O: quemadmodum paullo ante, *Objiciebat O litera producta*.

Hinc humilem & sufferctus posteriorem] Scripti *huic. non hinc*. Deinde Ro. Ven. Ald. Gryph. *suffercatus posteriorem*. Vascos. & Ascensius *suffectus*. Gryphi margo, *suffractus*. Vulgatum Carrionis est, ut puto, & sequitur Fr. Douza: etsi nihil tinniat sufferti. Reg. & Rott. *suffer citus*. Fortasse: *Subjicit huic humilem & Sufes catus posteriorem*. Exemplum aut historiolam Carthagine petit, & Magistratum Punicum ait prudenter in locum nescio cujus nobilis & contumacis aut ignavi suffecisse hominem humilem & fortunæ inferioris, sed strenuum atque idoneum.

Et præteritum non icit sed jecit] Reg. & Rott. verbo auctiores: *& præteritum non Icit facit, sed Iecit*. Neque aliter Ro. & Veneta. Aldus delevit primus; eum alii secuti.

Sed reddit eam positu longam] Videtur esse, quam alioqui *positione* longam dicunt. Rott. tamen & Lincoln. *pro situ*, quod etiam in Palatino ja. Gebhardus notavit 2 Antiq. l. 4.

Ut quod apud Virgilium] Reg. Rot. Lincoln. ignorant τὸ *quod*. An igitur & τὸ *invenimus* delendum?

Metri causa protendat] Iidem tres, *metri gratia*.

Deum

Deum sublimes subices] Festus: *Subices Ennius in Achille pro subjectis posuit, cum dixit: nubes * Per ego deum subices humidas Unde oritur imber sonitus aerio spiritu.* Reg. Rottendorfianusque, *sublimas subices humidas*: ut & apud Nonium. Non enim tantum *Sublimis* antiqui dicebant. Attius Phinidis: *Aut sæpe ex humili sede sublimæ avolant.* Sallust. 3 histor. *sublima nebula cœlum obscurabat.* Idem probarunt & Ios. Mercerus & Ger. Io. Vossius. *Spiritu* e Festo Carrionem sumpsisse puto: nam scripti & ante illum editi: *Sonitu sævo & strepitu.*

Pacuvius item in Anchise] Rott. quoque, *in Chryse.* quod ex Regio jam prompsit & merito laudavit Lambecius. Lincol. *in chise.*

Cap. XVIII. *Quam fuerit altus animo atque magnificus*] Scribe cum Reg. & Rott. *altus animi.* Vt *egregius animi, felix curarum* & similia.

Conscientia nixus pluribus rebus] Ante Carrionem editi cum scriptis: *conscientia subnixus.* Quod male truncatum, quum sit idem quod confidens, elatus, in utramvis partem. Livius lib. 4. *ubi illi patricii spiritus, ubi subnixus & fidens innocentiæ animus.* Silius lib. 4. *Subnixus rapto plebeji muneris ostro.* Dein Rott. *plurimis rebus quæ dixit quæque fecit declaratum est.* Ubi τὸ *rebus quæ* debetur Carrioni, & defenditur iis, quæ notavimus 3 Observ. 2. nam priores, *quas dixit quasque fecit.* Alterum sancit & Regius. Lincoln. *quæ dixerit quæque fecit.*

Quædam item alia crimini daret] Non male. Livius lib. 1. *Crimini maxime dabant in Numitoris agros ab his impetum fieri.* Sed tres scripti *crimina.* Numquid *crimina jaceret?*

Eamus nunc protinus] Reg. & Rot. *hinc.* Forsan tota oratio sic constitit: *Ne igitur simus adversum deos ingrati, censeo relinquamus nebulonem hunc, & eamus hinc Jovi optimo maximo gratulatum.* Habes autem hic verbum *gratulari* ea proprietate, de qua diximus 2 Observ. 19.

Quæ ad sententiam de Scipione dicendam] Superiores cum scriptis: *ad sententiam de Scipione ferendam.* Et hoc magis judiciale verbum, quum alterum senatorium sit. Cicero pro Cluentio: *sua illum sententia, quam palam omnes laturi essent, condemnatum iri.* Lib. 4 in Verrem: *de quo vos sententiam per tabellam feretis.*

Petillius quidam tribunus plebei] Reg. & Rott. *Petillii quidam tribuni*: deinde *comparati ineum atque immissi desiderabant.* ut observavit Salmasius ad Solinum pag. 1222. Sed quod ille *Petillios* dictos vult pro *Petillio*, ut apud Græcum illum, Ἐξῆλθεν Ἐκτορές τε καὶ Σαρπηδόνες. fefellit summum virum memoria, Livius lib. 38. *P. Scipioni Africano, ut Valerius Antias*

auctor est, *duo Q. Petillii diem dixerunt.* Valerius Maximus lib. 3 cap. 7. *Diem ad populum M. Nævius tribunus plebis, aut, ut quidam memorant, duo Petillii dixerant.* Ex Livii verbis etiam possis suspicari nostrum scripsisse : *Petillii Quinti tribuni plebei*, pro eo quod est *Petillii quidam.* Lincoln. *petunt quidam tribuni* &c. *comparati i. e. a. immissi desiderabant.*

L. Scipioni Asiatico fratri] Rott. *Asiaco fratri.* Regius, *Asiacum fratri.* Lincoln. *Asiacum fratre.* Prorsus puto Gellium scripsisse : *L. Scipioni Asiageni.* quod cognomen ei & apud T. Livium restituimus.

Allatum, ut palam recitaretur] Et hoc Carrionium. Ro. & cæteræ : *Ille tum ut palam.* Scripti, *illatum.* Repone : *Illi tum* (sc. Petillii tribuni plebei poscere vel desiderare) *ut palam recitaretur & ad ærarium deferretur.*

Cui salus imperii ac reipub. accepta ferri deberet] Veneta, *accepta fieri.* Et hoc malo. Norat enim Gellius auctores, quos ille in scribendo sectabatur *acceptum referre* quam *ferre* dicere maluisse. Vide quæ ad majorem Plinium annotavimus.

Ab eo ratio pecuniæ prædaticiæ poscereturr] Scripti ejurant τὸ *ab eo*, & pro *ratio* habent *ratione.* Recte igitur Carrio : *rationem pecuniæ prædaticiæ poscereturr*, nisi *rationes* malis, ut *rationes in eo scriptas esse. Posci aliquid*, ut *doceri aliquid* : quia & *poscere aliquem aliquid*, ut *docere aliquem aliquid*, dicimus. Sic *exigi portorium*, de quo noster alibi.

Cap. XIX. *Advertimusque hinc elici tarditatem*] Rott. *a due ternius que aut eluci tarditatem.* Quod addo, ut agnoscatur fides librarii, quod non intelligebat, corrigere religioni habentis, & ut literas adsequi poterat, reddentis, quamquam discerptis vocibus. Nihil enim aliud vult quam quod e Regio docte collegit Salmasius ad Solinum p. 1280. *hebetiores fieri ad veterni usque aut eluci tarditatem.* Festus : *Elucum significat languidum ac semisomnum, vel, ut alii volunt alucinatorem & nugarum amatorem.* Ex Gellio apparet affectum potius quam personam significare, ut sit languor & marcor semisomni. Sic & libro 16, 2 *elucum* interpretatur *tarditatem quandam animi ac stuporem.* Neque hinc abest Tertulliani de corona : *Liberum apud Ægyptios Osirin Harpocration industria hederatum interpretatur, quod hederæ natura sit cerebrum ab eluco defensare.* Intelligit enim, quam inter ebrietatis incommoda refert Seneca epist. 83, illam *ignorationem sui, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum.*

Capys aut de liberis educandis] Ios. Mercerus correxit *Catus*, ut

ut apud Nonium persæpe liber hic appellatur, & Gellio ipsi lib. 20, 10. Idem animadvertit Gerh. Io. Vossius in Originibus adversus Ausonium Popmam, qui voluit *Cato.*

Cap. XX. *Inter censorias severitates*] Scriptus uterque *Intercessorum.* Ergo lege : *Inter censorum severitates.*

Censor agebat solenne de uxore] Scripti *acebat.* Legendum, *adigebat* Lib. 7, 18. *Hos, priusquam proficiscerentur, jusjurandum adegit.* Lib. 16, 4. *Cum delectus antiquitus fieret & milites scriberentur, jusjurandum eos tribunus militaris adigebat.* Seneca epist. 96. *deinde facile cætera exiguntur mandanturque jusjurandum adactis.* Sic & Fulvius Vrsinus, immo P. Ciacconius ad Cæsarem lib. 1 de bello civili. Dein scripti, *de uxoribus*, quemadmodum & editi ante Carrionem. Sed & Rott. *Verba erant ita concepta*, cum Aldo & Vascosano : nam Ro. & Ven. *Verba hæc erant ita concepta.*

Et canicula] Probabiliter Lipsius : *& canalicola*, 2 Elect. 3. Festus : *Canalicolæ, forenses, homines pauperes dicti, quod circa canales fori consisterent.* Iuvat Plautus in Curculione.

Is locum esse sibi joci dicendi ratus] Lincoln. *joci dici ratus.* Rot. *sibi oci dicunt ratus.* Regius : *joci dicunt iratus.* Palam monstrant, *joci dicundi ratus.*

Censor dixisset, Tu ex animi tui sententia] Sic Carrio. priores *Et tu*, quemadmodus superius quoque. Scripti rursus, *censor dixisset, Ut tu ex animi tui sententia.* Hæc enim particula huic rei propria est. Vide 4 Observ. 14.

Sed non ex animi tui sententia] Quæ vero causa esset censori invidendi matrimonio hominis ? Recte scriptus uterque : *Habeo equidem, inquit, uxorem, sed non hercle ex animi mei sententia.* Vbi peccavit etiam vel Carrio vel Stephanus, quum *nè hercle*, quod priores editiones salvum habebant, sustulit.

Atque inibi prope, ut plecteretur, fuit] Non putarunt impleri sententiam, nisi *prope* suo inculcato. Tu vero auctoribus membranis id dele, & veterem scripturam non aliter intellige, parum scilicet abfuisse, quin plecteretur.

Vagi animi foret & allucinantis] Reg. & Rot. *alucinantis*, ut id verbum scribendum esse disputavit Salmasius.

Sed cum ille dejerasset] Reg. Rot. Lincoln. *dejurasset.*

Populum adhortaretur] Accessio Carrionia. nam script. & olim editi *hortaretur.*

Masurius in septimo memoriali] Reg. *in septimo memorum memoriali.* Rott. *in septimo memor memoriali.* Neuter *memorabilium.* Lincol. quoque *memoriali.*

Equum Statius meus servus] Reg. & Rott. plane : *Equum Statius*

tius nihil servos. Lege : *quoniam, inquit, ego me curo; equum Statius nihili servos.* hoc postremum terminatione antiqua pro *servus.* Sic lib. 17, 6. *quod eum servus nihili petendæ pecuniæ causa compellaret.* quem paullo ante dixit *nequam & nulli pretii.* Plautus Menæch. 5, 6. *Recordetur* (bonus servus) *id, qui nihili sunt, quid iis pretii Detur ab suis heris.*

AD LIB. V.

CAP. I. *Musonium philosophum solitum dicere accepimus*] Et Reg. & Rottendorfianus & Lincolnienſis τῷ *dicere* nuntium remittunt. Aliquid latet. Forte : *Musonium philosophum locutum accepimus.*

Si clamitant etiam si vocum] Et calamo propagati & typis ante Stephanicum : *si clamitant etiam si gestiunt si vocum.* Vbi τὰ *gestiunt si* induxerunt, quia id verbum paullo post adhibetur. Suspicor pro illo *gestiunt* alterutro loco fuisse *exsiliunt.* Hoc enim quoque faciebant. Quintilianus Instit. 2, 2. *Minime vero permittenda pueris, ut sit apud plerosque assurgendi exsultandique in laudando licentia.* Et mox : *At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, & cum indecora exsultatione conclamant.*

Quibusdam quasi frequentamentis] Sic & lib. 1 cap. 11. *si, ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros & modos & frequentamenta quædam varia tibicen incineret.* Scriptus tamen uterque *fretamentis.* unde Salmasius conjiciebat *irritamentis.*

Scias & qui dicit & qui audit] Alii, *audivit.* Reg. & Rot. *audiunt.* Dicit enim unus, audiunt multi.

Neque illic philosophum loqui] Membranacei ambo : *neque illi philosophum loqui.* Hoc quoque Plautinæ indolis. Amphitruonis prol. *Quæ illi ad legionem facta sunt.* Captivis 2, 2. *Me saturum servire apud te sumptu & vestitu tuo Potius, quam illi, ubi minime honestum est, mendicantem vivere.*

Animus is, inquit, audientis philosophum] Scripti nesciunt pronomen; nec sane, quid huc faciat, apparet.

Si quæ dicuntur utilia] Conditionalem particulam inseruit Carrio. Scripti & prius editi, *philosophum quæ dicuntur.* Igitur Lipsius 2 Elect. 3 tentat : *quæ dicundo utilia.* Malim : *Animus, inquit, audientis philosophum dicentem, quæ utilia ac salubria sunt.*

Prolixe profuseque laudandi] Sic membranæ utræque. non *profundeque,* quod venditat e Palat. Gebhardus 2 Antiq. lect. 11. Sueto-

Suetonius Nerone : *A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusius, solos scire audire Græcos ait.* Plinius lib. 6 epist. 26. *Amo quidem effuse, judico tamen.*

Attonitos & quasi obstipidos] Quid voluit Carrio cum suo *obstipidos*? nisi occasio præbenda fuit bono Schegkio, ut *obstitos* juxta in subjiceret. Recte scripti & editiones priscæ, *obstupidos*. Plautus Milite 4, 6. *Quid stas, obstupida? quare non pultas?*

Vocis permanantibus] Regius addit ὡς φα· quod indicium videtur Græca quædam suis attexuisse Gellium, quæ perierunt. Sed facile possunt restitui ex Odyss. N principio:

Ὡς ἔφατ', οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ
Κηληθμῷ δ' ἔχοντο κατὰ μέγαρα σιόεντα.

CAP. II. *Qui Bucephalus appellatus est*] Regius *Bucephalas*. Et mox in ipsa narratione : *& capite & nomine Bucephalas*, non modo Reg. & Rot. sed etiam Ro. Ven. Aldina editiones. Vascosanus mutavit. Et sic in optimis fere libris id vocabulum terminatur : sic Strabo, Curtius, Oppianus. Sic etiam Plinius lib. 8 cap. 42, etsi vulgo id non appareat : *Bucephalan eum vocarunt.* Ita MSS. etiam vulgares.

Æris nostri summa est HS CCCXII] Reg. & Rot. expressis literis : *sestertia trecenta duodecim.*

Ab alio nisi a rege] Reg. *nisi ab rege.*

Vulneribus alte in cervice] Scripti *altis*. Seneca Troadibus: *Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.*

Et deinde jam superstitis securus q. cum s. h. solatio exspiravit] Scripti, Romana, Veneta ; *& domini jam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio, animam exspiravit.* Quæ mens Aldo fuit, ut hoc, quemadmodum fecit, interpolaret? Quæ Carrioni aut Stephano, ut una cum Vascosano & Gryphio interpolanti aurem præberent? *& domini* e Palat. etiam protulit Gebhardus 2 Antiq. Lect. 1. *Animam* autem *exspirare* dixit & lib. 3, 15. *cognito repente insperato gaudio exspirasse animam.*

Atque ob equi honores] Scripti *idque*. Dein *Bucephalon* & illi quidem : vix tamen est, ut non *Bucephalen* scripserit Gellius, quod & Salmasio visum ad Solin. p. 893. etsi sint, qui & isto modo appellant.

CAP. III. *Libro illi suo inclito*] Quis neget operæ pretium fecisse Carrionem & Stephanum, quum sic maluerunt quam cum scriptis editisque ante ipsos, *libro suo illi inclito?* Reg. Rot. Lincoln. *scripsit* pro *inscripsit.*

Quod genus Græci βασιζοντας vocant] Excogitatum ab aliquo,

in cujus exemplari Græca vox deerat. Præclare Regius : *quod genus Græci* ἀχθοφόρους *vocant.*

In Abdera oppidum] Ternæ membranæ sine præpositione : *rure Abderam oppidum.* Dicebant autem τὰ Ἄβδηρα. Ergo scribendum : *Is de proximo rure Abdera in oppidum, cujus popularis fuit*, &c. *Abdera in oppidum* ut apud Tacitum, *Capreas in insulam se abdidit.* Vide ad Livii librum 28, 42. Auctor bello Africano : *Itaque postquam castris non potuerant potiri, Uticam se in oppidum conjecerunt.* Valerius Maximus lib. 1 cap. 1. *Atque in id Virgines, & sacra imposita omisso cœpto itinere, Cære in oppidum pervexit.* Vbi non agnosco, quod agnoscit ex uno libro Colerus lubens, *Cære oppidum.*

Vincturam posituramque ligni] Carrionis hoc. Plinius 16, 37 de salicis generibus : *aliæ* (pariunt) *virgas sequacis ad vincturas lenticiæ.* Scripti tamen & superiores editiones, *junctura.*

Cap. IV. *Et Iulius Paullus vir*] Omnes ante Stephanum : *Paullus poëta vir memoria nostra doctissimus.* Nec secus scripti. Hunc titulum Paullo cur inviderint, ipsi viderint. Certe noster & lib. 16, 10. *Iulium Paullum poëtam memoriæ nostræ doctissimum.* Lib. 19, 7. *Iulius Paullus poëta vir bonus & rerum literarumque veterum impense doctus.*

Doctissimus consederamus] Scriptus uterque, *considerámus.* Et sic interdum malebant. Cicero 3 de Orat. *in silvam venitur, atque ibi magna cum audientis exspectatione considitur.* Lib. 2 de Legib. *sed si videtur, considamus in umbra.*

Fabii annales, bonæ atque sinceræ vetustatis libri] In omnibus exemplaribus sic interpunctum video. At aut tollendum comma post *annales*, aut alterum addendum post *vetustatis*, si mentem auctoris assequi volumus. Non enim ille dicit Fabii annales, qui essent libri bonæ & sinceræ vetustatis, sed libros annales Fabii, qui bonæ & sinceræ vetustatis essent. Et ita gaudet loqui cum Sempronio Asellione, ex quo advocat hoc libro cap. 18. *Annales libri tantummodo, quid factum quoque anno gestumque sit, ea demonstrabant.* Item, *neque segniores ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt.*

Ni in una nuspiam litera delictum esset] Et scripti & olim editi : *si in una uspiam litera.* Carrio alterum de conjectura fecisse videtur, ex eo, quod Pithæus, Brissonius, alii monuerunt sponsiones fere particula *Ni* conceptas fuisse. Neque immemor hujus formulæ potuit esse noster, qui lib. 7, 11, ex verbis Africani minoris ter repetitum ponit : *ni hoc ita est, quis spondet mille nummum?* Et lib. 14, 2, ex oratione M. Catonis : *ni vir melior esset Gellius quam Titius.* Sed illud *nuspiam* meliori

ætate

ætate sermonis Latini nusquam : nec Gellium id dedicare voluisse credibile est. Aut igitur faciamus *nusquam*, aut, *ni in nulla uspiam litera delictum esset.*

Alio quoque loco ita scripsit] Vix est, ut hic non sit aliquid mutili & defecti. nam scripti τὸ *alio quoque loco* ignorant. Præterea hoc ipsum exemplum non Fabii annalibus, sed Varronis humanarum rerum lib. 16 acceptum refert Nonius Marcellus : etsi vulgo ibi *duodevicesimo*, sed *duoetvicesimo* legendum esse jam monuit Iosias Mercerus.

CAP. V. *Cujusmodi joco cavillatus sit Antiochum*] Vetustiores : *sit in Antiochum.* Regius : *joco incavillatus sit Antiochum.*

Ac satis esse credis Romanis] Rott. *credo.* Regius, *credam.* Quod foret, jubesne me confidere ? auctorne es, ut credam ?

CAP. VI. *Hæ antiquitus e lauru erant*] Rott. *antiquitus laurea.* Forte : *Hæ antiquitus laureæ erant.*

Quod in eo loco generatum esset] Reg. & Rott. *gnatum.* Lib. 7, 11 ex Q. Claudio affert : *qui adprime summo genere gnatus erat.*

E fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit] Quatuor scripti *quernea.* Reg. & Rott etiam *ciuus* mutatione literæ frequenti librariis: uterque item *fuit.* Tum pro *quernus* Reg. *quercus* : sed neutra vox in Rott. habeturque *antiquis solitus fuit capi.* Possis conjicere : *e fronde quernea, unde cibus victusque antiquis solitus fuit capi.* Aut etiam, *quoniam cibus victusque antiquis e quercu carpi solitus fuit.*

Quod appareret tam iniquo] Olim edebatur, *appareret e tam iniquo.* Scripti Reg. & Rot. *appareret & tam iniquo.* Lincoln. *apparet & tam.*

Ciceronem consulem donari e republica censuit] Vetustiores Carrione, *a republica* : neque aliter scripti. Et sensu non deficitur. Nam *censere*, apud Latinos sæpe sic ponitur, ut ei præsens infinitivi pro gerundio jungatur. Justinus lib. 13. *Perdicca censet Roxanes exspectari partum.* Plinius lib. 23, 1. *his mucleis ad purgationem non censuerim uti.* Sic ergo *censuit a republica donari* est censuit vel pro sententia dixit esse donandum a senatu populoque Romano.

Armatus vi transilivit] Reg. & Rot. *transiluit.*

Ovalis vero corona] Neuter scriptorum codicum habet τὸ *vero* : neuter ut nec Lincoln. mox τὸ *autem* : & sunt hæ particulæ, quibus quasi hiantem orationem connectere se male seduli putabant. Sed & vocabula transposuerunt. Hæc enim manus prisca : *Ovalis corona murtea est. ea utebantur imperatores, qui ovantes urbem introibant, Ovandi ac non triumphandi causa est.*

Im-

Impulverea, ut dici solet, victoria] Volunt hoc ipsum scripti exhibendo, *quibus in pulvere aut dici*. Neque inepte tamen Christ. Colerus Parergon cap. 20 suspicatur, *impulvere, ut dici solet, victoria*. Sed juxta bene *impulvereus* formatur ἀπὸ τοῦ *pulvereus*, quam *impulvis* ἀπὸ τοῦ *pulvis*: quemadmodum a *cœna* fit *incœnis*, a *cœnatus incœnatus*. Nam *invulnerea*, quod homo doctus libro suo adscripserat, ludibrium est.

Nam principio quis vidit] Membranarum ξωωθεὶς. *Jam principio*.

Cap. VII. *Collectam coactamque vocem & magis*] Rott. *vocem ciet magis*. Reg. *vocem ciet magisque*. Fiat igitur: *vocem ciet magis, magisque claros*. Sed præterea legendum: *quæ non vaga*. nempe via emittendæ vocis. non *quod*, ut vulgo: non *quoniam* ut Carrio licet cum scriptis manu. *Ciet vocem*, movet, rumpit, emittit, incitat.

Cap. VIII. *Nihil deesse animadvertimus*] Reg. & Rott. *animadverterimus*.

Et quasi Roscius histrio] Sic Carrio, quum esset: *atque Roscius histrio*. Sed ex scriptis legendum, *& Q. Roscius histrio*. ut notavit Lambecius.

Statua grandi capite erat] Utraque membrana: *Fatua grandi capite erat*. Quando mentionem fecit Pici, non mirum est addere aliquid de nuru ejus Fauni uxore. Justinus lib. 43. *Fauno uxor fuit nomine Fatua, quæ divino spiritu impleta, velut per furorem futura præcinebat*. Bonam deam putatam scribit eandem Plutarchus in Cæsare.

Ex illo Homerico versu] Scripti quatuor, *Homerico verbo*. Mutatum opinor, quia duo verba sunt & initium versus. Sed *verbum* etiam dictum significat complurium vocum. Suetonius Julio: *Verbum M. Catonis est, unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse*.

Cap. IX. *Cum vero in patrem ejus*] Hic quoque fulcrum labanti orationi se supponere crediderunt per τὸ *vero*, quod neque in Regio est, neque in Rottendorfiano neque in Lincoln. primus etiam caret præpositione *In*. Dicimus autem utrumque *invadere aliquem* & *in aliquem*. Potius erit aliquid demi: nam pro *deducto* legendum videtur *educto*, & verbum substantivum removendum, hoc modo: *Mutus adeo & elinguis diu habitus, quum in patrem ejus, bello magno victum, & urbe, in qua erat, capta, hostis gladio educto, regem esse ignorans, invaderet*. Possemus quoque τὸ *Et* tollere: sed maneat, licet accipiatur pro Etiam.

Nomen illi fuit Αἴγλης] Rott. *fuit etlaoys*. Regius *fuit exλoys*. Forte *nomen ei fuit* Ἐξάδιος.

Sese

Sese videre quid faceret] Reg. & Rott. *videre sese quid faceret.*

CAP. X. *Esse vitium videtur eorum quæ*] Quatuor scripti: *longe maximum esse vitium videtur, quæ ἀντιπέφορα Græci dicunt. sine τῶν eorum*, quod insulsisse censeo, qui mirabantur nihil esse, quo referrent τὸ *quæ*. At est id ex genere scitamentorum, de quibus diximus ad lib. 4, 1. *ea quæ reconduntur, penus dicta est.*

Controvertique potest in eum, a quo dictum est & utrumque] Scripti & editi ante Stephanum, *convertique in eum potest.* quorum mutandi unde libido vel ipsi vel Carrioni exstiterit, haud sane intelligo. Melius autem Reg. & Rot. *& utrimque pariter valet.* nempe & à parte actoris in reum aut unde petitur, & hinc adversus illum.

Eloquentiæ discendæ causarumque orandi cupiens] Rectius Saresberiensis *causasque orandi*, inquit Colerus cap. 20 Parergon. Immo pejus. est enim, quale *verborum fingendi*, quod asseruimus lib. 4, 14

Quo primo die causam apud judices orasset & vicisset] Reg. *primum.* Forte: *quo primam die causam.* Apulejus in Floridis: *Aut enim vinco, & judicio dimittor; aut vincor & pacto absolvor, ex quo non debeo mercedem, si hanc primam causam fuero penes judices victus.* Mar. Becichemo puerilis in his verbis error videtur ita corrigendus, *hac prima causa*: & sic ajunt Florentiæ legi. At ego *victus causam* Apulejo dignum helleniſmum puto, quam qui maxime: & tam molliter dici *causam vinci* quam *causam vincere, judicium vincere, Olympia vincere, Pythia cantare & certare*: quæ omnia certos auctores habent, Ovidium, Tullium, Ennium, Horatium, Apulejum ipsum. Etenim in omnibus his intelligitur præpositio *Per.* At, quod sequitur, etsi, quod sciam, dissimulent omnes, correctione indiget: *Ita me omnimodo liberat, si vinco, conditio; si vincor, sententia.* Plane contrarium verum est: nam vincentem stringebat conditio, non liberabat; ut & victum sententia cogebat solvere. Scribendum igitur: *si vincor, conditio;* (pactus enim erat, ne daret, ni vicisset) *si vinco, sententia*, scilicet judicum lite secundum me data. Et hoc ex Flor. statim recipere debuerunt.

Petere instituit ex pacto] Sic & Rottendorfianus. Sed Regius cum prius editis, *instituit.*

Utroque id modo fore ut reddas] Scriptus uterque cum editionibus ante Stephanum, *uti reddas.* In Regio deest τὸ *id.*

Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti] Sic Rott. non *Opto*, ut Regius adversus auctoris mentem. nam si alio patrono uteretur, id signum esset ipsum sibi diffidere, atque ideo necdum satis

ſatis didiciſſe. At illud, *majus mihi in iſta victoria prolubium eſt*, ita prorſus Rott. ut Regius, atque ex eo Lambecius. *Majus* quoque Ro. & Veneta. Aldus primus *magis*.

Utroque modo fieri, ut non reddam, quod petis] Rott. *utroque modo fore*, ut ſupra.

Magiſter diſciplinæ eloquentiæ inclutus] Regius & Rottendorfianus vocem *diſciplinæ* nulli agnoſcunt.

Captionis verſutæ excogitatu fruſtratus fuit] Rott. cum editis antiquitus, *verſute excogitatæ*. Colerus Saresberienſis ſcripturam & hic minime tegendam monet *verſute & cogitate*. Stephanus equidem Carriove injuria offenſi ſunt genere loquendi *fruſtrari captionis*, quod eſt, ut Plauti *falli ſermonis*. Regius, *verſutæ & excogitatæ*. Quod maxime probo. Suetonius Caligula: *Templum etiam numini ſuo proprium & ſacerdotes & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit*.

Cap. XI. Ητοι καλὴν ἕξεις ἢ αἰσχρὰν] Ab Aldo provenit hoc. Romana Venetaque, Ητοι καλὴν ἄξεις· & mox: Εἰ μὲν καλὴν ἄξω. quæ laudat etiam è Pal. MS. Gebhardus 2 Antiq. Lect. 23

Neque juſtum disjunctum eſſe ait] Reg. *neque juſtum disjunctivum eſſe ait*. Rott. *neque juſtum dijunctivum ait eſſe*. Statim Reg. & Rot. *quoniam non neceſſum ſit*. Lincoln. *quoniam non eſt ſit*.

Cujus rationem proſpectumque Bias non habuit] Regius *perſpectumque*. Inde Salmaſius conjiciebat *reſpectumque*.

Media forma quædam eſt] Hac ſerie vocum ſcripti.

Et ſummo deformitatis odio] Immo *ſummæ*, ut tres membranæ.

Cap. XII. *Dijovis & Vejovis*] Non diſſimulandum videtur in quatuor calamo exaratis eſſe, *Dijovis & vedijovis*. neque hic modo, ſed & mox, *ædes vedijovis*: tum *vedijovem appellaverunt*. denique, *ſimulacrum igitur dei vedijovis*. Sane *Vedius* etiam appellatur Martiano Capellæ, & Papiæ in Gloſſis: *Vedius Pluto vel Orcus, id eſt malus divus*: ut ad illum notavit H. Grotius.

Eorum nominum rationem] Regius, *Quorum*.

Nam quod eſt in eliſis aut immutatis] Regius exploſa præpoſitione: *Nam quod eſt eliſis aut immutatis quibuſdam literis Iupiter*.

Item, Iovis Dieſpater] Ambo ſcripti: *itemque Iovis Dieſpiter*.

Quoſdam, ne obeſſent, placabant] Iidem ambo, ut & olim editi: *quoſdam ut ne obeſſent, placabant*.

Et utroque verſum dicantur; veſcum, vehemens] Reg. & Rott. cum Fulviano: *dicantur; veluti veſcum, vehemens*.

Quam Græci στερητικὸν μορέον *dicunt*] Regius: *quam Græci* κατὰ στέρησιν *dicunt*. Heſychius: Α ψιλούμενον στέρησιν δηλοῖ. Etymologi-

logicon magnum in Ἀαγὲς. ἢ τὸ ἄθραυστον καὶ στέρησιν. Noster lib. 2, 6. *nam sicut inlaudatum καὶ laudis στέρησιν, ita inamabilem καὶ amoris στέρησιν detestatus est.*

Sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ] Earum instar videre est in nummis gentis Cæsiæ & Liciniæ





Immolaturque illi ritu humano capra] Τὸ *illi* neque in Regio neque in Rottend neque in Lincoln. conspectui. Suspicor autem scribendum quod & Ant. Thysio visum, *ritu Romano.*

Versus Virgilii hi sunt] Reg. Rot. Lincol. τῷ *hi* dant commeatum.

Vti mala a nobis vel a frugibus natis amoveantur] Lege cum Reg. & Rott. *amoliantur.* nempe illi ipsi dii. Petronius: *jamdudum enim cupiebam amoliri custodem molestum.* Tacitus 3 histor. *Eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse & a partibus Vitellii amolitus videbatur.* Noster 19, 1. *His tunc verbis Stoicus divitem illum Asiaticum a sese amolitus est.* Cæterum pro *Averruncus* Reg. Rot. Lincol. *Aurungus.*

Cap. XIII. *Alios alii anteferre, non constabat*] Regius & Lincoln. *constituebat.* Rott. *confatuebat.* Sed quodcumque horum admiseris, si attendas, apparebit orationem parum constare. Quin ego duas illas voces qualescumque improba manu insertas censeo, postquam *cumque quæreretur*, per errorem syllaba repetita, pro *cum quæreretur*, feciset antiquus librarius. Quid enim, quæso, consummatius hoc sermone? *disputatio quædam fuit præsente & audiente me de gradu atque ordine officiorum, cum quæreretur, quibus nos ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciundoque officia alios aliis anteferre.*

Quod majores sanctius habuere defendi pupillos] Lud. Aurelius ad tertium Taciti annalem tentat: *Quid majores sanctius habuere, quam defendi pupillos? quam clientem non fallere?*

Adversus cognatos pro cliente testatur] Quis? nempe patronus. sed id sic intelligi durum. Malim M. Catonem scripsisse:

Ad-

Adversus cognatos pro cliente testamur.

Patrem primum, deinde patronum] Magnum vero ἀνδραχάδημα Carrionis & Stephani, qui *deinde* subjecerunt, ubi priores editiones cum scriptis *postea*. Sic enim illi : *patrem primum, postea patronum.*

De qua causa fœminæ viris potiores sunt habitæ] Verbum substantivum tres expellunt membranæ.

Pupillarisque tutela muliebri prælata] Reg. *mulieris lata.* Rottend. *mulieri prælata.* Guilhelmus Ranchinus divinat *pupillarique tutela muliebris prælata*, lib. 1 Var. lect. 4.

Ejus filii tutores relicti] Reg. & Rot. *filiis tutores relicti.*

Clarum isti rei testimonium perhibet] Hoc ordine verborum scripti.

Defugere hoc munus Mumi non potui] Sic edebatur. Carrio & Stephanus maluere *M. V. non potui.* Reg. *M. vince non potui.* Rott. *M. unite n. p.* Lincol. & quartus. *M. Vincere.* Num fuit, *M. Vinici*? id certe nomen gentis Romanæ. Visumque idem Ant. Thysio.

Quibus etiam a propinquis nostris opem ferre] Videtur dixisse Cæsar, *ante propinquos nostros.*

Cap. XIV. *Fortasse a vitio studioque ostentationis*] Rot. & Reg. *fortasseanvitio.* Quod conjectura olim deprehendit Eustat. Suartius Analect. 3, 3. Habet etiam auctor lib. 7 cap. 3. lib. 11 cap. 9. & restituemus cum Deo volente lib. 17, 5.

Est enim sane quam in prædicandis doctrinis] Hic non ita felix Suartius : causatus enim nescio quid horridum & molestum auribus ordinem sonumque faciens, corrigit : *Est enim sane nequam.* Aliter visum veteribus. M. Cœlius ad Ciceronem lib. 8 famil. ep. 1. *Sane quam eos sermones repressit.* Epist. 5. *Sane quam in quodam incili jam omnia adhæserunt.* Epist. 6. *Appium a Dolabella reum factum, sane quam non ea, qua existimaveram, invidia.* Epist. 10. *Sane quam literis C. Cassii & Dejotari sumus commoti.* Ut alias *mirequam, valdequam, Nimisquam, Oppidoquam* adhibere solent.

Sævientes feræ magnitudine bestiarum excellentes] Lege cum memb. *sævientes feræ, magnitudines bestiarum excellentes.* Sic Cicero lib. 3 de orat. *distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium deminutæ.* Et sic legendum conjecit Pricæus ad 4 met. Apuleji.

Omniumque inusitata aut forma] Vterque *inviſitata*, ut & Pricæus ibidem advocat, contempta invidia Lusinini, cui moribus sunt invisis, qui ubique pœne *inusitata* in *inviſitata* permutant.

Terrificoque fremitu ac sonoro] Sic & vett. libri : neque est, cur

cur aſpernere. Poſſet tamen aliquis ſuſpicari fuiſſe : *terrifico fremitu ac ſonore.* Lucretius lib. 1. *quæ belle tangere poſſunt Aures & lepido quæ ſunt fucata ſonore.* Sæpiuſque idem & alii.

Oculoſque omnium in ſe convertit] Quanto melius hoc eo, quod libido Carrionis immutavit. : *in ſeſe converterat.* Sic ſcripti, ſic ante illum editi.

Maximus populi clamor excitatur. accerſitur] Et hic ſibi multum Carrio permiſit. Romana editio : *maximos populi clamores excitatos dicit arceſſitumque à Cæſare Androdum, quæſitum cauſam, cur ille atrociſſimus leonum uni parciſſet.* Similiter aliæ vulgares, præter quæ ex Aldina *quæſitam* adoptarunt. Nec ſcripti ſecus, niſi quod nomen *Androclum* reddunt, de quo monuit Lipſius. *Quæſitum* Regius, *quæſitamque* Rott. ut tamen alteram lectionem, foveat in margine. Poteſt videri auſum dicere, *quæſitum cauſam* Androclum, ut *interrogatum ſententiam* dicimus. Denique Regius, *leo uni parſiſſet*; Rott. *leoni parſiſſet.* Scribe : *cur illi atrociſſimus leo uni parſiſſet.*

Tum ſole, inquit, medio] Scriptus uterque : *Tum ſole medio, inquit.* Eodemque ordine verborum hæc ſuis inſerit Priſcianus lib. 6 Fulvii codex *meridiano.* Parum abeſt, quin ſuſpicer auctorem noſtrum ſcripſiſſe, *ſole meridie.* Quod ſequitur, *& arido & flagranti*, habet Priſcianus : unde Lipſius *ardido* 2 Elect. 3. Noſtræ membranæ, *rapido & flagranti.* Puto non aliter febrim dici *rapidam* lib. 12, 12. Et igneam ſignificat. Quippe ignis ἐν μάλιστα ἀξεμώτατον καὶ ὀξύτατον, ut ait Maximus Tyrius diſſert. 38.

Mitis & manſuetus acceſſit] Quare hoc maluerunt, quam quod habent binæ membranæ, & ſine dubio quicquid eſt meliorum : *mitis & manſues acceſſit.* Attius Meleagro : *Nunc ſi me matrem manſues miſericordia capſit.* Varro Οὐκ λύεις. *Non vidiſti ſimulacrum leonis ad Idam eo loco, ubi quondam, eum ſubito cum vidiſſent quadrupedem, Galli tympanis adeo fecerunt manſuem, ut tractarent manibus?*

Sole meridiano toſta edebam] Carrionis. Edebatur, quod & boni adfirmant codices : *torrens edebam.*

Scripta circumlataque tabella populo declarat] Vellem : *eaque omnia ſcriptâ circumlatâque tabellâ populo declarata.* nempe tradit Apion. Ejuſmodi tabula eſt, cujus meminit Suetonius in Claudio : *Quum eſſedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulſiſſet rudem, tabulam illico miſit, admonens populum, quantopere liberos ſuſcipere deberet, quos videret & gladiatori præſidio gratiæque eſſe.*

Spargi leonem, omnes fere ubique obvios dicere] Lincoln. *leonem, ubique omnes obvios dicere.* Regius, *leonem. Omnes ubi-*

que obvios dicere. Rotten. *leonem. Omnes undique obvios dicere.* Nusquam τὸ *fere.* Olim & copulativam adjecerant.

Cap. XV. *Corpusne sit vox an incorporeum*] Sic & Rott. At Regius *an incorpora.*

Significare volens Lucretius ita scripsit] MSS. Reg. & Rott. *Lucretius poeta ita scripsit.*

Plaga ipsa atque percussio vox est] Tres membranæ auctiores vocula : *sed plaga ipsa atque percussio, id vox est.*

Cap. XVI. *Sed & hic ea quæ disserimus imaginandum*] Sic Romana cæteræque, nisi quod Gryphiana omisit τὸ *ea.* Regius & Rott. *sed hæc eaque non diutius muginandum.* Ergo conjecit vir doctus : *sed neque hic diutius immorandum.* Mitius consulere licet scribendo : *sed hæc quoque non diutius muginandum.* De verbo habes apud Festum & Nonium Marcellum. *Est nugari*, inquit ille, *& tarde conari.* Dixit autem, *muginandum est hæc.* ut illa, de quibus ad lib. 4, 9 egimus.

Cap. XVII. *In quarto de Verborum significatione*] Reg. & Rot. *significatu.* ut & capite sequenti editur.

Tanquam inominalem diem] Regius *nominalem.* Vnde Salmasius *ominalem*, hoc est, ominosum, de Climacter. p. 824.

Nihil super ea re scriptum invenimus] Membranæ ambæ : *nihil nos super ea re.* Mox item : *ante diem quartum nonis Sextiles.*

Cap. XVIII. *Verrius Flaccus refert in libro de significatu verborum quarto*] P. Scriverius ad marginem exemplaris sui notaverat : *in libro de significatu verborum VIII.* hoc est, litera H. ubi de Historia tradiderat, etsi nunc de illa nihil sit in fragmentis superstitibus. Singulos autem libros Verrii singulæ constituebant literæ. Inde capite præcedenti : *Verrius Flaccus in quarto de Verborum significatione.* hoc est, Litera D. egit enim ibi de Diebus atris.

Quod factum quoque anno gestum sit, id demonstrabant] Regius *gestumque sit.* Idem cum tribus aliis : *ea demonstrabant.* Hanc mutationem numeri ferre non quiverunt. Atqui quod gestum quoque anno factumque est, non unum est, sed multiplex, sed multa, ut merito eis plurale pronomen respondeat.

Id est eorum quasi qui diarium scribunt] Tres iterum membranæ non tolerant τὸ *eorum.* Quid si deleamus insuper τὰ *qui* & *scribunt*? Longe quidem commodius vulgato videtur : *Id est quasi diarium, quam Græci* ἐφημερίδα *vocant.*

Ad rempublicam defendendam] Rot. *defundam.* Reg. & Lincoln. *defendundam.* Sed graviore morbo hæc verba laborare videntur. Quî enim cognita facta majorum, vel nuda, nullam vim habent alacrioribus commovendis ad rempublicam de-

defendendam? habent profecto & quavis in re σπεύδοντες καὶ αὐτοὶ ὀτρύνονται. Dein quid est *segniores ad rem perperam faciendam commovere?* ut ne scilicet nimis ad peccandum segnes sint & cunctabundi? At quo quisque ad hoc strenuior & promptior est, eo nequiorem putabam. Voluit, opinor, dicere, simplicem illam narrationem actorum non reddere alacriores, qui per se non sint alacres & ingenerata ignavia marcent ac torpent; nec segniores ad flagitia & scelera facere, quos ab iis insitus non revocat pudor. Hoc quomodo dixerit, videndum.

Et quomodo confectum sit] Regius: *& quo confectum sit.* nempe etiam consule. Aurigatur eodem Rott. in quo est: *& quoquo confectum sit.*

Quis triumphans introierit & quæ eo in bello gesta sint] Sic Carrio, quum propagaretur: *introierit exque eo libro quæ in bello.* Regius & Rott. *introierit ex eo libro quæ in bello.* Emenda: *& quis triumphans introierit ex SC. quæque in bello gesta sint iterare.* Nam τὸ *libro* adjectum, postquam τὸ *ex SC.* degeneravit in *ex eo.* Livius lib. 5. *de Patribus, non de hostibus, consules triumphare velle. nunquam ante de triumpho per populum actum. semper æstimationem arbitriumque ejus honoris penes senatum fuisse.*

Cap. XIX. *Comitia arbitris etiam pontificibus*] Reg. & Rott. omittunt *etiam.* neque in ea particula hic est ἐνέργεια.

Filius sibi siet quam si] Quatuor scripti condemnant τὸ *sibi.* & quid eo est opus, quum dictum sit *L. Titio?*

Vti patri endo filio est] Edebatur antea, *uti pariendo*, quod se putat asserere Ioh. Livinejus ad 1 Propertii eleg. 3. explicando, qui partu editus est: alterum ait esse Fr. Hotomanni. Et est ejus, nec post hanc frugem inventam glans quærenda est. Porro non apice uno plus minusve scripti.

Quæ in parentis potestate non est] Sic utraque membrana: & ex suis, opinor, edidit Carrio: atque ita etiam legendum monuit Hier. Aleander ad Cajum. Ante Carrionem particula negandi aberat.

Si juris ista antiquitas servetur] Lipsius, *juris tantum æquitas*, 1 Elect. 21.

Filium adoptivum tam prodesse] Sic perperam Carrio vel Stephanus pro eo, quod in scriptis & prius editis est *procedere.* Et id quam eleganter dictum sit, monuimus ad Livium lib. 5, 49.

Vt ad censum nemini necesse sit venire] Scripti, *necessum*, quod & supra etsi parum referat, iisdem auctoribus reposuimus.

Cap. XX. *Quod vocabulum Latinum solœcismo fuerit Capitoni*

Simnio] Sic Carrio. Romana, Veneta, Gryphii *solœcismo fecerit Capito Asinius*. Aldus, *solœcismo fuerit Capitoni Asinio*. Vascosanus: *solœcismus fuerit Capitoni Asinio*. Scribendum: *Quod vocabulum Latinum solœcismo fecerit Capito Simnius*. Eoque alludit Regius, qui *capit simnius*.

Solœcismus a Simnio Capitone] Et hic mutilatum a Carrione an a Stephano, quod habent & scripti & editi superiores: *Solœcismus Latino vocabulo a Simnio Capitone* (sic scripti: editi *ab Asinio*) *ejusdemque ætatis aliis Imparilitas appellatus*.

Quasi sterobiligo quædam] Membranæ *strobiligo*. Respicit enim τὸ στρόβιλον.

Neque in Græca neque in Latina solœcismus probe dicetur] Sic Stephanus. Priores, *neque in Græco neque in Latino*. Scripti planissime: *neque in Græca neque in Latina Lingua*.

Cap. XXI. *Non barbare dici sed Latine.*] Quod hoc cacoethes omnia in pejus mutandi? Ro. Ven. Ald. Vascos. *non barbare dicere*, ut & Regius. Gryphius apud me primus *dici*: & hoc secutus est Stephanus: deinde inventus, qui subjiceret *dicit*.

Non hercle studio ostentandi] Scripti, Ro. Ven. Ald. Gryphius, *studio ferens ostentandi* Vascos. *studio fervens ostentandi*. Forte, *studio semet ostentandi*.

Cum adortus quemque fuerat] Persuasi mihi Gellium scita tmesi dixisse: *quem adortus cumque fuerat*. Horatius 1 od. 16. *Quem criminosis cumque voles modum Pones Iambis*. Sic in præfatione noster: *in quas res cumque inciderant*.

Neque rationem verbum hoc neque auctoritatem habere] Membranæ Reg. & Rott. *auctoritates*. Vt mox, *Tibi habeas auctoritates istas*. Sic apud Ciceronem fecerant SC. *auctoritas* pro *Senatus consulti auctoritates*.

Absolutum esse sive simplex] Reg. Rot. Lincoln. *absolutum esse & simplex*.

Ad Lib. VI.

Cap. I. *Homines feciſſe dicatur*] Hic liber non est in Rottendorfiano. contexitur enim fini libri quinti statim initium sexti, usque ad capitis XX locum e Catullo adductum: *Inger mi calices amariores*: reliquum ejus voluminis magno nostro malo periit. In Regio liber hic septimo postponitur. Principium primi capitis ubique deest.

Si non essent ibidem mala] Sic sane MSS. Editiones superiores

res non sine magna specie *itidem*. Vt & in fine hujus sectionis.

Viraque necessarium est] Angl. & Scheff. *necesse*: Regius, *necessum*.

Et quasi mutuo adverso quæque] Regius *adverso quoque*. Lege, ut jam editum Gryphio: *mutuo adversoque fulta nisu*.

Nullum adeo contrarium sine] Sic Carrio. Priores, *contrarium esse sine*. Reg. Angl. Scheff. *Nullum adeo contrarium est sine contrario altero*.

Quid item fortitudo &c. quid continentia] Sic equidem & nostri. Verius tamen olim editum: *qui item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviæ oppositione? qui continentia &c.* Hæc postulat, quod sequitur *quo modo*.

Consideratque dignumque esse id quæri] Lib. 7, 17. *& affers ea, quæ digna quæri tractarique sunt*. Regius tamen *considerationeque*. Fortasse: *tractat considerationeque dignum & quæsitu putat*

CAP. II. *Quo itidem modo & vim*] Lege *idem*, nempe Chrysippus.

Esse tamen in nobis consilii judiciique nostri arbitrium] Τὸ *nostri* supervacuum est & inconspicuum in optimo codice.

Græci πεπρωμένην *vel* εἱμαρμένλω] Secundum & tertium vocabulum nec Regius nec Schefferi codex agnoscunt.

Volvens semet ipsa sese & implicans] Tolle supervacaneum *sese*.

Εἱμαρμένλω *esse dicit* φυσικὴν σύνταξιν] Regius & Schefferi: *φυσικὴν τινα σύνταξιν*. Deinde & posterior: ἡ κατὰ πολύ.

Non sustentanda neque condicenda] Aldus & Gryph. ut Britannici duo & Schefferi: *non sustentanda neque inducenda*. Sed quid est *sustentanda*? Priscæ Editiones Ro. Ven. Ascensii, non *subsistenda, neque condicenda*; cui si faverent calamo exarati, controversiam non referrem: acciperem enim, ut apud Livium *subsistere feras*. Sed Regius, *suscensenda*. Solent autem scripti *suscensere* pro *succensere* exhibere. Videntur autem hæc verba simillima illis, quæ exstant lib. 7 cap. 3 propius finem: *interim autem facta sola censenda dicit atque in judicium vocanda, sed voluntates nudas inanesque neque legibus neque pœnis fieri obnoxias*. Itaque parum abest, quin aut hic quoque scribendum decernam, *delicta non censenda*, aut ibi *facta sola succensenda*: & hoc potius. nam quod ibi dicit *in judicium vocanda*, pro eo hic ponit *condicenda*. Sic in jure *status condictus dies*. Et apud Livium: *Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium*.

Vi ratione quadam principali necessario coacta] Sic & Ro. Ven. Vas. nisi quod transpositis vocibus *ratione principali quadam*. Al-

dus & Gryp. *ratione quadam necessaria principali & coacta.* Vnde Reg. tollit copulativam. Lincoln. *ut ratione quadam necessario & principali coacta.* Schefferi; *ut necessario ratione quadam & participali coacta.* Numquid, *ut necessaria ratione quadam & participatu coacta atque connexa sint fato omnia.* Capitolinus Vero: *participatu etiam imperatoriæ potestatis indulto.* Spartianus Iuliano: *Claudium Pompejanum e Tarracinensi ad participatum evocavit.*

Et in errores ruunt] Regius, *& in erro reservium.* Scribe: *in assidua delicta & in errores se ruunt.* Sic enim amant interdum. Plautus Trinum. 4, 1. *Imbres fluctusque atque procellæ frangere malum, Ruere antennas, scindere vela.* Terentius Adelphis: *cæteros ruerem.* Horatius 2 Sat. 3. *Unde Divitias ærisque ruam, dic augur, acervos.* Ovidius lib. 12. *Cedentemque sequens instat turbatque ruitque.*

Necessaria rerum consequentia] Non videtur spernendum, quod eodem sensu, sed exquisitius, Regius: *naturalis illa & necessaria rerum continentia.* ab ea significatione τοῦ *continens*, qua vicinum, contiguum, applicitum significat. Ut sit idem quod nexus, adhæsus, consequentia, participatus, continuatio. Cicero: *Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt.* Idem: *futura, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset.*

Est enim genere ipso quasi fatale & consequens] Suspicor Gellium Ciceronis voce usum scribendo: *quasi confatale & consequens.* De fato: *At si ita fatum sit, Nascetur Oedipus Lajo, non poterit dici, sive fuerit Lajus cum muliere, sive non fuerit: copulata enim res est & confatalis.* Et mox: *Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat.* Chrysippus Συμπλοκήν.

Hujus deinde rei exemplo] Reg. Lincoln. Schef. *deinde fieri exemplo.* mox Regius *illepido.* Lego: *Hujus deinde figuræ exemplo, non hercle nimis alieno neque illepido, utitur.*

Spatia terræ prona atque deruta] Meursius in Critico Arnobiano & in Miscellaneis *derupta*, ut & in quibusdam est olim editis, in aliis *dirupta.* Ciceronis est ad Atticum, *deruere de laudibus cumulum.* Itaque non facile moverim. Alioqui simplicius foret *prona atque declivia.* Sed *deruta* quoque sunt complanata, qua tumuli, verrucæ, colliculi fuerant, deruenda terra declivitatem nacta.

In culpa & in maleficio revicti sunt] Gebhardus ex Pal. mem. *revincti* 2 Ant. Lect. 11. Scio jam olim sic editum, sed Carrio & sensum & meliores libros secutus mutavit. *Revicti* sunt comperti & convicti.

Tanquam in aliquod fati asylum] Hæc scriptura quomodo vel Car-

Carrioni vel Stephano manum adierit, difficile dictu est. Restitue ocius e prioribus & scriptis: *in aliquod fani asylum.* Ecquis est mediocriter doctus, qui ignoret plerisque templis jus asyli fuisse? Sallustius ad Cæsarem: *quam multi mortales postea ad Pompejum discesserint, eoque per omne tempus belli, quasi sacro atque inspoliato fano, debitores usi.*

Primus autem Homerus] Regius alia parte uberius, alia recisius: *Primus hoc Homerus sapientissimus ille & antiquissimus poetarum dixit hisce versibus.*

Intricatur hoc modo] Lud. Carrio vult aut *à hoc modo* deleri, aut pluribus Ciceronis verbis auctorem usum 1 Emend. 13

Cap. III. *De serpente inusitatæ longitudinis*] Regius, *invisitatæ magnitudinis.* Neque aliter mox idem: *invisitatæ immanitatis.*

Serpentem illic stabulantem.] Sic Carrio & Stephanus. Nostri scripti cum prius editis, *serpentem in illis locis stabulantem.*

Romam misisse] Nempe Regulum Atilium. Tamen propter interposita, *eumque oppugnatum*, commodius foret *missum.*

Cap. IV. *Quid idem Tubero novæ historiæ*] Edebatur *Tubero in historiis.* Sed illud restituit Carrio. Neque sane aliter Regia & Schefferi membranæ: Regia quoque *memoriæ* pro *literis.* Conjiciebam: *Quid idem Tubero nona historia de Atilio Regulo à Carthaginiensibus capto memoriæ mandaverit.* Genus loquendi notæ suavitatis pro nono historiarum libro.

Grassante sensim veneno cor tabesceret] Muretus ad Tacitum, *contabesceret.* Quemadmodum & Regius. Idem quoque *veneni*, quasi exciderit τὸ *vi.*

Cap. V. *In verbis interpretandis erraverit*] Scripti cum editis antehac *erravit.* Ut passim in his lemmasi Gellius.

Alfenus jurisconsultus] Scripti cum Romana & Aldina *jureconsultus.*

Quotquot annis populo] Sic Aldus jam, Vascosanus, Gryphius. Et habet suam venerem. Varro lib. 4 de L. L. *Ager fundus quod fundat quotquot annis multa.* Eodem: *Ager restibilis qui restituitur ac referitur quotquot annis.* Nec longe: *Quod in agris quotquot annis rursum facienda eadem, ut rursus capias fructus, appellata rura.* Ubi mens igitur aut memoria Gebhardo, cum turpe hoc mendum & Latino jurisconsulto indignissimum pronuntiaret; & quod Popma laudaverit eum locum ad Catonem tanquam purum, revinci eum mem. Pal. auctoritate, in quibus sit *quotannis* lib. 2 Ant. L. 20. Atqui sic olim Romæ ac Venetiis editum fuerat, neque ab eo Aldus sine membranarum auctoritate abscessit. Et tamen, vel si repugnarent omnes codices, nec turpe nec Latino scriptore indignum vocitandum erat, quod si non meminerat Varro-

nem familiare habuisse, à Popma didicisse poterat.

Quid esset argentum purum putum] Gebhardus notat in Pall. abesse τὸ *argentum*: ut & in Lincoln. & Schefferi membranis.

Purum putum valde purum] Frustra contra nostrum & Budæum semetipse coronat Fr. Luisinus 1 Parerg. 26. Scimus *purum argentum* esse nonnunquam sine signis & emblematis. Sic Juvenalis Sat. 9. *argenti vascula puri*. Et alludit aliud tamen significans Martialis lib. 4 epigr. 39. Sed de eo insubidum est hic cogitare. Nec *purum putum* aliter dictum quam per ἐπέξήγησιν, ut *sacrosanctum*, ut *sartum tectum*, ut *pransus paratus*, ut in arbitrio rei uxoriæ *quæ melius æquius*, in ptecibus *volens propitius*.

Cap. VI. Et *Cn. Mattium*] Sic recte Scaliger in Conjectaneis: nam libri fere *& trimatium*. Versus Homeri Ιλ. ν. εἰσὶν δ' ἀμφὶς ἄκμων ἀλιείη, δδὴ δ' ἐτέρωσιγε νίπλω.

Erucio Claro] Sic feliciter Lipsius, ex lib. 13, 16. nam *Lucio Claro* codices. Lapidis exstat titulus à sacro Pæanistarum ordine positi. ΣΕΞΤΩΙ. ΕΡΟΥΚΙΩΙ. ΚΑΑΡΩΙ. Β. ΓΝΕΩΙ. ΚΑΑΤΑΙΩΙ ΣΕΒΗΡΩΙ. ΚΩΣ. quibus annum aperientibus Severum Septimum natum testis Spartianus.

Cap. VII. *Id verbum est ipsius legis Horatiæ*] Sic restituimus Plinio lib. 15, 6. *Non præteribo C. Octavium ob unum Senatusconsulti verbum.*

Cap. IX. *Cn. Flavium Annii F.*] Hoc quoque apud Plinium lib. 33, 1, patris prænomen editur. Sed non sine ratione Pighius, *Cn. F.* ut apud Ciceronem & Livium scribitur. Schef. *Anii.*

Eam in limine apposuit] Potius *opposuit*. Huic verbo iniquior, quem minime vellem; orta tamen à librariis injuria, quorum non tanta fuit hic habenda ratio quam sententiæ ac rei, quæ agitur. Passim enim inculcarunt illi *apponere & appositus*, ubi *opponere & oppositus* auctoribus placuerant. Nec difficile discrimen. nam ubicumque significatur aliquid objectum, obtentum, adversum, obstans, impediens, obvium, ibi *opponere & oppositus* scriptitarunt: ubi vicinum, propinquum, adjacens, additum, ibi *apponere* atque *appositus*. Sic, *Mensibus antiquis appositque duos*, item *hoc nostris appone libellis*, bene habent. At etiam bene, *Appositæ frondes velleraque alba tegunt*, & *frondem cunis opposuisse*, & *Partibus o. opposuisse manus*, & *oppositæ texit sua corpora myrto*, & *oppositæ velatur janua lauro*, & *oppositæ lumina veste tegit*, & *foliorum oppositu p. velatus*, & *ante oculos oppositque manum*: quæ profecto ἀμείνω mihi ὑπολαμβάνω, ἢ τοῖς γνησίοις ἐγγράφοις, quicquid promiscui codices delirent. Omnia enim hæc objecta, prætenta, obtenta intelligimus, ut

ut prohibeant videri, quod post ea latet; non tantum juncta vel contigua. Pariter, *in opposita lumina fixus humo*: est enim adversa & objacens oculis. Quemadmodum etiam suavius, *in oppositi nemoris subiere latebras*, opinor, & est obvii, oblati. Nam *feras opponi*, *opposita janua fulta* vel *firma* vel *dura fera*, & *dempserat oppositas insidiosa feras* sine contatione recipio, nec quemquam veterum in his *apponi* vel *appositas* toleravisse censeo: atque id satis evincere in eadem re aut simili frequentata *obex*, *obdere*, *obserare*, *oppilare*, *obturare*, *obstruere*. non enim applicatio nuda & conjunctio exprimenda est, sed adjunctio obstaculi, moræ, impedimenti. Procris etiam meo judicio *oppositas agitato corpore frondes Movit*: non enim tantummodo juxta erant, sed eam quoque operiebant, ut à Cephalo videri non posset nec agnosci. Etiam *oppositis vincitur viribus ulmus*, quas non tantum junctas habet, sed etiam circumfluentes atque obvolutas. Tale & Nigidii apud auctorem nostrum 7, 9 *Serpens si memordit, gallina deligitur & opponitur*. Plautus Vidularia: *Opposita est claxendix: at ego dicam quid signi fiet*. Varro lib. 4 de LL. *Ocrea quod opponebatur ob crus*. Bellum vero & hic nostri *oppositi*, sive januam respicias, quam pro fore obsidens claudebat; sive nobiles adolescentes, quorum adversa imminensque invidos & invitos feriebat oculos.

Cap. X. *Super Euclide Socratico*] Regius *Euclidas*. Videtur ingerere: *super Euclida Socratico*.

Esset, ea res homini] Sic Carrio non modo in editione Stephani sed etiam 1 Emendat. 3. At omnes & editi & scripti: *esset, ut ea res*: idque mutandum non fuisse ad 3, 9, monuimus. Idem ait in membranis extra ordinem correctum se reperisse, *capital esset*. Quæ vereor, ne fuerint Buslidianæ, unde tales extra ordinem correctiones, interdum non bonas, hominem adsciviisse supra notavimus. Sed & ipse vulgatam se non mutare testatur, quum & calamo exarati libri eam defendant nec meminerit usquam legi *eam rem capital esse*. Lincol. *prensus esset ut ea res*.

Cap. XI. *Ad officium gravitatis dignitatisque vitæ decentia*] Reg. & Schef. *ducentia*. Haud dubie melius.

Cn. Manlium tribunum plebei] Lincol. C. *Mallium*. Schef. C. *Manilium*. sed C. *Mamilium* legi suadet Pighius in annalibus à V. C. 643.

Cap. XII. *Alterum à sacro diminutum*] Reg. *imminutum*.

Cap. XIII. *Quæ sympotiacæ vocantur*] Non male, sed mutandum non erat, quod in Regio est & Schefferiano: *sympoticæ*.

Absurde atque ridicule dixeris] Sic apud me primus Aldus. Romana & Veneta cum Regio & Scheff. *ridiculose*. Hen. Ste-

phanus in Pseudocicerone negaverat *ridiculosus* Latine dici. Quod arguit Lo. Ladislaus apud Scioppium 4 Verisim. 14. nam in Sticho Plautina a. 2. sc. 1. *Advexit secum parasitos ridiculosissimos.* Imitatus Rufinus histor. Eccles. 10, 17. *Tunc omnes ridiculosus pudor habere cœpit, quod tam facile, tacente reo, factio compositi criminis patuisset.* Sic enim pro *docente eo* restituit ex Mss. Gebhardus.

Cap. XIV. *Tantum duarum ex his meminerit*] Auget Regius, *meminerit, non trium.*

Cum pœna adhibetur] Ut remedium, curatio, fomenta. Si quis tamen bonæ fidei codex præferret *inhibetur*, non repugnarem. Vide ad Livium.

Cujus exemplo necessariō metu succurrendum sit] Nisi scripsit *occurrendum.* Nam *occurritur exemplo*, quod prævenitur, ac prohibetur, ne fiat. Cicero act. 1. *Nunc id, quod facimus, ea ratione facimus, ut malitiæ illorum consilio nostro occurramus.*

Cap. XV. *Cincii & Satyri*] *Sinnii*, opinor, *& Santræ* voluerunt docti viri. Recte posterius, & juvant hactenus scripti, ut referant *Satire.* Hujus Santræ *de verborum antiquitate* advocat Nonius Marcellus. Festus quoque sæpius ejus & Sosipater & Scaurus meminere. Sed & *Cincius de verbis priscis* Festo compluries memoratur, & nonnunquam ubi & Sinnii Capitonis meminit. Inventus est tamen, qui Satyros interpretaretur deos nemorum in Latio haud aliter ac Faunos celebratos.

Cap. XVI. *Notatum verbum*] Ante Carrionem, *Notum verbum*, In Regio utraque vox abest: neque illas magnopere requirimus.

Quo signo? quasi non totidem] Sic Jos. Scaliger constituit ex vetustis Gellii exemplaribus, quorum se penes ait esse descriptionem. Prius habebatur: *Cui ego quasi eadem totidem.* Lincoln. & Schef. *Quo signo quas in totidem ea deprecor illam.* Sane τὰ *quas in* mirum non est pro *quasi non* poni. *Totidem ea* subrepsisse videtur pro *totidem mala.* Ut integrum sit:

Quo signo? quasi non totidem mala deprecer illi
Assidue. verum dispeream, nisi amo.

De verbo sic sentio, Compositum valere pro simplici, & *deprecor* nihil hic aliud esse quam *precor*: ut sæpius apud Iustinum. Est autem & *precor* ambiguum, ut non tantum *bonæ* & *piæ preces* sunt, sed etiam *malæ, iratæ, Thyesteæ, Oedipodioniæ.* Cicero in Pisonem: *Neque vero ego, si unquam vobis mala precarer, quod sæpe feci, in quo dii immortales preces meas audiverunt, morbum aut mortem aut cruciatum precarer. Thyestea illa exsecratio est.* Valerius Maximus lib. 4, 3. *pro monstro eam vocem accepit; continuoque Pyrrho & Samnitibus istam sapientiam de-*

deprecatus est. At in istis, quæ hinc componit Gellius, est equidem aliquid notatu dignum, non idem tamen, quod apud Catullum. Nam *deprecari vitam*, *deprecari se*, quæ proprie sunt precari, ut vivere, ut impunito esse liceat, efferuntur istic cum effectu pro eis, quæ sunt salvum præstare ratis & admissis precibus, deprecatione auferre atque eripere periculo. Dein audacior fit translatio, ut solo eventus intuitu, etiam sine illa precum via, *deprecari* sit periculo alicujus intercedere, periculum avertere ac depellere: sic *servitutem deprecari* alicui, *letum deprecari*, *invidiam deprecari*, *odium & crimen deprecari*. i. ab his omnibus liberare, securum atque inoffensum reddere. Et hoc eo modo, quo, quæ propria sunt oris & sententiæ, ad factum significandum converti. Sic *negare* pro non cedere, *revocare* pro referre aut revincire, *jubere*, *consulere*, *statuere*, pro facere, *excusare*, pro purgare rebus & facto ac talia plurima. Sic pro excusare & purgare accipit ipse noster 7, 3. *legatosque Romam miserunt, qui temeritatem quorumdam popularium suorum deprecarentur.* Quod si quis malit *deprecer illam*, ἀντιπλόσει vetusta, vel, ut *bene Messalam sua quisque ad pocula dicat*, & *maledic illam versibus*, facile concedam.

Hic vitam à Sulla] Lincoln. Schef. Excerpta bibliothecæ publicæ: *vitam sit à Sulla.* Legendum: *quam multorum hic vitam est à Sulla deprecatus.* ut apud ipsum Ciceronem habetur cap. 26

Propulsabat invidiam] Rom. & Ven. *propulsabat & defendebat invidiam.* Aldus, Vascos. Gryp. *propulsabat & defensabat injuriam*, quod Scheff. & Lincoln. affirmant.

Item pro A. Licinio] Schef. *paulo cēna.* Lincoln. *paulo cenua.* Scribe *pro A. Cæcina.* nam in ea oratione cap. 11 exstant hæc verba.

Quærens veniam quod & malediceret] Schef. *que res* qui & *malediceret.* Lincol. *quæ res viam q. & maled.* Demonstrant opinor: *Sic igitur Catullus eadem se facere dicit, quæ Lesbiam, qui & malediceret ei palam* &c.

AD LIB. VII.

CAP. I. *Admiranda quædam de P.*] Regius ignorat τὸ *quædam.*

Atque in lecto, cum absente marito cubans sola obdormisset] Editi scriptique *in lecto mulieris*; quod cur truncarint Carrio aut Stephanus, ipsi rationem reddant. Dein Reg. & Rot. *sola*

con-

condormisset, verbo Plautino & minus vulgato: ideo mutandum fuit. Milite 3, 2. *qui libitum est illi condormiscere?* Rudente 2, 7. *da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci.* Sc. *Istic, ubi vis, condormisce.* Mostellaria 2, 2. *Abimus omnes cubitum, condormivimus.* Tum Reg. & Rott. *visum repente esse juxta eam.*

Elapsum evenire nequisse] Scripti editique ante Stephanum, *non quisse.* idque potius interdum visum antiquis monuimus ad Plinium.

Fore ut liberi generentur] Sic Carrio: nec mihi excidit Lucretii, *extra corpus durare genique.* Sed Reg. Rot. & quicquid est nostrum, *gignerentur.*

Mulierem concepisse: concepti fœtus] Reg. & Rot. *mulierem cepisse.* Indicant nimirum: *mulierem cœpisse concepti fœtus signa atque sensum pati.* quod nec fugit Lambecium.

Ædituos ejus templi] Reg. & Rott. *æditumosque.* de quo ipse disputat parum accurate 12, 10. Non enim *æditumus* dictum ut *finitimus, legitimus*, nec ex *æditumus* κατὰ συγκοπὴν extrita litera M factum est *ædituus*, ut volunt Etymologicon scriptores, sed quum esset formatum *ædituus* ab æde tuenda, εὐφωνίας χάριν litera *M* interposita. Id mihi satis probat ipsum Lucretii *ædituentes.*

Id oppidum procul videbatur] Rot. & Reg. *visebatur.*

Cap. II. *Ennium in tertio decimo libro annalium*] Reg. & Rot. *in* XIII *annali cor dixisse.* perinde ut mox in verbis Cæsellii, ubi admisit Carrio.

Versus Ennii duos] Reg. & Rot. *duo.* Recte atque antique. Vide ad Livii lib. 35 cap. 21

Cum pectore dehortatur] Scribendum utrobique *dum pectore de me hortatur*, docuit primus Jacobus Schegkius. Et posteriore loco sic omnino exhibent Regius & Rottendorfianus.

Æqualem cor putat habere me ei] Carrionium est *æqualem.* quasi sensum, quem Cæsellius Ennii esse putavit, non posset exprimere Gellius, nisi & cum Cæsellio solœcismum faceret. Omnes *æquale.* Scribo: *ecquale cor putat habere me? & quam stultum esse credit?* Scribendum esse *&* pro *ei* vidit & Phil. Rubenius.

Ῥαθυμότερον ῥαφῇ *ista verborum*] Sic primus Aldus. MSS. *rathimoteron junctura ista*: alii *rhathimoteron id est junctura ista.* Ro. & Veneta: ῥαθυμότερον *i. desidiosius* ῥαφῇ *i. junctura ista.* Bene opinor Aldus.

Quasi ad cor referatur] Scribe cum melioribus, *referretur.* Schef. *refertur.*

Cap. III. *Quod Tullius Tiro*] Reg. *Quod Tiro Tullius.* Ut hoc ipso

ipso capite : *Tiro autem Tullius M. Ciceronis libertus.* Et inferius : *His argumentis Tiro Tullius.* Et amasse sic cognomen interdum nomini præponere notavimus alibi.

Et operum nobilitate] Schef. *notabilitate.* Reg. & Rot. *nobilitatibus.* Nec justius numero sunt offensi quam apud L. Senecam ad Polybium cap. 36.

Ea Rhodiensis civitas] Scio lib. 9, 13. *Ei Manlio cognomentum factum* Reg. & Rot. *Ea civitas*, absque voce media.

Persa tunc Philippi filio] Reg. & Rot. *Persa tamen.* Recte: nam τὸ *cum* interdum ea vi ponitur, qua *Quamvis*, *Etsi.* Cicero lib. 4. in Verr. *Cum omnia illa victoria sua profana fecisset, tamen religione impeditus non attigit.* Lib. 1 famil. ep. 9. *Qui cum illa sentirent in republica, quæ ego, me tamen non satisfacere Pompejo gaudere se ajebant.*

Bellumque eo illis faciendum] Lincol. & Schef. *eos illis.* Reg. & Rot. & *eo* & *eos* aspernantur.

Intenti infestique erant] Reg. Rot. Schef. *infensique.* Forte, *intenti incensique erant.*

Et in quinto Originum libro scripta est] Scheff. & Lincoln. *Originis.* In Rot. versiculus hic deerat. Reg. *& in quintæ Originis libro scripta est.* Elegantius. nam ut *prima Origo*, sic & *primæ Originis liber* est primus Originum liber.

Quam tum ille reprehendit Catonem] Vetustiores editi, *reprehenderit.* Τὸ *tum* ignorat Schefferianus. Reg. & Rot. *cum ille reprehenderit Catonem.* Recte: nam hæc ipsa causa est, cur impetrabilior apud quosvis venia Gellio sit reprehensi Tironis, quod Tiro Catonem reprehendere non sit veritus.

Rerum gestarum prospere] Reg. & Rot. *rerum prospere gestarum.*

Animum excellere, superbiam atque ferociam] Hoc Carrionis est. Prius, *excellentem atque superbiam.* Rot. & Reg. *animum excellere atque superbiam atque ferociam.*

Quia hæc res tam secunde processit] Antea, *quod hæc res tam secunde processerit.* Reg. Rot. Schef. *quod hæc res tam secunde processit.*

Majore opere edico suadeo] Quid opus τῷ *edico*, cum scripti perinde ut antehac publicati *dico?*

Persa quoque rege victo] Schef. Lincol. Rot. Reg. *Perse.* qua inclinatione utitur sæpius Cato, etsi utraque legitima sit.

Ita uti infra scriptum est] Verbo *est* carent Reg. & Rot.

Non Rhodienses id modo voluere] Reg. & Rot. *noluere.* nempe nos ita depugnare, uti depugnatum est &c.

Quem vererentur & quidquid luberet] Τὸ *&* Carrionis est, scriptis editisque olim ignotum. Scribe: *si nemo esset quem vere-*

rere-

reremur, quodque luberet, faceremus. i. & quod luberet, faceremus.

In servitute nostra essent] Rot. *sunt.* Rot. *nre sunt.* Aliquid latet. Forte: *ne sub solo imperio nostro in servitute justa essent.* id est, plena & mera.

Cogitate quanto nos privatim cautius] Hoc Lipsii est. Romana, Veneta, Ald. Gryp. *quanto nos nostri nativi.* Vascos. vel Ascensii: *quanto nos consternati vi cautius.* quæ & Gryphianæ cujusdam margini allinitur. Reg. & Rot. *quanto nos inter nostri vatim.* Ex quo facillime confit: *quanto nos inter nos privatim.*

Nihil ad eos simul periculi vel emolumenti] Quo illud *simul*? Rot. & Reg. *adeo Sil emolumenti.* Τὸ *sil* quod acceperunt pro *simul* (solet enim hoc sic scribi virgula per literam l ducta) leviter corruptum est, & exstitit ἐπ᾽ *ad eos ut* etiam cum virgula per L ducta, quod significat *vel.* Sic enim scripsit Gellius: *nihil ad eos vel periculi vel emolumenti redundaturum est.*

Propitiandos laudabiliter ac placabiliter] Rot. & Reg. τὸ *laudabiliter ac* non agnoscunt.

Aut fieri jam cœpto differendum est] Scripti omnes *deferendum.* Sed *occurrendum* auctor edidisse videtur.

Quod cum & utiles illi essent & vellent regi, nihil tamen] Duplex hic peccatum Carrionis; & addidit enim aliquid & detraxit, secus atque oportebat. Adjecit, quod nobis obvium nusquam, τὸ *illi*; detraxit *esse factum*, quod ubique. Sic enim edebatur: *quod cum & utiles essent & vellent regi esse factum.* Adeone igitur longe aut vile Terentianum Adelph. 5, 7. *Dii tibi, Demea, bene faxint, cum te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle?* Guidetus ex Donati quibusdam ad hunc locum verbis τὸ *bene* subaudiri ait. Immo, *quicquid* vel *quod optamus.* Hoc est enim *factum alicui velle*, cupere ut eveniant, procedant, rebus & facto contingant, quæ desiderat optatque. Et ominis certioris causa *factum* potius quam *fieri* alicui *velle* dixerunt. Appulejus de Philosophia, ubi de triplici Patonis amore: *Illas vero*, (animas amantium) *facetas & urbanas scilicet animas* (non corpora τῶν ἐρωμένων) *bonorum deamare & studere illis factumque velle; uti quam plurimum potiantur bonis artibus, & meliores præstantioresque reddantur.* Ita legi suadet oratio proxima, cum vulgo sit: *illæ vero facetæ & urbanæ sunt.* Eodem libro infra: *Quare suadendum est fundatoribus rerumpublicarum, ut usque ad id locorum plebes suas taliter augeant, ut ad eundem rectorem noti esse possint, nec sibimet incogniti. sic enim fiet, ut omnes una mente sint invicemque sibi factum velint.* Et hic locus vulgo mire fœdatus, quem sic haberi partim jubent, partim significant scripti. Amat & Symmachus, ad cujus lib. 1 ep. 71 hoc quoque ex Gellio advocat Juretus. Simile

apud

apud Plautum, *Factum volo*, quod est non Comica magis formula, ut ajunt, quam translaticiæ humanitatis. quod est, Cupio tibi fieri, quod vis, & quantum in me est, ut fiat, operam dabo. Asin. 3, 3. *Videbitur. factum volo. redito huc conticinio.* Bacch. 3, 3. *Serva tibi sodalem & mihi filium.* Mn. *Factum volo.* Tam certum hoc tibi jam esse volo ac si factum sit. Vicinum etiam in Andria, *Factum puta.* Subest tamen aliquid vitii, quod leviori ἀφαιρέσει curabitur hoc modo: *quod cum id utile esset & vellent regi esse factum, nihil tamen adjuvandi ejus gratia fecerint. Id* puta, ut adjuvarent regem.

A quibus ante nos non caverimus] Supervacuum τὸ *nos* arguunt Reg. & Rott.

Recte, inquit, hoc vitio dat Lucilius Poëtæ Euripidi] Rot. *Rectèque, inquit.* Bene omnino. Dein Reg. & Rot. *Euripide.* quasi voluerint *Euripidæ* prima declinatione. Sed & uterque: *quod ipse ante de nece ejus consilium cepisset, Meropa fratris uxor hisce ad eum verbis eluserit.* quamquam Rot. m. p. *illuserit.*

Εἰ γάρ σε ἔμελεν] Scribendum: Εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῂς. Et sequenti, ὡς χρόνῳ δηὖθεν παρλῶ, duabus vocibus transpositis, ne versus sit vitiosus.

Quam nisi feceris pati possis] Causalis requiri particula videtur, *quod*, vel *quia*, vel *quoniam*, pro *quam.*

Tantum aberat a po. Romano] Male & hunc locum ἀποδόσεως Carrio: nam meliores cum editis olim: *a populi Romani mansuetudine.*

Ac non viri ejus, qualis fuit] Reg. & Rot. *viri & qui alio fuit.* Fortassis: *ac non viri, si quis alius, gravis, sed vafri, ac fallacioſi & quasi Græcorum sophistarum solertiis.* Infra in contrarium: *Nihil prorsus hac compellatione dici potest neque gravius neque munitius.*

Negavit pœne & ignoſci popoſcit, quia id non] Editiones: *negavit pœne sed ignoſci popoſcit quia*: præter Ascensianam, cui est, *non negavit plene sed ignoſci popoſcit quia.* Lipsius: *nec negavit plene sed ignoſci popoſcit.* Reg. Rot. Schef. Lincoln. *negavit pene sed ignoſci quia.* sine τῷ *popoſcit.* Forte: *nec negat & poſcit ignoſci, quia.* Infra: *interdum, quasi deliquisse eos concedat, ignoſci poſtulat.*

Neque ad veritatem magis quam ad captiones] Scripti *veritatis* aut *veritates.* & hoc quidem optimi.

Et quis tandem est qui noſtrorum] Scripti meliores: *Et quis est tandem qui veſtrorum.* tum *attineat.* & omnes sine τῷ *quemquam.* Lege: *Ecquis est tandem veſtrorum, qui, quod ad seſe attineat, æquum censeat pœnas dari ob eam rem.* Mox: *Ecquæ tandem lex est.* nam vetus scriptura eadem, sive *Et, quis* vel-

lent,

lent, sive *Ecquis*, quæ tamen sensu differunt.

Mille nummis dimidium] MSS. *mille minus*, alii *nummis*. Scribendum: *Mille nummei*, vel, ut olim editum, *Mille nummum, dimidium familiæ, mulcta esto*. Formula in eis adhiberi solita, in quibus, quæ per se peccabat paterfamilias, mille nummis ei luendum erat; si per quem e familia, quinquagenis.

Tantum damni esto] Anglicanus, *tantum damnum esto*. Reg. & Rot. *damna*. Ingerunt scilicet: *tantum damnas esto* SC. apud Frontinum de aquæductibus: *Si quis adversus ea commisisset, in singulas res in dena millia damnas esset*.

Omnia plura habere voluimus] Operarum Stephanicarum errorem credo: nam omnes alii cum scriptis, *Volumus*. quod res postulat.

Rhodiensibus tale erit] Fulvianus, *male erit*. sed non secundant alii. Vir doctus corruptam & mutilam causatus posteriorem hujus ἐπαναλήψεως partem legendum censuit: *nec Rhodiensibus aberit*. Caute, e vestigiis MS. nam in ipso codice τὸ *nec* non reperitur: est autem, ut & in Rot. *tamen*: *Rhodiensibus aberit* vel *taberit*. Unde recte fecit *oberit*. Sed negatio addenda non est, cum sit per interrogationem pronunciatum: *Rhodiensibus oberit &c?*

Voluissent, etsi maxime] Reg. Rot. Schef. cum omnibus ante Henricum editis: *& qui maxime*. Scribe: *quod hostes quidem esse populi Romani voluissent, at cummaxime non fuissent*.

Præcavisse justum est magis quam] Carrioni expungenti τὸ *magis* subserviunt omnes scripti: & genus loquendi satis probatum est.

Non nimis frigide neque sane inaniter] Sic quidem scripti. At editi olim, *non minus frigide sane quam inaniter*. Quam ego quidem Gellii mentem esse censeo, sed verba ut propius absint a veteri scriptura, legerem: *non minus frigide atque sane inaniter*.

Quin omnium sententiarum] Reg. & Rot. *omni sententiarum via*. Sic apud Tullium 4 famil. 13. *certe omnes vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, perveniri posse*. Ad Quintum: *Græci omnes vias pecuniæ norunt*.

De modo agri præfinito] Edebatur *de domino* aut *de dominio*. Scripti meliores *de domo*. Unde ante 80 annos Carrio & Stephanus *de modo*. Itaque sero venit, qui nuper sic corrigendum pronuntiavit. At idem homo bonus numero in Appulejo: *Avus illi modum reliquerat*. nam *modus agri* quid sit & *modicum relinquere*, est unde discas: sed *modum relinquere* quid est? aut unde noscas?

Eas

Eas res contulit seorsum miscuitque cum eo] Schef. *se usum instituitque*. Reg. & Rot. *sensim miscuitque*. Nihil certius. Paullatim enim molliterque ac tacite oratorem eo devenire significat. Lib. 10, 22. *proinde tamen accipienda sunt, quæ dicuntur, ut nos sensim moneri intelligamus.* ut meminerimus tacito nomine de nobismet ipsis fabulam narrari.

Id solum summa ope nititur] Scripti publicatique antehac, *ex summa*. Et a Plauto sumptum. Milite 3, 1. *Eaque expetere te ex opibus summis mei honoris gratia.* Mercatore 1, 2. *Ex summis opibus viribusque usque experire, annitere.* Symmachus lib. 7 epist. 128. *Amor in te meus ex summis opibus annititur, ut in dies singulos bonorum tibi cultus accedat.* ex restitutione Gasp. Scioppii.

Quod mihi a liberis meis dici minime velim] Cur *a liberis* potissimum? Majore vi diceret, *a libertis meis*. nedum scilicet a civibus. Sed Regius & Scheff. & olim editi, *e liberis*: idem Reg. caret τῷ *dici*, quo nec opus est, cum intelligatur *objectari*. Lambecius igitur, *quod mihi & liberis meis minime velim.*

Distincte nimis nimisque compte] Sic Carrio & Stephanus. Priores, *distincte nimis ac compte*, ut & Scheff. Sed Regius & Rott. *distincte nimis atque compte atque modulate.* Τὸ *atque* sic iterare ab ipso Catone didicit. Sic hoc libro cap. 19. *Pulcrum atque liberale atque magnanimum factum* Ti. *Gracchi.*

Nunc tanquam si innocenter purgaret] Scripti cum prius editis, *purgat*. Lege, *nunc, tanquam sint innocentes, purgat*, ut est omnino in Rot.

Numerosiusque ac comptius fortassean dici potuerunt] Bene Carrio *fortassean*: sic enim & scripti omnes: sed iidem etiam *potuerint*: relegantque τὸ *ac comptus.*

Quibus Tullio Tironi respondi modo, existimabit] Reg. & Rot. *respondimus, existimabit.*

Cap. IV. *Sed oculis jam perciperent*] Reg. & Rot. *præciperent.* puta ante legem venditionis expositam.

Coronis inducta venibant] Immo *induta*, ut scripti cum editis. Persius: *& illum Hesterni capite induto subiere Quirites.*

Est autem alia rationis hujus opinio] Nusquam in MSS. τῆς *hujus*. Lege: *Est autem aliæ rationis opinio.* nam & sic solet πλανλίζειν. Lib. 9, 4. *nulli aliæ causæ obnoxia.*

Quod supra dixi, Cato quoque in libro] Reg. & Rot. addunt prænomen, *M. Cato.*

Cap. V. *Eum luctum cum satis visus est eluxisse*] Reg. & Rot. τὸ *est* inducunt.

Qui per vim exstinctus] Horum quatuor vocabulorum nec

vola nec vestigium in scriptis est, sed tantummodo : *interitum ejus existimatur.* Forte : *commiserearturque interitum ejus existimatum.* hoc est, falso creditum.

Dolor accitus est] Operarum mendum in Stephanica putabam : sed video sic exaratum esse & in codice Schefferi. Priores, *actitatus est.* Reg. & Rot. *actus est*, ut conjecit Thysius.

Cap. VI. *Quos Græci* ὄψιν, ἀκοὴν, γῦπιν, ἀφὴν, ὄσφρησιν *appellant*] Sic Stephanus, cum esset : *quos Græci* αἰσθήσεις, ὄψιν ἀκοὴν &c. Scheff. *quos Græci* αἰσθήσεις *appellant*, nihil præterea. Reg. *quas Græci* αἰσθήσεις *appellant.* Rot. *quas Græci aistheseis appellant.* Vbi τὸ *quas* plane pro Gelliano habeo : nam cum utrovis modo loqui liceat, elegantiores tamen consequenti respondere pronomen quam antecedenti malunt.

Inora inauritave] Nonius Marcellus : *Inauditum, quod non audiat, in veteribus prudentibus lectum est : quædam animalium aliud alio carent, & a natura gignuntur aut inodora aut inaudita.* Vbi Ios. Mercerus non dubitat, quin *veteres* isti *prudentes* sint ipse Gellius, & in hoc inde restituendum : *aut inodora aut inaudita.* Quod admodum probabile est. Atque adeo etiam *inodora* conjecit Badius Ascensius.

Nullum autem gigni animal] Reg. & Schefferi : *Nullum autem ullum gigni.* Videntur velle : *Nullum autem unum gigni animal.*

Cap. VII. *In Plauti Cistellaria*] Potius *Clitellaria*, ut jam viderunt, qui fragmenta fabularum Plauti amissarum collegerunt.

Aliorum est affatim &c. Me volo] Optimi : *Aliorum affatim est, qui faciant. sane ego Me nolo fortem.* Est enim sermo hominis, qui non metuit timidus vocari.

Sed hanc particulam, ad, cum intentionem] Superiores editi : *sed hanc particulam, ad, semper cum intentionem.* Carrio vel Stephanus omiserunt τὸ *semper.* At scripti hoc retinent, negligunt autem τὸ *ad* : optimi etiam interponunt τὸ *si*, hoc modo : *Sed si hanc particulam semper, cum intentionem significaret, acui putavit ; non id perpetuum videtur.*

Ibi denique vir summus] Reg. *ibid'que.* Rot. *ibidemque.* Conabar etiam aliquando *summis* : ut esset, summis proximus vel apud summos longe primus.

Cap. VIII. *Amatores flagrantissimi quidam delphinorum*] Rom. Ven. Gryp. *flagrantissimi delphinorum quidam.* Ascens. *amatores flagrantissimi delphini cogniti.* Etiam Aldus caret τὸ *quidam*, ut & omnes, quibus utimur, scripti. Censeo, reponas : *amatores flagrantissimi delphinorum cogniti compertique sunt.*

Καὶ αὐτὸς δ' οὖν εἶδον] Hæc in Schefferi membranis rubrica notata sic sonant : Αὐλὸς δ' οὖν εἶδον ἐπὶ Διηγιαρχαίας Ταλαιδ-

ἐπιγρ-

ἐκαλεῖτο ποτ' εἰσεπτοημένον δελφῖνα πρὸς παιδικὴν ψυχὴν πτερούμενος ἐντὸς τάστε ἀκάνθας περιστέλλων ἵνα μὴ τῆς ποθουμένου χρωτὸς ἀμύξη φειδόμενος ἱππηδὸν περιβεβηκότα μέχρι διακοσίων ἀνῆγε σταδίων. ἐξεχεῖτο δὴ οὖν Ρώμη καὶ πᾶσα Ιταλία τῆς Αφροδίτης ξυνορῶντες νεοχούμενον ἰχθύν. Vbi ſunt quædam vulgatis elegantiora & quæ ad rem pertinere videntur; etſi quædam etiam deſiderentur. Itaque vide an ex utriſque ſic poſſit inſtaurari locus: Καὶ αὐτὸς δ' οὖν εἶδον ἐρῶντα παιδὸς (Υάκινθος ἐκαλεῖτο) καὶ ἐξεπτοημένον δελφῖνα πρὸς παιδικὴν φωνήν. Ατὰρ οὖν καὶ προσνηχόμενος ὁ ἰχθὺς ἀνεδέχετο τὴν παῖδα ἐπὶ τῶν νώτων πτερούμενός τε καὶ τὰς ἀκάνθας περιστέλλων, ἵνα μὴ τῆς ποθουμένου χρωτὸς ἀμύξειε φειδόμενος, ἱππηδὸν ἐπιβεβηκότα μέχρι διακοσίων ἀνῆγε σταδίων. Εξεχεῖτο δὴ ἄρα Ρώμη καὶ πᾶσα ἡ Ιταλία τῆς Αφροδίτης ξυνορῶντες νεοχούμενον ἰχθύν. Quis non videt exquiſitius eſſe Ρώμη καὶ πᾶσα ἡ Ιταλία ξυνορῶντες quam θεάσασθαι? Ælianus de animal. 6, 49. Ο δῆμος οὖν μαθόντες ταῦτα. LXX Deut. 21. Καὶ καταβιβάσουσιν ἡ γερουσία τῆς πόλεως ἐκείνης δάμαλιν. Cap. 22. Καὶ ἐρῶσιν ἡ γενεὰ ἑτέρα. Tum melius eſt, νεοχούμενον *vectorem pueri*, quam νηχόμενον; τῆς ἀφροδίτης (puta ἕνεκα) quam ὑπ' ἔρωτος;

Ad hæc adjicit rem non minus mirandain] Omnes ſcripti, *Ad hoc*. meliores etiam carent negandi particula, quæ tamen neceſſaria eſt. Forte: *Ad hoc adjicit non minus mirandum*. vel *miranda*.

Ille puer delphino amœnus] E Fulviano notant *amatus*. Rot. *delfineromenos*. Reg. *delphineromenos*. ut monere occupavit Salmaſius in Addendis ad Solinum. Ερώμενος & Ερωμένη, deliciæ. Diomedes lib. 1. *Amicus, amicarius*, ἐρωμενοπάροχος, ἐρωμενοπώλης, ἐρωμεναγοραστής. Adelphino ſimiliter lib. 6, cap. 15. A cane, a graculo lib. 1 cap. 6. ab aſpide lib. 4, 54 de animal. ab anſere lib. 5, 29 pueros amatos refert Ælianus.

Cap. IX. *Popoſci & momordi*] Reg. *Pepoſci & memordi*, *pepugi*, *ſpepondi & cecurri*. prorſus ut editi ante Stephanum, niſi quod *occecurri*.

Doctiores hujuscemodi verbis utuntur] Omnes ſcripti *hujuſce* ſine τῷ *modi*. Lege: *atque ita nunc omnes ferme doctiores hiſce verbis utuntur*.

At ſi me canis memorderit] Non aliter apud Nonium legitur, qui deſcripſit hæc in *Memordi*. niſi quod ibi membranæ antiquiſſimæ, *ut ſi*. Reg. & Rot. *ac ſi me canis*.

Tribunus plebei perduellionis ei diem dixit] Reg. & Rot. *tribunus plebi perduellionem ei diem dicit*. Scheff. *tr. plebis perduellionem ei dum dicit*. Sed & editi omnes uſque ad Stephanum, *perduellionem*, haud dubium argumentum hæc aliquid monſtri alere. Quod illud? Suſpicor auctori fuiſſe: *Licinius tribunus plebi perduellionem ei judicavit*, & *comitiis diem*. Neque enim ſolus, opinor, Livius dixit lib. 1. *P. Horati*, *tibi perduellionem judico*. Sed & ſcripti, *a M. Marcio*.

Libro historiarum XII] Reg. & Rot. *XXII.*

Ratio autem dictionum] Scripti, ut & editi ante Stephanum: *Ratio autem istarum dictionum.*

Aquila ita, uti prædicant] Rursum scripti & editi: *ut hi prædicant.* nempe poetæ.

Cap. X. *Vsucapio &c. eadem vocabuli forma dictum est*] Schef. *Vsucapio.* Regius, *dictum esse.* Lego: *Vt usucapio & copulate & recto vocabuli casu dicitur, ita pignoriscapio conjuncte & eadem vocabuli forma dictum esse.* Cur enim *ususcapionem* diceret, quæ est *usucapio*? Et comparatio est in eo, quod utraque vox est composita, utraque recto casu similiter exit. Sed & in principio capitis Regius: *Vt hæc usucapio.*

Iunctæ sunt partes & productæ dicebatur] Sic Stephanus. Olim, *productæ dicebantur.* Scripti nullas hic ferunt *partes.* Fortasse: *ita pignoriscapio junctæ A productæ dicebatur.* Vt antea, *A litera in eo tractim pronunciata.*

Cap. XI. *Proinde quasi lenitatem*] At *lenitas* in vitio non est. Sed quia leves ait dictos, qui vulgo viles appellantur, credibile est etiam levitati comparasse *vilitatem*, ut censuerunt olim scribendum Chr. Colerus & Guil. Ranchinus.

Ασωτον ἢ ἀκόλαστον ἢ ἀχρεῖον ἢ ἄχρηστον ἢ πονηρότερον ἢ μιαρὸν *dicunt*] Scheff. *quod genus Græci fere* ἄσωτον ἀκόλαστον *dicunt.* Regius: *quod genus Græci fere* ἄσωτον *vel* ἀκόλαστον *dicunt.* Nihil amplius.

Ne in libris nimis remotis quærat] Parum interest, sed scripti consensu: *ne in libris nimium remotis.*

Hæc & alia ejusmodi] Optimi, *Hæc aliaque ejusdemmodi.*

Ista dedecora hoc vitio] Possis dubitare, annon scripserit, *hoc convicio.*

Omnem se amorem abjeciisse illim] Et hoc Carrionium. Apud Ciceronem editur *illinc.* Scripti omnes Gellii, *illi.* Verum puto, quod ab Romana usque ad Stephanicam obtinuit: *omnem se amorem abjeciisse illius.*

Vt ex non & volo nolo fit] Sic habetur & apud Varronem lib. 9 extremo. At quos cummaxime versamus, scripti omnes: *Vt ex non & ex volo nolo fit.*

Instrumentum fundi in censum dedicavisti] Hinc restituendus notabilis locus Varronis lib. 4 de L. L. *Ædes ab aditu, quod plano pede adibant. Itaque ex ædibus efferri indictivo funere præco etiam eos dicit, qui e tabernis efferuntur, & omnes in censu villas inde dicimus ædes.* Dion. Gothofredus notavit in V. fuisse *inde dicamus*, uti edidit Gas. Scioppius. Dionysius allevit; Id est, consecramus, unde dicatio. At tu mihi crede Varronem scripsisse: *& omnes in censu villas dedicamus ædes.* nam τῶν in-

de

de quis ibi locus? *Dedicamus* idem quod *deferimus*, de quo in Pecunia Veteri. Cicero pro Flacco : *At hæc prædia etiam in censu dedicavisti.* Sive mavis *in censum.*

Perdidisti atque absumpsisti in flagitiis] In Rot. video, *perdidisti atque sumpsisti in flagitiis.* Nec spernere ausim vel ob Plauti Mil. 3, 1. *In mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est. In bono hospite atque amico quæstus est, quod sumitur. Et quod in rebus divinis sumas, sapienti lucro est.* Atque adeo quia & superiore membro eædem membranæ, *majorem pecuniam ab insumpsisti*, suspicor & τὸ *ab* & τὸ *in* esse insiticia, & ibi quoque scribendum : *in uno scorto majorem pecuniam sumpsisti.*

Cap. XII. *Vestem longe lateque diffusam decorem*] Sic Stephanica, quam secutæ *decoram.* MS. Schefferi Ro. Ven. Vasc. Gryp. editiones, *indecorem.* unde Lud. Aurelius conjecit, *ut decoram.* Rot. *diffusam incedere.* Reg. Lincoln. Aldina *indecere.* Lego : *fœminisque solis vestem longam lateque diffusam decere existimaverunt.* Causa mali nescisse librarios aut non meminisse Plautina in Amphitr. *Ornatum capiam, qui potis decet* : & , *Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.* Noster 9, 5. *arrogantius & elatius quam ætati ejus decebat.*

Qui adolescentulus cum amatore] Lego *adolescentulo*, inquit Gonsalius ad Petronium. Immo ipsum Sulpicium Gallum, olim adolescentulum, cum amatore, non opinor adolescentulo, sed cum robusto aliquo pædicone jacuisse, atque ab illa detestabili consuetudine, quamvis grandiorem, exsuere mollitiem non quisse significat.

Cum chiridota tunica inferior accubuerit] Hæc verba vir doctus ad Appuleji Apologiam, ut ipse loquitur, aliquantillum emendans & glossemate expurgans fere ad hanc faciem componenda putat : *qui in conviviis adolescentulus cum amatore in chiridota accubuerit* : & operam neque se neque lectorem hic lusisse sperat deprehensurum, quisquis locum inspexerit. Et opinio & spes hominem mire frustrata est. Thracii enim potius rustici sic grassari, quam boni vinitoris. Si *chiridota* appellata otiosum est addere *tunica*, quî patimur Tullium 2 Catilin. dicere, *manicatis & talaribus tunicis*? quare Plautum, *Manuleatam tunicam habere hominem addecet*? Si *in tunica* melius est quam *cum tunica*, cur Cicero in Bruto : *sacrificium publicum cum læna faceret*? cur auctor ad Herennium : *Venit iste cum sago, gladio succinctus*? Quantum autem demat sententiæ, qui tollit τὸ *inferior*, nulla re alia opus est, quam ut intelligas, quid sit *inferiorem accumbere.* de quo Salmasius ad Solinum p. 1295.

Cap. XIV. *Nominaque eis fecerunt apponi ἀδέσν*] Quis non offendatur hic τῶ *apponi* ? Henr. Stephanus conjecit *apposita*,

Regius codex & vulneris occasionem & remedium monstrat. Sic enim scriptum habet : *nominaque his fecerunt apponiχnon mecon.* ubi vides desiderari primam vocem Græcam, duas alias partim Latinis literis exaratas ; atque τὸ *appon* factum esse pro ipso ἁδρὸν. nam quæ vulgo vocalis ei adhæret, sequentis vocis ἰσχνὸν principium est. Tuto igitur refingas licet: *nominaque eis fecerunt* ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Statim idem Regius : *Nos quoque quem.*

Squallentes & jejuni dicti pro uberibus] Rot. Lincol. Scheff. *dici.* Sed potius neutro est opus, & ita dictant membranæ Regiæ : *squallentes & jejuni pro uberibus.*

Vti mulctam remitterent quam fecerant propter] Regius, *quam feceratis.* Repone : *quam fecerant iis.* id est, injunxerant. Lib. 11, 1. Cato : *Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei mulctam facit* Et ita se legisse satis indicat, qui sublegit hoc, Macrobius lib. 1 Saturn. 5. *quos Athenienses quondam ad senatum legaverunt impetratum, uti mulctam remitteret, quam civitati eorum fecerat propter Oropi vastationem.*

Interprete usi sunt Cæcilio] C. *Acilio* fecit auctore Plutarcho Lipsius 2 Elect. 3. Et significat Regius exhibendo *Cacilio.*

Ante ipsi seorsum quoque quisque] Τὸ *quoque* nobis in scriptorum nemine apparuit.

Cap. XV. *Furti damnatum esse*] Applaudant alii τῷ *damnatem* Scaligeri. Mihi non videntur hoc ferre, quæ præcedunt, *acria & severa judicia de furtis habita esse. Damnatus* igitur judicio & rebus, qui fecerat ; non *damnas* solum declaratus lege dicitur, si quis faceret.

Cap. XVI. *Grues Melicæ*] Aves *Melicas* Latio Mediam pascere cecinit olim Lutetiæ Fruterius, ut tradit Scioppius 3 Verisim. 8. sed gallinas puto ex Varrone de re rust. 3, 9. Ερίφον ἐκ Μήλου inter τὰ εὐδόκιμα ἐδεσμάτων refert Pollux 6, 10. Rot. *Mellicæ.* Schef. *Melite.* Et est, qui in fertili ac vicina Cosyræ Melita grues has quærat. An invenerit dubium. rara enim cogitationibus hominis fides.

Scari Cilices] An ex Petronio, ubi *Siculo Scarus æquore mersus*, corrigendus sit Gellius, quærit Pricæus ad Apologiam Appuleji. Parum autem abest, quin ipse sibi responsarit, cum addit ex Archelao σκάρον ἐν παράλῳ Καρχηδόνι τὴν μέγαν.

In succos insuetos inquirentis] Gebhardus, qua in MS. deerat τὸ *in*, tentat : *& succos insuetos anquirentis* 1 Ant. Lect. 15. At nostri omnes præpositionem retinent, non omnes τὸ *insuetos.*

Cap. XVII. *Tam linguæ Latinæ ignarus est, qui nesciat*] Scripti omnes, *quin sciat.* Et hoc videtur commodius.

Noceri potest ei, qui habeat] Scribe omnino : *incommodari & noceri potest ; & qui habeat aliquem noxæ, id est, culpæ suæ* con-

conſcium: quod & vidit Acidalius ad Stichum Plauti.

Et cætera, inquam, vir doctiſſime & graviora remotioraque] Optimi: *Et quæ cætera, inquam, vir doctiſſime, remotiora graviora que ſi diſcere & ſcire debuero.* Nec ſupervacuum vel *ſi* vel *quæ*. Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, *& ſi quæ cætera.*

Quia dixi ſæpe Obnoxius & quid dicerem neſcivi] Rot. *quî dicerem.*

Vt res eſt, Plautus homo linguæ] Reg. & Rot. *ut res eſt, Plautus quoque homo linguæ.*

Videtur vobis pervulgatius eſſe] Rot. *nobis pervulgatiusque eſſe.* Significat quod edit Regius: *videtur notius pervulgatiuſque eſſe*, Lambecio jam notatum.

A tua ſententia diverſe his verſibus] Reg. & Rot. *diverſe in his verſibus.* Vt paullo poſt quoque loquitur.

Aliæ res obnoxiæ] Acidalius cum conjecit *obnoxioſæ*, acu rem tetigit. Sic enim prorſus in Regio & Rot. legitur. Idem vero *obnoxium* & *obnoxioſum*, ut *ridiculum* & *ridiculoſum.*

Significationem quoque ejus varietatemque recenſere] Rot. *veritatemque.*

CAP. XVIII. *Argumentum eſſe poteſt. Prælio Cannenſi*] Lincoln. & Scheff. *Cannenſe.* Reg. & Rot. *prælium Cannenſe.* Probabile igitur voluiſſe auctorem: *& hoc quod dicemus, ei rei non tenue argumentum eſt. Poſt prælium Cannenſe Hannibal.* quod animadvertit etiam Lambecius.

Dari argenti pondo libram S.] Olim *darent argenti pondo ſcilicet & ſelibram.* Stephanus jactat in ſua editione particulam *ſcilicet* librorum veterum auctoritate omiſſam. Verum hoc deprehendimus. Sed *darent*, ait, retineri potuit. Et debuit noſtris quidem auctoribus, in quibus conſtanter: *darent argenti pondo libram & ſelibram.* De *libra S.* vix auſim contradicere Carrioni, etſi non faveant illi membranæ. Sunt nummi ſexcenti, denarii centum quinquaginta. Lipſius non ultra *pondo libram* vult, tria ſequentia vocabula ὑποβολιμαῖα ratus 1 Elect. 25. Ante Cannenſe prælium *convenerat inter duces Romanum Pœnumque, ut quæ pars plus reciperet, quam daret, argenti pondo bina & ſelibras in militem præſtaret*, teſte Livio. Conſentit Plutarchus: εἰ δὲ πλείους οἱ ἕτεροι γένοιντο, διδόναι δραχμὰς ὑπὲρ ἑκάστου τῶν κομιζομένων πεντήκοντα καὶ διακοσίας. De hac aliquid Hannibalem ſumma remiſiſſe poſt victoriam ad Cannas & viliori licuiſſe, quibus abundabat, captivos mirum non eſt. Livius tamen auget pretium, qui narrat equiti eum ſtatuiſſe quingentos, peditì trecentos, ſervo centum quadrigatos nummos.

Hos priuſquam proficiſcerentur, jurjurandum adegit] Et hic potuiſſe retineri *jurejurando adegit* cenſet Henricus. Potuit, ſed

non debuit, quia illud in ſcriptis, & multo ſolennius. Nec potuit autem nec debuit ſubſtitui, quod ille ſuſpicatur, *ad jusjurandum adegit*, quia vix Latinum eſt. Sed præterea ſcripti omnes: *Hoc priuſquam proficiſcerentur iusjurandum eos adegit.* Quid dicemus? Num *hoc jusjurandum* eſt hac formula jusjurandum? An faciendum, *Hos*, ut ſit pleonaſmus, qualium exempla damus 1 Obſerv. 23 extremo? Aũ denique, *Huc priuſquam proficiſcerentur*?

Contempti vulgo diſpretique ſunt] Exſultat in hac lectione Stephanus. Sed Lipſii conjectura eſt. Omnes ſcripti & editi antehac, *diſcerptique*. quod ille falſum pronuntiat. Certe, ſi intelligas, manibus: at quid ſi oratione, ſenſu, judiciis, ſannis, ſibilis? Falſum, eodem modo ſi accipias, quod Vellejus lib. 2. *tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium.* Quid cum Cicero pro domo: *uxor mea, quam vexaviſtis, raptaviſtis, omni crudelitate laceraviſtis?* Cælius ad Ciceronem: *Quod dixi Curionem frigere, jam calet: nam ferventiſſime concerpitur.* Sic in diverſam partem *diripi* dicitur, quem omnes appetunt prenſantque, ut ad L. Senecam monuimus.

Quod facturos dictitaverant] Priores, *quod ſe facturos*. Omiſſum pronomen veterum librorum auctoritate ait Stephanus. Recte: ſed præterea Fulv. *pejuraverant*. Rot. *quod facturos degeraverant*. Regius: *quod facturos dejeraverant*. Sic igitur emenda. Lib. 11. 6. *In veteribus ſcriptis neque mulieres Romanæ per Herculem dejerant neque viri per Caſtorem.*

Cap. XIX. *Omnibus accitis &c. irrogarit prædesque ob eam*] Scripti perinde ut olim editi: *hominibus*, ut in interdicto apud Ciceronem pro Cæcina: *hominibus coactis armatisque.* Dein iidem omnes: *irrogaverit prædesque eum ob eam rem.*

De ea re noſtrum ſententia omnium data eſt] Reg. Fulv. Rot. *ſententia omnium ea eſt.*

Prædes non dantem prehendi] Reg. & Rot. *prendi.*

Hoſtium duces in carcerem conjectaverit] Reg. & Rot. *conjectarit.*

Ob Antiochenam pecuniam] Reg. & Rot. *Antiochiam.* Sic Cicero de Academicis ſuis quædam vocat Ἀντιόχεια lib. 13 ad Atticum ep. 12. & *Antiochios*, qui ſectam Antiochi philoſophi ſequerentur, 4 Academ.

Cap. XX. *Ad aures ſit, quam Nola, Ora*] An non etiam ad aures ſuavius eſt, *ad aures ſit Ora quam Nola?* Sic enim Reg. & Rot.

Quæ appareat novata eſſe, non fortuita] Reg. Fulv. Rot. *navata.* id eſt, conſulto & de induſtria poſita.

Cap. XXII. *In tam immodicum luxuriaſſet exuberaſſetque*] Sic Car-

Carrio & Stephanus: sed scripti & editi, *in tam immodicum modum.* Quod tenendum mordicus, quando a Catone Prisco id accepit noster. Sic ille: *ne Romani Perse quoque rege victo, ad superbiam ferociamque & immodicum modum insolescerent. Exuberasset* (si tamen id tentare licet) neque delendum neque *exsuperasset* faciendum, sed forte *extuberasset.* Plinius lib. 19, 2. *nec utique extuberante loco, ubi gignuntur aut rimas agente.* Lib. 21, 16. *Helxine rara visu est, neque in omnibus terris. a radice foliosa. ex sativa media veluti malum extuberat, contectum sua fronde.* Sic membranaceus Vossianus. Lib. 37, 12 de gemmis: *Cavæ aut extuberantes gemmæ viliores videntur æqualibus.* Sed cur mutemus vulgatum, quod a Virgilio sumpsisse auctor videtur lib. 1 Georg. *At si luxuria foliorum exuberat umbra.* Verbis sacris, ἐλιπάνθη, ἐπαχύνθη, ἐπαλαίνθη, *luxuriavit & uberavit.*

AD LIB. VIII.

CAP. XV. *Ignominiatus tractatusque*] Stephanus conjicit, *Quibus modis ignominiæ tractatus.* vel, *Quam ignominiose tractatus.* Alii, *ignominia notatus & taxatus.* Sed *ignominiatus*, quin ipsius auctoris sit, & quidem ab aliquo vetustiorum, quo caremus, acceptum, nullus dubito. *Tractari* vero eadem significatione defendimus Plauto Milite a. 2 sc. 6. *Meamne hic in via hospitam Tractatam & ludificatam, ingenuam & liberam.*

AD LIB. IX.

CAP. I. *Mittas, hoc interest. nam neutrum*] Non bene videntur jungi τὸ *hoc* & τὸ *nam.* Si prius placet, sufficere videtur: *deorsum an sursum mittas, hoc interest. neutrum potest deorsum versum recte mitti.* Sin posterius, & sit, *deorsum an sursum mittas, interest. nam neutrum potest deorsum versum recte mitti*, nihil requiras.

Hostis defendebant facillime] Regius & Vossianus adjiciunt vocabulum *funditore.* Ex qua scriptura in Badiana Vascosani fecerunt *funditores.* Sed non de his solis Claudius. Forte: *a pinnis hostis defendebant facillime fundis & arcu.*

De omni fere missili telo] Postremam vocem Giselini abfuisse codici notat Lipsius 5 epist. q. 8. At non abest Regio, Petavianis, Vossiano, aliis. Et Virgilius 10 Æneid. *telum quod mis-*

sile libro. Livius lib. 30. *telorum maxime missilium vis ingens congeritur.*

Præcipitantia ipsa & pondere] Vossianus, *præcipitantia lucumque ipsa.* Regius, *præcipitanti aliicunque ipsa.* Forte: *præcipitantia plerumque ipsa & pondere cadentis teli opprimitur.*

Manum & oculos conlinees] Ita scribendum, non *conlines*, quod nuper invasit: non *conlimes* aut *connives*, ut olim vulgo. nam scripti meliores *conlinies* aut *collinies*, ut monuit primus Lipsius. Dicitur autem à *linea.* Cicero lib. 3 de finibus. *Ut enim si cui sit propositum collineare hastam aliquo aut sagittam.* Et, *facere omnia, quæ possit, ut collineet.* Ita & Victorius & Manutius e vett. scriptis. Lib. 2 de divin. *Quis est enim, qui totam diem jaculans non aliquando collineet?* Triplex in his usus verbi. *Collineare hastam*, dirigere ac mittere ex destinatione & arte. *Collineare*, aliquando scopum attingere ac ferire. *Collineare manum & oculos*, intendere ad mittendum certius & felicius. Στοχάζεσθαι σκοποῦ, Græci. Ælianus lib. 8 de animal 10. οἱ μὲν ἄνθρωποι δόρατα ἰσχυρὰ λόγχαις ἀφιᾶσι στοχαζόμενοι αὐτῶν. Ita legendum. Vulgo λόγχας. Gesnerus, καὶ λόγχας.

Quod autem ait idem] Reg. Petav. Voss. Lincol. Schef. exterminant τὸ *autem.*

Significat ἐμποδὼν ἔχειν *alterum*] Omnes item nostri: ἐμποδὼν ἔχειν, *id est, incurrere aliquid & incidere, alterum* ἐκποδὼν ποιεῖσθαι (quidam, ποιεῖν) *id est, avertere atque depellere*: ut Vict. Giselini codex apud Lipsium.

Cap. II. *Æs sibi dari* εἰς ἄρτους *id est, ad panes emendos scilicet*] Sic Romana & Veneta. Aldus, & ab eo Vascos. & Gryph. εἰς ἄρτους *emendos scilicet.* Hic quoque duo postrema vocabula jussu codicis sui delevit Lipsius 3 epist. q. 6. Subscribunt omnes nostri. Vossianus, *dari ei capto ic tum Herodes.* Vides illud εἰς ἄρτους Latinis literis deformatum. Cicero in Verrem: *Solere ajunt barbaros reges Persarum ac Syrorum plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: Civitas hæc mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum, hæc in crines.* Herodotus lib. 2. Τούτεων ἡ μὲν Ἀνθύλλα ἐοῦσα λογίμη πόλις εἰς ὑποδήματα ἐξαίρετος δίδοται τῇ ἀεὶ βασιλεύοντος Αἰγύπτου τῇ γυναικί. Athenæus lib. 1 de eadem: ἧς τοὺς φόρους οἱ τότε βασιλεῖς Αἰγύπτιοι τε καὶ Πέρσαι ταῖς γαμεταῖς ἐδίδοσαν εἰς ζώνας. Quibus tamen non commoveor, ut quod apud Athenæum est lib. 8 cap. 10 dictum Stratonici, παρὰ Μουσῶν ἔφη εἰληφέναι τέλος τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας, παρ' ὧν πράττεσθαι μισθὸν ἀμουσίας, corrigere velim cum ingenti viro Casaubono, tanquam magna lux tenebricoso loco accedat, si scribatur εἰληφέναι εἰς τέλος. Contra ut multo suavius Latine dicitur *accepisse Græcos vectigal* κατ' ἐπεξήγησιν quam *in vectigal* aut *ad vectigal*, ita & Græce εἰληφέναι τέλος τοὺς Ἕλληνας quam εἰς τέλος.

Ovi-

Ovidius: *Ars illi sua census erat.* Ælianus de animal. 9, 7. Καὶ ὁ Ἡ Μενάνδρε Θήρων μέγα φρονεῖ, ὅτι ῥινῶν τὰς ἀνθρώπους φατνίοις αὐτὰς ἐκείνας εἶχε.

Tum Herodes interrogat] Regius, *capto Hic tum Herodes.* Sed illud *Hic* enatum esse ex duabus postremis literis Τάρλις, altera corrupta, cum scriberetur APTOIC, potes meminisse Vossiani codicis ex scriptura, quam dedimus. Deinde omnes scripti & editi ante Carrionem: *quisnam esset.*

Interibi quum aliquot &c. dicerent & nullius rei] Quicquid est scriptorum & olim editorum sine τῷ *quum*, item *dicere*, non *dicerent.* Quibuscum profecto & Stephano & Carrione sepositio legimus: *Interibi aliquot ex iis, qui cum Herode erant, erraticum esse hominem dicere.* At *nulli rei*, quod primus Lipsius prompsit, Reg. Pet. Voss. Lincol. certatim confirmant. Ut &, *Atque ibi Herodes*, e quibus τὸ *Atque* Carrio & Stephanus male sustulerunt.

Cuiusmodi est] Rad. Fornerius 2 Quotid. rer. 2, recte sibi videri ait legi, *cujuscujusmodi est*: quamquam sit in editione Stephani, *cuicuimodi est.* Tanto vilius istud alterum. Debuit enim scire vir optimus, τὸ *cuicuimodi* non temere inoleviss̃e, sed deberi membranis & veterum auctorisque nostri mori, & Lipsio, cum Reg. Putav. Voss. faciunt secundas.

Animalia spurca atque probra] Sic Rom. Ven. Ald. Gryph. Badiana Vascosani *probrosa*: unde Lipsio alterum revocandi occasio, &, Vide, inquit, ne veteres ita dixerint. Visum aliis *probra* dici hos homines, ut *scelus* Terentius hominem sceleștum appellat. Quod facilius tolerarem, si tantum probra dicerentur, nec præponeretur *animalia spurca atque.* Quare suspicor aliquid aliud latere, ac fortasse, *animalia spurca atque inebra.* Id est, inauspicata, mali ominis, quæ obvia viri boni vota & consilium impediant. Festus: *inebræ aves, quæ in auguriis aliquid fieri prohibent: & prorsus omnia inebra appellant, quæ tardant & morantur agentem.* Propius literis foret *proebra* ejusdem originis, si eo significatu valeret: sed id amuletum Varro & Festus interpretantur. Quid si tamen *animalia spurca ac reproba.* Neque enim adeo distat a Tertulliani seculo Gellius, ut qua ille voce utitur, hic uti non potuerit. Is autem dixit in Apologet. *sanguinem reprobi bovis mori optantis*, palam irridens probationem victimarum. Sic *reprobum animal* foret, quod Varroni *rejiculum.*

Cap. III. *Amyntæ filius terræ Macedoniæ rex, cujus virtute industriaque Macedones*] Scaliger Ausonianarum 2, 3, ex veteri scriptura, ut ait, omittit τὸ *filius*, mutatque *terræ Macetiæ*, dein *Macetæ.* Cautior & pudentior Lipsius 3 epist. q. 6,

Scidæ,

Scidæ, inquit, *Macet* : & id tu, Scaliger, nos docuisti. Quasi diceret, quæ ultra molitur ὁ πάνυ, non habere se pro docendis. Et certe vir in omnibus vehemens scalmo reperto navigium se reperisse prætulit, nam *Macetæ* apud me quoque duo Petav. duo Voss. Lincoln. & Regius. omnes *terræ Macedoniæ* & *Amyntæ filius*: etsi aliquid huic postremo simile Tito Livio 28, 12, restituerimus. Sed in his arbitrariis consensui priscarum manuum, non libidini, parendum. Juxta νεανικὸν est Hen. Stephani, mirum sibi videri, cur non, sicut *Macedoniæ* illic dixerat, ita etiam *Macedones* hic, aut certe, cur non *terræ Macetidis* illic, sicut hic *Macetæ* dixerit. Nemini facit injuriam, qui jure suo utitur. Nec Ovidium modo, sed omnes utique attentius scribentes excepisse quædam adversus tales judices, in quæ nihil illis liceret, censeo. Ælianus libro 14 de animal. cap. 1. Θήραν ἰχθύων Μακέτιν, inquit: & mox: Μακεδόνας ἔρεσθαι λῷόν ἐστι. Miretur etiam, cur non aut prius Μακεδονικὴν aut posterius Μακέτας dixerit.

Concionesque vocificant] Sic Lipsius. nec temere, sed auctoribus membranis, quibus, quicquid est nostrarum, adstipulantur. Ostenditque non sine exemplo doctissimi Quiritium sic nostrum loqui. Abeat igitur, cui οὐκ ἐστὶν ὅπως non suspecta vox sit: abeant *notificant* & *vociferant*: abeat omne Forsan.

Victoriisque affectus] Plautus Amphit. *Præda atque agro adoreaque affecit populares suos.*

Ad commovendos parentum animos] Petav. memb. & duo Voss. *commonendos.*

Τῆς τῶν πραγμάτων] Scheff. τῶν τῶν ἡμετέρων πραγμάτων. Versio auctoris videtur poscere τῶν τούτων τῶν πραγμάτων. *Susceptione* autem cum Lipsiano scripti omnes.

Cap. IV. *Exitiosis fascinationibus*] Reg. Voss. Pet. Schefferi: *effascinationibus.* Plinius lib. 37, 10. *Contra effascinationes auxiliari magi volunt.*

Inauditæ, incredulæ] Si quid mutandum, (de quo tamen dubito) non *incredibiles* faciendum, sed *incredundæ.* Neque enim frustra videtur hoc adamasse Appulejus, aut sibi tantum debere. Lib. 1 met. *historiam magnam & incredendam fabulam.* In Apolog. *Magia duodecim tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.* In Floridis, *cærimoniarum incredendas potentias.*

Et Polystephanus] Immo *Philostephanus.* Animadversum Jonsio lib. 1 histor. philosop. cap. 2.

Libros plurimos ære pauco emo] Sic et Carrio & quicquid nobis subservit. nam Lipsianus *multos.*

In istiusmodi rerum auditiones reperiatur] Olim *auditionibus.*

Sed

Sed Lipsius isto modo ex Giselini codice, & agnoscere se ait phrasin veterem. Scimus, quo digitum intendat. Forsan & putavit, quale lib. 13, 15. *eruditionem institutionemque in bonas artes.* Gebhardus interim 1 Antiq. 15 *rapiatur* legendum conjecit. Sed obsequendum Regio & Vossiano: *inter istiusmodi rerum auditiones reperiatur.*

Singularis velocitatis] Meliores, ut Lipsianus, *singulariæ.*

Non, ut cæterorum hominum, prospectantia] Reg. & Vossianus: *hominum prosprosum petetant spectantia.* Scribe, *provorsum patentia aut spectantia.* Plautus apud Varronem lib. 6 de LL. *Vi transversus, non proversus, cedit, quasi cancer solet.* Et explicat Varro: *Vi transversus cedit, quasi cancer; non proversus ut homo.* Sive *prorsum* aut, quod habetur in Nigidii verbis lib. 10. cap. 4, *porroversum* malis: eadē enim his omnibus vis. Sic *rursum prorsum meare, rursus, prorsus* reciprocare. Hoc lib. cap. 1. *si vel lapidem vel sagittam sursum versus jacias quam deorsum.* Varro de re rust. 2, 7. *ventre modico, lumbis deorsum versum pressis, scapulis latis.* Lib. 4. de LL. *quod ita flexum, ut redeat sursum versus.* Eodem libro: *Clivus proximus a Floræ susus versus Capitolium vetus* (vocatur;) *quod ibi sacellum Iovis, Iunonis, Minervæ; & id antiquius, quam ædis, quæ in Capitolio facta.* Ita legendum. Vulgo, *ad florales usus.* Sed faciendum *susus* pro *sursus* vidit Scaliger & recepit Scioppius, sed male idem *a Flora.* nisi voluit, quod posuimus. Lib. 8. *Omnes enim numeri a Duobus sursum versus multitudinis sunt, neque eorum quisquam habere potest singulare compar.* De re rustica 1, 31. *Vicia dicta a vinciendo, quod item capreolos habet ut vitis, quibuscum sursum vorsum serpit ad scapum lupini.* Et lib. 2, 7. *ventre modico, lumbis deorsum versum pressis.* Quæ prodesse possunt Plauto in Amphitr. 5, 1. *Ego cunas recessim rursum vorsum trahere & ducere.* Male corrigunt, sed nec bene tuentur. Non enim *recessim* aliud est quam *rursum* aut *rursum versus*, sed omne hòc, *recessim rursum vorsus*, unum eundemque motum significat. Nec fecit nunc hoc, nunc illud, ut volunt, sed continenter unum fecit inque unam partem, ipsa ut cessim vadens cunas ab imminentibus anguibus se versus loco moveret. *Patentia* idem, quod extenta & porrecta: ut *multum in longitudinem & latitudinem patere. Spectantia* debet Horatio.

Qui in pueritia canescant] Lipsius e Victoris libro profert *pueria.* Petav. & alter Voss. *puerta.* Vtrum fuit, *in juventa*, quemadmodum apud Plinium & Solinum, an potius, *qui impuberes canescant.*

Pecudes pastu atque cultu optimas] Omnes quidem & nostri sic, ut Lipsianus, tamen ingratiis librariorum retineo *optimas.*

Qui

Qui monocoli appellantur] Non una modo Veneta *monomeri*, sed ab Romana omnes usque ad Stephanicam. Petav. in charta : *monoruri*. Lincol. *monocruri*. Regius, Voss. major, Schefferi, *monoculi*. Voss. minor *monocoli*. quod primus publicavit Lipsius : οὐδ' ἀπόνητο Δωτίνης, dum haud dubie decernit emendandum, *monosceli*, ut sit apud Plinium. At nosse poterat nec Græcum sermonem tale vocabulum pati, & in antiquis MSS. Plinii, *qui monocoli vocantur* haberi docuisse jam Turnebum lib. 24. Adver. cap. 42. Quare gravius quoque feciset atque elegantius vir haudquaquam alienorum indigus, si non jactasset diu esse cum restituerit utrique auctori *monocolos*, quos eorum editores *monosceles* hactenus nominarant : quum ab annis quinque & octoginta sic omnes habuerint Gellii, & eandem lectionem ab annis non multo paucioribus ostentent margines Plinii Dalecampiani.

Neque respuenda neque ridenda sit] Sic Lipsius membro notat auctiorem e membranis se facere scripturam, quasi vulgo desit, *neque ridenda*. Addit sic tamen etiam legi in Veneta. Immo & in Romana, Venetaque altera Phil. Pitii & Aldina & Badiana Vascosani, & Gryphianis duabus, ut mirer, quo exemplari usus fuerit.

IN-

INDEX

Rerum & Verborum quæ in his notis illustrantur.

A.

Abdera in oppidum. 106
Absque te foret. 62
Ἀκάλυπτος βίος. 57
Acceptum referre. 102
Accusator Brutus. 83
Ἀχθοφόροι. 106
Actio divisa in libros. 100
Ad amussim. 16
Adeptus mortem, crimen. 35
Adeundum templa. 94
Adhibere pœnam. 122
Ad hostes servire. 56
Adigere aliquem jusjurandum 103. 136
Adjungere se ad partem. 44
Admiratio requirens. 44
Adolescit arbor, metallum. 54
Æditumus. 124
Æquabiliter. 31
Æquinoctium, ἰσημερία. 51
Æstimatio officiorum. 14
Ætas prætexta. 35
Afficere victoria. 140
Agere ex edicto. 89
Agere satis. 75
Alcibiadæ. 22
Alco. 97
Alere, alumnus, de discipulo. 48
Aliæ opinionis 99. rei 96. rationis, causæ. 129
Aliquammulti. 78
Aliqui quadringenti. 73
Aliud vocabulo. 60
Alludiare. 19
Alta vulnera. 105
Altus animi. 101
Ἀμοιβαῖα Diomedis & Glauci. 55
Amoliri mala, custodem. 111
Ἄμυστος. 17
Amplissimi ordines. 84
Ἀναγκαίων φυλακή. 17
Anagnostes in studiis. 55 inter epulandum. 32
Ἀναίνυκτος. 11
Ἀναφρόδιτος. 17
Animalia reproba. 139
Animam exspirare. 105
Animi altus. 101 ingenium. 9
Animotenus. 76
Annales libri. 106
Antiochia pecunia. 136
Appellitare. 28. 54
Apponere & opponere diversa. 120
Ἀπροσδιόνυσος. 17
Aptus mortem. 35
Areæ ad schemata. 31
Argentum factum. 93
Argentum pursum. 120
Aristophanæ vel Aristophani. 8
Aristoteli auditor. 96
Armis vincere, vindicare. 76
Asiacus, Asiagenes. 102
Atque. 64. 74 iteratum. 129
Atqui, at, in exordio sermonis. 3
Atypus. 88
Auctoritates. 116
Auctus gloriarum. 63
Auditiones. 4
Augurium jus. 7. 25

B.

Bacchus ὑποφήτωρ ἀοιδῆς. 17
Bucephalas. 105

C.

Sex. Cæcilius. 88
A. Cæcina. 125
Cælius Sabinus. 88
Canalicola. 103

Cæna

Canoræ aquæ & aves. 10
Cantare Pythia. 109
Carptæ fruges. 91
Cautio veterum a piaculis. 91
Censuit donari, exspectari. 107
Chiridota tunica. 133
Ciere vocem. 108
Κινδυνόεις. 24
Cinnius & Santra. 122
Κιρρὸς color. 60
Citus, divisus. 22
Clam patrem. 56
Claudere pro claudicare. 21. 92
Collineare. 138
Communis vita. 57
Comparare. 23
Completus. 20
Complures. 19
Concedere castris, vitâ, solio. 36
Concionarius. 23
Condicere. 117
Condormiscere. 124
Confatalis. 118
Congerere, de avibus. 64
Conjectanea Ateii Capitonis. 58
Considere. 106
Consignate. 36
Consulitur res. 95
Consulta res. 34
Consulto consilio. 48
Continari. 4
Continentia. 118
Corporis ingenium. 9
Titus Coruncanius. 92
Creditum est. 97
Crimini aliqua dare. 101
Cuicuimodi 139 & cuimodi, 41
Cum pro tamen. 125
Cum tunica, læna, sago facere 133
uno omnes perfusi. 74

D.

Damnare dies. 61
Damnas esto. 128
Dare aliqua crimini. 101
De, pro, ex. 73
Deblaterare. 11
Decedens hiems, sol. 67
Decere alicui. 133
Decessus morbi. 89
Decet vestis, ornatus. 133
Dedere se alicui rei. 68
Dedicare ædes in censu. 132
Defectiones solis & lunæ. 64
Defetigatus. 75
Dejerare. 136
Delectatio liberalis in otio. 7
Δελφινεροώμυρ. 131
Deprecor illi mala. 122
Deruere. 118
Despuere in pistrino nequibant. 50
Dico, suadeo. 125
Dictare libros. 83
Dies it. 65
Differt inter eos. 55
Disjunctio. 41
Diogenes captus venditus. 48
Discernere. 14
Discerpi. 136
Discit causam judex. 39
Dividuus. 43
Doctissimus Romani generis. 100
Ducere rem. 96
Duo pro duos. 124

E.

Ea re. 86
Edita ætas, vita, anima. 80
Effascinationes. 140
Effingere sanguinem. 74
Effutire. 59
Εἰς ἄρτιος dare æs. 138
Elegantissimus verborum. 20
Eloqui. 100
Elucus. 102
Emittere manu. 48
Ἐμμέλεια λέξεων. 20
Ephesi templum Dianæ. 40
Ἐρώμυρ. 131
Erotopægnia Lævii. 59
Eruditiones. 4
Erycius Clarus. 120
Esse, pro edere. 72
Esse medicinæ 98, quærendo. 68. 73
ἠσυχάζοντες λόγοι. 10
Etiam, pro adhuc. 24
Euclida, ablat. 121
Euripida. 127

Exadversum. 53
Exosus, perosus, active. 48
Expavitus. 21
Ex SCto triumphare. 115
Exsiliebant in laudando. 104
Exspirare animam. ibid.
Ex summa ope. 129
Exsuperantia. 61. 77
Excogitata captio. 110
Existimatus interitus. 130
Extra arbitrium nostrum res. 66
Extuberare. 137
Exuberare. ibid.

F.

Faba, quæ res. 96
Facere adversus aliquem. 52. *alicui negotium.* 81. *multam* 134. *verbum.* 82
Facio te ut sis. 87
Factum alicui velle. 126. *argentum.* 93
Fæni asylum. 119
Fannii centussis. 58
Fata tria pro Parcis. 81
Fatua uxor Pici. 108
Feriæ præcidaneæ. 91
Ferre sententiam. 101
Filum orationis. 72
Fingendi verborum. 99
Fini 12. 15. *qua.* 85
Firmare corpus. 38
Cn. Flavius Cn. F. 120
Flava juba. 76
Fortassean. 112
Fraudes vitiorum. 11
Frequentamenta. 104
Frustrare captionis. 110

G.

Generandi animalium. 99
Generis mutatio. 77
Glandis. 85
Glossematorum scriptor. 73
Gnatus summo genere. 107
Gratiam ejus dedignari, nihili facere, negligere. 93
Gratulari Jovi. 101

H.

Habeo dicere 68
Habere religioni. 92
Hercle non cito. 22
Historia nona. 119
Histrionius. 16
Honoris tui gratia. 86

I.

Iamdiu est, cum. 36
Id est. 53
Ietæ. 78
Ignominiatus. 137
Ignosci poscit. 127
Illi facta, philosophum loqui, mendicantem vivere. 104
Imitus. 67
Impensum pretium. 82
Impromiscuus. 19
Impulvereus. 108
Incernere. 80
Inclinari, de verbis. 29
In collum, crines, panes præbere. 138
Incommodare. 36
Inconnivens. 38
Incredendus. 140
Incuriose. 64
In decem mensibus gigni. 81
Induto capite. 129
Inebra animalia. 139
Inferiorem accumbere. 133
Infinita verba. 95
Inflatio. 96
Ingenium animi corporisque. 9
Inibi esse, ut sunt. 103
Inludiare. 19
Inodora. 130
Inpurgatus. 18
Inquit, interpositum. 45
In quo dixi libro. 12
Inscientia. 27
Inserata. 49
Inspirans littera. 39
Instititi. 109

Instruere penum. 87
Interibi. 64
Inter noctem. 70
Introspicere. 44
Invadere aliquem & in aliquem. 108
Invidia, activum & passivum. 63
Invisitata. 76. 112. 119
Inustus nigrore color. 62
Invulgare. 78
Iræ amantium est redintegratio. 88
Ἰσημερία æquinoctium. 51
Ista hæc verba. 28
It dies. 65
Iudicare alicui perduellionem. 131
Iulius Paulus poëta. 106
Iureconsultus. 26. 71

L.

Lacunam solidare, explere, sarcire. 12
Lævii Erotopægnia. 59
Laminæ arg. est censorium crimen. 88
Lamna. 13
Lautus paratus, supellex. 27
Λεξίδηρ, λεξίδηρος, λεξιδηρεῖν. 42
Liberalis facies, forma. 55
Libri annales. 106. memoriales. 5
Longe diu. 68
Luci primo, claro. 65

M.

Macetæ. 140
Magis omissum. 99
Magnitudines. 112
Mala ratio. 18
C. Mamilius. 121
Mandare memoriæ. 96
Mansues. 113
Maturum. 73
Medicinæ esse. 98
Melius æquius. 120
Memoriales, memorialia. 5
Mendum. 19
Mensum, a mensis. 36
Meridialis. 52
Meridies sol. 70
Ministrare. 73
Miscellus, misculus. 4
Missile telum. 137
Modus immodicus. 137
Mollis gestatio. 10
Monocoli. 142
Morbidus. 98
Movit terra. 63
Muginandum est hac. 114
Multo tanto. 95
L. Munacius Plancus. 33
Mundi ingenium. 10
Munimenta utilitatum. 13
Munire rupem, viam. 13
Μῦσαι χορεῖοι. 8
Mutare, neutrum. 54
Mutitare. 58

N.

Mactus morbum, febrim, languorem, malum. 35
Nata e terra. 59
Nativa vis, dulcedo. 39
Natura videre minus. 89
Necessum sit. 115
Negare, Ictorum vox. 89
Negotium ei factum. 81
Nemo non. 85
Νεοχέμερος. 131
Neque autem. 23
Neque pro & non. 38
Neque non sunt. 6
Ni, in sponsionibus. 107
Nihil fit. 65
Nihili servus. 104
Nimio multo. 95
Nimium immensum. 30 quantum. 21
Nitidus. 16
Nobilitates. 125
Nomen est spadici. 62
Nona historia. 119
Non fuisse sibi recipere. 99
Non modo, pro non modo non. 64
Non quisse. 124
Nostri antiqui. 22
Nullus unus. 11
Nuptus. 59

O.

Obnoxiosus. 135
Obstupidus. 105
Occurrere exemplo, malitiæ. 122
Ὅλον ἢ μέρος. 82
Ominalis. 114
Omnia parendum. 40
Omnimodo. 89
Oportet judex divinet. 39
Opponere & apponere differunt. 120
Optatus n. p. 39
Orandi causarum. 109
Orcinus thesaurus. 35
Ordinum omnium multitudo. 84
Origo quinta. 125
Otioso animo esse. 65

P.

Pacuvius Marcus. 36
Παραδείσοι, vivaria. 50
Paratus, pro apparatus. 26
Parcimonia. 37
Partim, alia. 70
Partim pro quidam. 5
Pater familias quæ. 87
Participatus. 118
Pedarii senatores. 83
Penum struere. 87
Penus legata. 87
Percitus. 44
Perdere capitis. 12
Perduellionem tibi judico. 131
Peritus disciplina, sermone, arte. 93
Perse rege. 125
Petillii 101
Philostephanus, 140
Φοινὶξ color. 61
Planius dici. 85
Poematorum. 73
Pœniceus. 61. 76
Pondo libras. 58. 93
Populus Romanus Quiritium. 25
Porca præcidanea. 92
Posci aliquid. 102
Poscit ignosci. 127
Posidippus. 54
Positus ædium, regionis, loci. 10
Postrema lex. 59
Postulas te facere. 85
Postumus. 46
Præcidaneæ feriæ. 91
Præcipere oculis. 129
Præ illo. 13
Præmandare. 85
Præministrare 24
Præmium & pretium. 76
Præstabilis. 12
Prætendere 53
Præter, adverbium. 34
Preces malæ. 122
Primam causam orare. 109
Primo luci. 65
Principes sententiarum. 95
Problematorum 24 libri. 67. 73
Probrosæ appellationes. 16
Procedere pro prodesse. 115
Proebra animalia. 139
Profuse laudare. 104
Promiscus. 4
Prorsum. 23
Prorsorsum. 141
Proxime finem, viam. 82
Purum argentum. 120
Purum putum. ibid.
Πυθαγορίζουσα. 97

Q.

Quadringenti aliqui. 73
Quærendum liberum gratia. 90
Quæsitus causam. 113
Quem adortus cunque. 116
Quindecim virum creari, esse. 24
Quin potius. 65
Quinta Origo. 125
Quis vestrarum. 56
Quotquot annis. 119

R.

Rapidus sol. 113
Rariter. 60
Ratio mala, inepta, honesta. 18
Rebus quæ dixit. 101
Receßim rursum versus. 141
Recipere ædes pro *in ædes.* 99
Referre acceptum. 102
Religioni habere. 92
Reproba animalia. 139
Rerum omnium major honos. 46
Res, de faba & cibis. 96
Revictus. 118
Ridiculosus. 122
Robus. 91
Ρώμη καὶ Ιταλία ξυνορῶντες. 131
Rubidus panis, ampulla. 62
Ruere se in errores. 118

S.

Sæpius numero. 81
Sagittæ Vejovis. 111
Sanati, n. ab seditione. 45
Sanequam. 112
Santra & Cincius. 122
Satis agere. 75
Scatere molestiarum. 29
Scilicet dicere. 71
Scitior rei grammaticæ. 84
Scitius. 97
Secundarius. 8
Secus virile. 45. 77
Senatores magnis honoribus. 83
Sensim conferre, moneri. 129
Sententiam ferre. 101
Sententiarum principes. 95
Septemtriones. 51
Sequius quam. 80
Servus nihili. 104
Si, pro *an.* 30
Siculi tenuerunt Romæ locum. 30
Sincerus vestitus, porcus, corpus. 16
Singularius. 141
Sinnius Capito. 116
Si quis immolabant. 64
Σκιοθηρεῖν. 43
Solidare. 12
Sol meridies. 70
Sol rapidus. 113
Sonor. 113
Σωρείτης λόγος. 10
Spadix e Græco Romanus. 61
Spolia militaria. 43
Stare in modo. 94
Στέρησις. 110
Stilum resipere. 72
Strictura ærariæ. 83. *ferrariæ.* 54
Strobiligo. 116
Subjici. 67
Sublimus. 101
Subnixus conscientia, ostro. 101
Subsistere feras. 117
Succidanea hostia. 91
Succussor. 28
Sufes catus. 100
Sumere in flagitiis, scorto pecuniam. 133
Supra esse. 32
Sursum versus. 141
Sympoticæ. 121
Syracosius. 82

T.

Tabella populo aliquid declarare. 113
Tabulatum. 99
Talentum. 21
Tamen. 25
Telum mißile. 137
Tempestiva gratia. 13
Terra Macedonia. 140
θηρᾶσθαι λέξεις. 42
Theorematis ablativ. plural. 11
Tibicinium. 23. 24. 98
Tiro Tullius. 125
Titiæ balneæ. 67
Tractatus. 137
Tranquilla sunt. 67
Transversis patens vitæ. 58
Tremor terræ. 63
Tria fata. 81
Triangulæ metæ. 31
Triphallus. 49
Triumphare ex Scto. 115
Tunica chiridota. 133

V. *Vace-*

V.

Vacefit. 4
Vacivus, vacuus. 33
Varronis rerum divinarum XIV liber. 29
Vasum. 79
Vedius Iupiter. 110
Velle factum alicui. 126
Venales e Dacia, Cappadocia &c. 85
Veneres. 17
Verba infinita. 95
Verba oris propria converti ad factum. 127
Verborum elegantissimus. 20
Verbum Homericum. 108
Verbum legis, Scti. 120
Verrii Flacci librorum de verborum significatu variis 114
Vescus. 7
Vestes fuit lana. 88
Vestimentorum dona. 75
Via sententiarum, pecuniæ. 128
Victoria afficere. 140
Victus causam. 109
M. Vinicius. 112
Vinctura. 106
Umbrica diei ratio. 69
Unam atque alteram pugnas. 75
Vocificare. 140
Volturnus. 52
Usui esse. 63
Usurpata uxor. 71
Uterum & uterus. 80
Utilius exque republica. 34
Ut, iteratum. 76
Ut tu, in formula jurandi. 103
Vultus ingenium. 18

IN-

INDEX

Auctorum, qui in his notis emendantur vel illustrantur.

A.

Ælianus correctus. 138
Appulejus correctus. 21. 78. 126. defensus. 128
Arnobius tentatus. 80
Arrianus correctus. 12
Athenæus defensus in dicto Stratonici. 138

C.

Cicero correctus. 41
Cicero firmatus. 7, 86

F.

Festus defensus 24 tentatus. 25
Frontonis fragmentum correctum. 98

M.

Macrobius correctus. 48. 61
Martianus Capella correctus. 81
Mucii verba inspecta. 87

N.

Nonius correctus. 29

P.

Pacuvius correctus. 76
Plautus defensus & explicatus. 141
Plinius correctus. 105. 137

T.

Terentius explicatus. 126
Theorica Geometriæ MS. 31

V.

Valerius Maximus defensus. 126
Varro correctus 132. 141. explicatus. 93 tentatus. 30

FINIS.


Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19